ACTA
SANCTAE SEDIS

EPHEMERIDES ROMANAE

A SSMO D. N. PIO PP. X

AUTHENTICAE ET OFFICIALES

APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS

DECLARATAE

Volumen XXXIX

ROMAE
DIRECTIO ET ADMINISTRATIO
VIA S. NICCOLÒ DA TOLENTINO, **74.**
1906

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA ENCYCLICA

SS. D. N. Pii div. prov. PP. **X** ad Archiepiscopos, Episcopos universumque clerum et populum Galliae.

DILKCTIS FILIIS NOSTRIS

FRANCISCO MARIAE S. R. E. PRESB. CARD. RICHARD

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

VICTORI LUCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LÉCOT

ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI

PETRO HECTORI S. R. E. PRESB. CARD. COULLIÉ

ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI

IOSEPHO GUILELMO S. R. E. PRESB. CARD. LABOURÉ

ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI

CETERISQUE VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

ATQUE UNIVERSO CLERO ET POPULO GALLIAE

PIUS PP. x

Venerabiles Fratres et dilecti Filii

salutem et Apostolicam, benedictionem.

Vehementer Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causa, vix attinet dicere ; quando ea periata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attendent. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres; quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis,

accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicando propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogarètur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quantum in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituisset discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo, retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentiendum diu contenderat, expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque No-

strum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantáis complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregan oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati èsse Gurae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. -— Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plané negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxärum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque im-

probare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeqüe exposuit, quanta deberet esse, secundum christiar nae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quaedam, ait, intercedat necesse est ordinata colligatio, quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur ». Addit autem: «Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere.... Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error» (i).

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab • se segreget ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit ! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex : « Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apostolica Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, arctiorem esse vetustioremque, quam ut unquam audeat dissolvere. Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestissima decora profecta... Hanc velle turbari necessitudinem idem foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gallicae in populis non parum detrahi » (2).

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam

f i) **Epist. Enc.** *Immortale Dei* **data die i Nov. an.** MDCCCLXXXV.

(2) **In alloc, ad peregr. Gallos hab. die xiu Apr. an.** MDGCCLXXXVIH.

conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, efr insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiari!. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholi-

cae personam gererent, Pontificis, Summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere ; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animorum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incornino--damque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum (i), id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate (2). Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis ;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt, et multitudinem fidelium : atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hie-

(i) **Ephes, iv,** 11 **seqq.**

(2) **Matth.** XXVIII, 18-20; XVI, 18-19; **xvm,** 18; **Tit. n, i5; Il Cor. x,** 6j XIII, **io, et alibi.**

rarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem, officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur»; idque ait «divina lege fundatum» (i). Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrugare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causa. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratia instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et

(i) S. Cypr. Epist, xxxm (al. xxvii, ad lapsos), n. i.

constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem ; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere ; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur ; ipsum coercetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimenda solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae : nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii,

magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecunia in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse ; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus sanctitati templorum : neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratia; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona

pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium, quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas ; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus hereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces aduciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus,; Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus ; idque ob eas quas exposuimus causas : quod maxima afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae ; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum ; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac per-

sonarti Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nulla hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent; maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis afrligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam Iesus Christus ope praesentiaque sua destituât. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causa. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitatem rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humana maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus prudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprirnendi exagitandi libido dominantur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma*

lucis (i), pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitrentur, opportune vobis praescribere ; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem ; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere ; errorum falladas, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. — Nec véro elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester : quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, *«gaudentes...., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (2) ». Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota : quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia;

(ij Rom. XIII, 12.
(2) Act. v, 41.

vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis : ^delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum[1] semina : ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere : in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedrte; sed videte, ut fiduciae

vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur ; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante Maria Immaculata, in tranquillum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipue benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xi Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

SS. D. N. Pii PP. X erectionis trium novarum paroeciarum, videlicet Sancti Francisci ad Ripam maiorem, Sanctae Theresiae ad portam Salariam, Sancti Iosephi in via Nomentana.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanas aequabilius distribuere et componere Paroecias, quemadmodum pro adaucta recens amplitudine et civitatis et Urbis exposcere animarum salus videbatur, superiore Nos quidem anno ingressi sumus; quum, binis e paroeciarum numero expunctis, binas item earum loco instituimus, alteram scilicet ad Aedem, ut aiunt, Novam sive Sanctae Mariae in *Vallicella* et S. Gregorio I dicatam, alteram Sancti Ioachimi in Pratis. Idem nunc persequi incoeptum, atque alium quodammodo gradum facere ad id quod Nobis propositum est,

quandoquidem huius rei sese dedit maturitas, his Litteris volumus. — Nos igitur, de Apostolicae potestatis plenitudine, paroecias Urbis Romae duas, id est SS. Salvatoris *de Curte* et S. Bartholomaei in insula Tiberina, abolemus et extinguimus: simul autem in earum locum duas sufficimus et constituimus paroecias, id est Sanctae Theresiae extra pomoerium ad Portam Salariam, et Sancti Francisci vico Ripae maioris. Ad has propterea novas paroecias omnia et singula exstinctarum bona, reditus et iura transferenda erunt: atque ita, ut ad paroeciam S. Theresiae ea spectent, quae SS. Salvatoris paroecia obtinuit, ad paroeciam autem S. Francisci, quae S. Bartholomaei paroeciae fuerunt. Aliam praeterea paroeciam ex integro novam fundamus, Sancti Iosephi via Nomentana. — Ad fines vero quod attinet, quibus tres hae paroeciae contineri debeant, potestatem facimus Dilecto filio Nostro, Cardinali vice sacra Antistiti Urbis, eos auctoritate et nomine Nostro terminanda itemque contiguarum paroeciarum terminos, si res postulaverit, definiendi.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas ornnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicum-

que, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero Tramsumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis erectionis et translationis derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Nongentesimo Sexto, VIII Idus Ianuarii, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. Card. Di PIETRO, *Pro-Datarius.* A. Card. MACCHI,

VISA

Ds CURIA I. DE AGIUILA E VICECOMITIBUS

Loco Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. CUGNONIUS.

EPISTOLA

Qua Pius PP. X gratias dicit Episcopo Tarbiensi pro patefacta voluntate cryptae B. M. Virginis a Lourdes in hortis Vaticanis exornandae.

À NOTRE CHER FILS
FRANÇOIS XAVIER SCHOEPFER
EVÊQUE DE TARBES

Cher Fils,

La première fois que Nous avons visité les jardins du Vatican Nous avons été surpris de devoir constater que devant la sainte image de la Vierge de Lourdes il n'y avait pas une lampe ou autre signe de culte. Nous en avons parlé à Mgr. Radini-Tedeschi lors de son retour à Rome en lui exprimant Notre désir que la grotte fût embellie et pourvue de tout le nécessaire pour pouvoir y célébrer la Sainte Messe. — Mais puisque vous, cher Fils, en union avec les fidèles de votre diocèse, vous avez le mérite d'avoir conçu l'idée de faire ce beau don à Notre vénéré prédécesseur Léon XIII de sainte mémoire, et que par votre lettre du 16 courant vous exprimez le désir d'embellir la grotte de Lourdes au Vatican, il Nous est doux dire toute Notre reconnaissance et d'implorer du Ciel l'abondance de grâces divines pour tous ceux qui porteront leur concours à la réalisation de Notre désir. — Oui, Nous avons la confiance, la Vierge Immaculée, dont l'intercession est si puissante à l'ombre de la grotte bénie de Massabielle, acceptera ce témoignage de piété filiale, et dans le courant de cette année-jubilaire Elle exaucera les prières qui Lui seront adressées ici comme à Lourdes, pour la conversion des pécheurs et pour la paix et la liberté de la Sainte Eglise. Merci, donc, cher Fils, de votre noble et généreuse offrande, et comme gage de Notre reconnaissance et de Notre affection spéciale recevez pour

vous et pour tous ceux, que Dieu a confiés aux soins de votre zèle pastoral, la bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican le 21 Janvier 1904.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex laetatur de sensibus animi Abbatis Pothier circa praescriptiones de musica sacra instauranda.

DILECTO FILIO

IOSEPHO POTHIER ABBATI EX ORDINE S. 3ENEDICTI

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteras accepimus, quibus gratum Nobis animum significabas ob ea quae nuper de musica sacra ad veteres liturgiae leges exigenda, ac praesertim de cantu Gregoriano ad prístinos módulos revocando praescripsimus. Iucundum fuit istud a te exhibitum officium, in quo obsequium agnovimus pietatemque erga Nos tuam : eo iucundius, quod a viro exhibitum erat, liturgiae in primis perito ac de Gregoriani cantus disciplina praeclare merito. Quod autem polliceris non defuturam deinceps in hac causa navitatem Nobis tuam, paterno studio istam complectimur voluntatem, Deumque, ut labores tuos benignus adiuvet, precamur. Horum porro laborum novum fructum gratulamur; *Cantus Mariales* intelligimus, a te Nobis muneri missos; de quo munere et suavi et opportuno gratiam habemus.

Auspicem caelestium bonorum, eandemque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et sodalibus istis tuis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die **xiv** Februarii anno **MDCCCCiv**, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X Archiepiscopum Neo-Eboracensium laudat ob pastoralem diligentiam erga Italos iiiuc commigrantes.

VENERABILI FRATRI

IOANNI MARIAE ARCHIEPISCOPO NEO—EBORACENSI

PIUS PP. x

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Haud ita pridem nobilem istam dioecesim suscejDisti Archiepiscopus regendam, iamque multa extant, quae pastoralem diligentiam tuam egregie probent. In his laudare satis non possumus paternas quas adhibes curas Italis, qui istup commigrarunt; id curans maxime, ut tuti a variis de fide periculis in avitae religionis cultu permaneant. Huc pertinere intelligimus, quod educendis rite clericis de colonia italica proprium Seminarium peropportuno consilio condidisti, illud quidem munificentiae quoque monumentum tuae.

Itaque cum gratulamur tibi ex animo, tum gratiam non mediocrem habemus, etiam quod oblata stipe sublevare angustias, quibus Apostolica Sedes laborat, studuisti. Tua vero studii pastoralis pietatisque promerita benignus Deus remuneret, suique ubertate auxilii et promoveat tua coepta, et eorum, quos beneficiis afficis, obsequium tibi amoremque in dies magis conciliet. Interea divinorum munerum auspicem itemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvi Februarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex commendat Sodalitatem ad adulescentulas tutandas.

DILECTO FILIO

HENRICO ALOISIO ODELIN, VICARIO GENERALI PARISIENSI AC PRAESIDI OPERIS AD ADOLESCENTULAS TUTANDAS PARISIOS

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cuius moderator e9 operis, ad adulescentulas nempe tutandas, praesertim populares, grate admodum iucundeque enarrasti Nobis miros ab ortu processus. Quae enim sodalitas medio saeculo superiore modicis initiis est excitata, eo nunc nobilitate atque emolumento rei est adducta, ut universum fere per orbem innumerabili adolescentium multitudini opituletur. Tam ubere fructuum copia, quibus non modo externa puellis comparatur utilitas, verum etiam animorum bono integritatique prospicitur, magnopere gaudemus, tibique ac singulis praestantissimi operis sociis enixe gratulamur. Quod si deerrantes ad virtutis normam revocare laudi vertimus, probandum commendandumque multo magis arbitramur caritate et cautione animorum discrimini occurrere. Haec vos persequi commoda diligentia summa studetis, plurimasque licet inde adolescentes spectare, in quibus vitae innocentia curis vestris effulgeat, tunc temporis profutura maxime quum gravissima ipsis demandari vitae munia contingat. Placet idcirco vota Nostra ad maiora sodalitatis incrementa convertere, Deumque dum obsecramus ut vestris conaris benignus adspiret, fideles omnes, quotquot caritatem animis aiunt, hortamur uti coetui velint opem afferre, hominumque societati adiumento sint, datis virtuti tuendae subsidiis. Auspicem divinorum munerum Apostolicam Benedictionem tibi ac ceteris,

qui laudatam tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCCTV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X gratias agentis machinatori Razzolini pro oblata Dantis AUigherii Comoedia.

DILECTO FILIO

ATTILIO RAZZOLINI, MACHINATORI

FLORENTIAM

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exemplar libentissime excepimus Divinae AUigherii Comoediae, quam eximiis illustrem tabulis elegantique excultam manu edidisti. Gratum Nobis ac iucundum humanitatis observantiaeque munus: gratior autem insignis operis artificiique conspectus. Virtus sane tua ac peritia avitum italicae claritudinis decus exauget, in qua unam omnium nobilissimam comitem ac famulam carminum AUigherii reperias. Quapropter gratulationem a Nobis accipias ac laudem, singularemque, qua ' praestas, artem maiore in dies studio tractans, egregia religionis litterarumque monumenta celebrare ne desistas. Praemio pietatem industriamque tuam, benevolentis animi pignore, honestantes, auspicem caelestium donorum Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X laudibus honestat Societatem pro cantus. Gregoriani propagatione.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COULLIÉ

ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI ET VIENNENSI

LUGDUNUM

PIUS PP. x

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod tibi vehementer ista probetur consociatio, cui nomen *Société de secours mutuels pour la Propagation du Piain Chant,* equidem non miramur. Tale enim persequitur propositum, quod valde cordi sit Episcopo, curanti, prout officium postulat, ut augustae Altaris caeremoniae rite usquequaque peragantur. Cognitionem autem usumque Gregoriani cantus, vulgando, operam apprime utilem navat christiano populo, quem ad sustinendas melius in sacrorum celebratione rituum suas partes adducit, magno cum pietatis publicae incremento. Nobis vero facile intelligis pergratas accidisse eiusdem Societatis litteras, quas, tua ipsius commendatione auctas, perferendas ad Nos proxime curasti. Itaque dilecto filio Iosepho Lucien-Brun, praesidi, universisque sodalibus gratias Nostro nomine agas cupimus de studiosae obsequentisque voluntatis, testimoniis, gratuleris de perceptis adhuc suae diligentiae fructibus, signifiées Nos eis, ut bene de Ecclesia mereri pergant, lectissima quaeque a Deo precari munera. Horum auspicem itemque paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, Dilecte Fili Noster, memoratae Societati, cui honoris causa praesides, cunctoque clero et populo tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi Aprilis MDCCCCIV> Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X laudantis Eugenium Prévost ob conditam Sodalitatem, pro clericis lapsis, senibus et infirmis excipiendis.

DILECTO FILIO

EUGENIO PRÉVOST, SACERDOTI

PARISIOS

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Navitas egregia tua, quae in opere parando condendoque eluxit, Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri singulari laude honestato, intimo Nos laetitiae sensu perfundit. Scribis enim florere sodalitatem a te paucos ante annos excitatam, in qua, praecellentissimae caritatis instinctu, cura impenditur iis, qui in sortem Domini vocati, ab officio et gratia misere deflexerint. Nimirum probe tenes quanta clericos oporteat sanctitate fulgere, quorum ministerii dignitas omni vitae generi praestat. Integros quippe mores sic alere et custodire iisdem est opus, ut haud indigni famulatu illius existimentur cuius natura sanctitas est. Quapropter viros sacri ordinis tam religiose et graviter se gerere iubet Augustinus, ut divini illico agnoscantur homines, per quos condiendi sunt quodammodo populi. Iis nempe non modo cavendum ne a probitate discedant, sed contendo adhibenda est omnis ut expressam virtutis imaginem ad imitandum ostendant, tantumque praeter ceteros viros bonos excellant, quanto terris praestantius est caelum. Haec quum essent tibi, sacerdoti optimo, explorata, plurimi quoque referre intellexisti ut, si quis e multis in clero immemorem se honestissimae dignitatis impertiat, is studio omni ac diligentia ad integritatis consilia revocetur. Possit ne pietas aut caritas esse magis animo Nostro iucunda? Nam si insita Nostro in corde atque affixa summopere est christiani gregis universi sollicitudo, at compertum quoque

et perspicuum habemus informari recte aut componi fidelium mores non posse, exemplis aliquando sacerdotum adversis. O utinam ferat tibi Deus opem, qui tantae facinus utilitatis es aggressus! A Nobis quidem quantum est, nec animus tibi ad perficiendum deerit, nec perfectae probatio rei. Perge igitur, dilecte fili, secundis coeptis alacriter insistere, Nostraque confide laude, praecipua quidem ac merita, eo vel magis quod in ipsis aedibus in quibus aberrantes a recto tramite excipiuntur, iis etiam a caritate vestra locus patet qui, senio aut valetudine, impares sacro muneri sint effecti. Praemium porro reddet profecto Deus, sanctissimi conditor sacerdotii, suorumque administrorum custos providentissimus. Nos interim uberes tibi caelestes gratias deprecamur, earumque auspicem ac Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi tuisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Aprilis MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X ad Archiepiscopum Mediolanen, quamdam improbantis publicationem circa relationes Ecclesiae et Statuum.

AL NOSTRO DILETTO FIGLIO
ANDREA DEL TITOLO DI S. ANASTASIA CARDINALE FERRARI
ARCIVESCOVO DI MILANO

Signor Cardinale,

Le siamo grati, signor Cardinale, dei sentimenti espressi nella lettera che Ella ci ha diretta insieme coi Vescovi raccolti a Milano per la preparazione degli atti del Concilio Provinciale. Nella grande commozione pei mali che sovrastano ai cattolici della Francia Ci sentiamo confortati dal pensiero, che alla Nostra voce Apostolica fanno eco i Pastori delle anime e si uniscono in tal modo a Noi, che non potendo

accompagnare personalmente quei generosi fedeli disposti a grandi sacrifizi, abbiamo dato loro una prova del Nostro particolare affetto, invocando sui novelli loro Vescovi i divini carismi.

Siamo poi vivamente riconoscenti a Lei, signor Cardinale, ed ai venerandi Fratelli per la parte presa all'acerbo dolore, ond'è pieno l'animo Nostro, per una recente pubblicazione intorno ai rapporti fra la Chiesa e gli Stati (1): pubblicazione veramente deplorevole in sè e per le luttuose circostanze nelle quali si è fatta: più deplorevole ancora per le tristi conseguenze, da Lei, signor Cardinale, e dai suoi Colleghi con profondo rammarico lamentate nella citata lettera, come pure hanno fatto non pochi altri Vescovi italiani ; vogliamo dire pel danno gravissimo che ne deriva in mezzo alla grande moltitudine di coloro che, tratti dalle opinioni del moderno liberalismo e alieni da distinzioni e da sottigliezze, guardano unicamente alla fonte, creduta talora autorevole, d'onde emanano certi scritti, e bevono poscia col concorso di una stampa perversa, il veleno micidiale di certe massime che non potranno essere mai dalla Chiesa accettate.

Del resto, vegliando Noi solleciti su quanto riguarda la retta dottrina e la disciplina ecclesiastica, tanto Ella, signor Cardinale, come altri egregi Pastori possono essere sicuri che non verranno meno, anche in questa circostanza, le cure dell'Apostolica Nostra provvidenza.

Intanto con effusione di cuore impartiamo a Lei, signor Cardinale, e ai Vescovi con Lei adunati per preparare gli atti del Concilio Provinciale, l'Apostolica benedizione.

Roma, 27 Febbraio 1906.

PIUS PP. X

(i) Publicatio, de qua hic agitur, auctorem habet actualem Episcopum Cremonensem, et titulum praesefert *La Chiesa e i tempi nuovi - Cremona igo6(N.R.).*

ALLOCUTIO

Pii PP. X ad Patriarcham Ciliciae Armenorum, de unione Ecclesiae Orientalis cum Latina pro viribus fovenda.

I sentimenti, che Voi, Venerabile Fratello, mi avete espressi in nome vostro, dei vescovi, del clero e dei fedeli di Armenia sono certamente una grande consolazione per me, perchè mi assicurano, che come avete dato per il passato prove manifeste del vostro inalterabile attaccamento a questa santa Sede Apostolica, ora promosso ad un grado più eminente continuerete a mostrarlo con maggiore ardore, adoperandovi sopra tutto con ogni pazienza e con sana dottrina a richiamare sul retto sentiero quelli della vostra Nazione, che miseramente ne deviarono (i). Che purtroppo l'Oriente, il privilegiato dalla Provvidenza, che ha visto nascere il primo ed il secondo Adamo, che per 40 secoli fu favorito dal Cielo tanto nell'ordine della natura come in quello della grazia, il teatro delle più grandi manifestazioni del Signore durante il regno della legge primitiva, della legge scritta e nel principio della legge di grazia, le cui città, i monti, le valli, e i fiumi sono consacrati dalle più sante memorie dei patriarchi, dei giudici, dei re, dei profeti; l'Oriente che ha la gloria di essere stato la culla del nostro Signor Gesù Cristo, di conservarne il sepolcro e di diventar forse la tomba del mondo quando il Giudice eterno verrà a giudicare i vivi e i morti nella valle di Giosafat, l'Oriente ha dimenticato le antiche sue glorie fino a misconoscere i beneficii della Provvidenza che gli venivano elargiti dalla Chiesa cattolica.

Procurate pertanto, Ven. Fratello, di raccomandare in modo speciale ai Vescovi, che insieme con Voi hanno ricevuto da questa Sede Apostolica il mandato di governare il

(i) **In Audientia diei** 18 **Ianuarii** 1906 **Summus Pontifex respondit sermoni habito a S. E. Revma Paulo Petro XII Sabbaghian, Patriarcha Ciliciae Armenorum** *(N. R.).*

popolo armeno, e a tutti i sacerdoti da Voi e da loro dipendenti di lavorare con zelo, non solo a mantenere viva la fede e la santità del costume in tutti che si professano cristiani cattolici, ma di adoperarsi in *tutti i modi e a costo anche di sacrifici per richiamare all'unico ovile di Cristo i dissidenti. Predichino a loro che, come per il passato tutti i romani Pontefici hanno sempre trattato con bontà e predilezione le Chiese d'Oriente, hanno salvaguardati e difesi i loro privilegi, e si sono perfino opposti allo zelo troppo ardente dei neofiti, che avrebbero voluto soltanto la latina liturgia, così anche adesso il Padre universale dei credenti stende a loro le braccia e li prega e li scongiura a ritornare al seno della madre, male abbandonata, per consentire in tutto con la Sede Apostolica e conservare con la Cattedra del B. Pietro, non solo la comunione e l'unità di fede, ma anche quella della disciplina tanto congiunta col dogma e tanto influente a conservarne la purezza. Ecco il campo, nel quale con Voi, Venerabile Fratello, devono lavorare con zelo indefesso i Vescovi Vostri suffraganei e tutti i Sacerdoti per avere un altro dì il premio, che pei lavoratori nella sua mistica vigna tiene Iddio preparato. Voglia il Cielo, che alle vostre esortazioni infiammate dalla carità rispondano tutti i fratelli dissidenti, cosicché possiate cantare un bel giorno con le parole dei salmi: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* E di questo sia caparra la benedizione Apostolica, che con effusione di cuore impartisco a Voi, Vea. Fratello, ai Venerandi Vescovi suffraganei e ai dilettissimi del clero e del popolo d'Armenia.

ALLOCUTIO

SS. D. N. Pii div. prov. PP. X habita in Consistorio die XXI Februarii anno MDCCCCVI, in qua solemniter damnatur lex separationis inter Ecclesiam et Statum in Gallus sancita.

Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. - Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiae quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti, illius regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae, certisque illius promissis tuti, adversa quaeque miti animo tolerare nitimur, ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. - Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Praecipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiuganda civitate ab Ecclesia in Gallus sancita est. Equidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus, fusius iam ostendimus, ' quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeterivisse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro strictim persequi, graviterque confirmare.

Enimvero qui eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convincit ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, cum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus

est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice. - Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fieret; in Gallus vero ingrate magis longeque perniciosis. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa, solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nulla, quod tamen iure gentium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nulla, inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione, rescissa est.

Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla Episcoporum incidit mentio: e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus: prohibentur, ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum

consociationem multiplici ex capite debilitatum aut omnino intercipitur.

Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento, ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam, divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem, Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati adversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis infensissimam, damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum : cum afflicta affligimur, cum fiente flemus. Nullus esto, qui, quod tam acerbe simus habiti, caritatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patria, sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur : Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribulatione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est,

mitescente tempore, praeclariora fore. - Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitat.es et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores: *Christus* •*amat Francos.* Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam caritatemque suam desiderare nunquam permittet.

PROVISIO ECCLESIARUM

SSmus D. N. Pius PP. X die 21 Februarii 1906 in Palatio Apostolico Vaticano Consistorium secretum habuit, in quo Emus et Rmus D. Card. Mathieu, expleto Camerarii S. Collegii officio, consuetam Perulam obtulit Sanctitati Suae, quae eam Emo ac Rmo D. Card. Respighi tradere dignata est. Deinde Sanctitas Sua, supra relata Allocutione habita, sequentes proposuit ecclesias; nimirum:

Ecclesiam metropolitanam Rhemen, favore R. P. D. Ludovici Henrici Luçon, promoti ab ecclesia cathedrali Bellicensi.

Ecclesiam metropolitanam Auxitan. favore R. P. D. Christophori Enard, promoti ab ecclesia cathedrali Cadurcensi.

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Siden. favore R. P. D. Leonis Adulphi Amette, promoti ab ecclesia cathedrali Baiocensi, et deputati in Coadiutorem cum futura successione Emi ac Rmi D. Francisci Mariae Card. Richard, Archiepiscopi Parisiensis.

Ecclesiam metropolitanam Mechlinien, favore R. P. D. Desiderati Mercier, Domestici Sanctitatis Suae Praesulis, eiusdem archidioeceseos, Doctoris in philosophia et in sacra theologia, Praesidis Instituti philosophici S Thomae in Universitate Lovaniensi.

Ecclesiam metropolitanam Goritien, seu Gradiscan, favore R. D. Francisci Sedej, eiusdem archidioecesis, Doctoris in sacra theologia, Canonici Parochi in metropolitana ecclesia.

Ecclesiam cathedralem Carnuteyi. favore R. P. D. Ludovici Henrici Bouquet, translati ab ecclesia cathedrali Mimatensi.

Ecclesiam cathedralem Rhutenen. favore R. P. D. Caroli de Ligonnés, dioeceseos Mimatensis, Protonotarii Apostolici *ad instar participantium,* Doctoris in sacra theologia, Vicarii Generalis et Rectoris Seminarii maioris in dioecesi Mimatensi.

Ecclesiam cathedralem Divionen. favore R. P. D. Petri Dadolle, archidioecesis Lugdunensis, Protonotarii Apostolici *ad instar participan-*

tium, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, Rectoris Instituti catholici Lugdunensis et Vicarii Generalis honorarii.

Ecclesiam cathedralem Adiacen. favore R. D. Iosephi Mariae Ollivier, dioecesis Massiliensis, olim Professoris in dioecesanis Institutis, Vicarii Generalis Massiliensis.

Ecclesiam cathedralem Maurianen. favore R. D. Hadriani Alexii Fodere, eiusdem dioeceseos, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, Vicarii Capitularis Maurianensis.

Ecclesiam cathedralem Aturen, favore R. D. Eugenii Francisci Touzet, Tolosanae archidioeceseos, ibique Vicarii Generalis.

Ecclesiam cathedralem Nivernen. favore R. D. Leonis Gauthey, dioeceseos Augustodunensis, ibique Vicarii Generalis.

Ecclesiam cathedralem Agennen. favore R. D. Pauli Sagot du Vauroux, dioeceseos Rupellensis, ibique Canonici Theologi.

Ecclesiam cathedralem Versalien, favore R. D. Caroli Gibier, dioecesis Aurelianensis, Prolytae in sacra theologia, Parochi ecclesiae S. Paterni in dioecesi Aurelianensi.

Ecclesiam cathedralem Valentinen, favore R. D. Ioannis Victoris Aemilii Chesnelong, archidioecesis Parisiensis, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, Parochi ecclesiae S. Mariae Magdalenae Parisiis.

Ecclesiam cathedralem Baionen, favore R. D. Iulii Francisci Xaverii Gieure, Aturensis dioecesis, ibique Superioris Seminarii maioris.

Ecclesiam cathedralem Foroiulien. favore R. D. Felicis Guillibert, archidioeceseos Aquensis, iam Vicarii Generalis et Parochi'ecclesiae S. Mariae Magdalenae in archidioecesi Aquensi.

Ecclesiam cathedralem Veneten. favore R. D. Alcimi Gourand, dioeceseos Nannatensis, ibi Canonici ornamentara cathedralis ecclesiae et Directoris Scholae superioris liberae.

Ecclesiam cathedralem Vallis Vidonis favore R. D. Eugenii Iacobi Grellier, dioeceseos Andegavensis, ibique Vicarii Generalis et Praesidis Seminarii maioris.

Ecclesiam cathedralem Mimaten. favore R. D. Iacobi Gély, dioecesis Ruthenensis, ibique Vicarii Generalis.

Ecclesiam titularem episcopalem Pentacomien. favore R. D. Ioannis Antonii Pimenta, Adamantinae dioeceseos, Parochi loci vulgo *Theophilo Ottoni,* deputati in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Claudii Iosephi Gonçalves Ponce de Leâo, Episcopi S. Petri Fluminis Grandensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Hierapo litan. favore R. P. D. Ludovici Ioannis Dechelette, Protonotarii Apostolici *ad instar participan-*

tium, Lugdunensis archidioeceseos, ibi Vicarii Generalis, deputati in Auxiliarem Emi ac Rmi D. Petri Hectoris Card. Coullié, Archiepiscopi Lugdunensis.

Deinde SSmus Dominus sequentium ecclesiarum provisionem, Brevi Apostolico iam peractam, publicavit :

Ecclesiae titularis archiepiscopalis Constantien. favore R. P. D. Guillelmi O'Connell, promoti ab ecclesia cathedrali Portlandensi, et deputati in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Iosephi Williams, Archiepiscopi Bostoniensis.

Ecclesiae metropolitanae Brundusin., cui unita est Administratio perpetua Sedis episcopalis Ostunen., favore R. D. Aloisii Morando, e Congregatione Presbyterorum a sacris Stigmatibus D. N. I. C, Veronensis dioecesis, Romae Rectoris ecclesiae S. Mariae vulgo *dei Miracoli,* Professoris emeriti moralis theologiae in Pontificio Seminario Vaticano.

Ecclesiae cathedralis Bosanen., cui adnexa est Administratio dioeceseos Algarensis, favore R. D. Ioannis Baptistae Vinati, Presbyteri Piacentini, Doctoris in sacra theologia et in iure canonico, Professoris sacrae scripturae in Seminario Piacentino, Archidiaconi in cathedrali Basilica et Vicarii Generalis.

Ecclesiae cathedralis SS.- Conceptionis de Chile favore R. D. Aloisii Henrici Izquiedo y Vargas, Presbyteri S. Iacobi de Chile, Gubernatoris ecclesiastici seu Vicarii Generalis civitatis *Valparaiso* nuncupatae.

Ecclesiam cathedralem S. Hyacinthi de Chile favore R. P. D. Alexii Xisti Bernard, Vicarii Capitularis eiusdem dioecesis.

Postmodum facta est postulatio Sacri Pallii pro metropolitanis ecclesiis *Rhemensi, Auxitana, Mechliniensi, Goritiensi,* et *Brundusina.*

EX SECRETARIA BREVIUM

Reformantur et approbantur Constitutiones Archisodalitatis Doctrinae Christianae canonice in Urbe constitutae.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Litteris Nostris Encyclicis *Acerbo nimis,* quae de Christiana Doctrina tradenda ad universos Sacrorum Antistites

hoc anno dedimus (i), cum alia praescripta sunt, tum illud, ut « in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio Doctrinae Christianae* >. Consociationum id genus cum Archisodalitas, a Paulo V Decessore Nostro instituta in Urbe, princeps et caput sit, peculiarem quamdam in hac locare curam, opportunum intelligimus. Itaque, comperto disciplinam temperationemque, qua uteretur Archisodalitas iam non adiunctis novis rerum ita congruere, constitutiones ipsius veteres corrigere et reformare Nobis visum est; easque sic reformatas, quemadmodum infra scriptae sunt, ratas haberi et ab omnibus, ad quos pertinent, religiose servari volumus et iubemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v Decembris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

L. S. A. Card. MACCHI

CONSTITUTIONES VEN. ARCHISODALITATIS DOCTRINAE CHRISTIANAE

TITULUS I.

De fine et natura Archisodalitatis.

I. Propositus Archisodalitati finis est religiosam christianae plebis institutionem provehere ac moderari per catechesis praeceptionem.

II. Sedes est Archisodalitatis in Urbe.

III. Archisodalitas est proxime obnoxia auctoritati Cardinalis vice sacra Urbis antistitis pro tempore, utpote personam gerentis Pontificis Maximi.

IV. Ad Sodalitium, natura ipsa rei, pertinent omnes parochi Urbis.

Ipsis petentibus possunt praeterea eiusdem Sodalitii societatem inire quotquot sibi constituunt catechesis disciplinae favere eamque expeditiorem efficere opera sua vel pecunia. ,

V. Archisodalitas regitur a Congregatione, quae constat solis delegatis ecclesiasticis viris, Praeside Vices gerente Cardinalis in Urbe Vicarii.

Ad id munus delegati eligi non possunt nisi ecclesiastici viri ad ipsam Archisodalitatem pertinentes.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 613.

TITULUS II.

De Congregatione.

VI. Congregatio constat Praeside, sacerdotibus octo e clero romano et parochis octo, quorum quatuor e clero saeculari, quatuor e regulari.

VII. Eadem Congregatio, pro maiore numero tacitorum suffragiorum, nominat pro-praesidem, a secretis, curatorem pecuniae, seu *Camerlingum,* tabularli praefectum, rationum exactores duos, seu *Syndicos ;* qui omnes ex eorum numero eligendi erunt, qui ad ipsam Congregationem pertinent.

VIII. Munera et officia exercentur non ultra triennium ; nec proxima electio in eosdem cadere potest.

IX. Exacto triennio, dimidia pars Congregationis alterna vice renovatur; hoc est, sufficiuntur e clero romano novi sacerdotes quatuor, parochi totidem, quorum duo e clero saeculari, e regulari duo.

X. Ad memorata munia novi eliguntur pro maiore numero suffragiorum, quae ab ipsa Congregatione occulta feruntur super numero virorum sexdecim a Praeside proponendorum, quo in numero comprehenduntur octo qui de officio decedunt.

XI. Congregatio semel in mense habet ordinarios coetus. Integrum tamen est Praesidi extraordinarios cogere, si opportunum duxerit, vel si saltem quatuor Congregationis Delegati scripto petierint.

XII. Ad ratos legitimosque coetus habendos adstare necessario debent saltem duodecim socii cum Praeside.

In secunda convocatione, quae saltem tridui spatio a priore distabit, ratus legitimumque coetus erit, quovis numero adstantium.

XIII. Ut rata et probata sint quae in coetu proponuntur, maior suffragiorum numerus requiritur. Paribus suffragiis, Praesidi ius esto alterius ferendi suffragii.

XIV. Quidquid consilii, sive de viris sive de officiis alicui deferendis, erit ineundum, id ne decernatur nisi tacitis suffragiis.

XV. Dies coetibus habendis resque ad deliberandum propositae scripto significabuntur per scribam qui est a secretis, ab eoque triduo ante constituai tempus diribebuntur.

XVI. Unicuique Congregationis Delegato quaestiones proponendi ius esto, quas tamen agitare non ante licebit, quam inscriptae fuerint elencho rerum excutiendarum.

Urgente necessitate, de qua iudicium feret Congregatio, poterit, non interposita mora, de propositis rebus deliberari.

XVII. Qui ter, non intermissa vice, coetus non adierit, nec se de absentia purgaverit, recessisse censebitur, eiusque loco sufficietur alius.

Absentiae causa rata debet haberi a Congregatione.

TITULUS III.

De actione Archisodalitatis.

XVIII. Archisodalitas, auspicio ductuque suo, proposito sibi fini prospicit, curando ut scholae catechesis constituantur, piae habeantur conciones, excitetur aemulatio per certamina ad praemia, et per alia quae pro temporis ratione visa fuerint opportuna.

XIX. Praeter scholas catechesis a parochis constitutas sub eorumque disciplina directas, haud poterit alia ulla constitui, nisi adsentiente parocho loci et approbante Archisodalitati. Ad hanc autem iudicium pertinet de illorum peritia qui ad huiusmodi magisterium proponuntur.

XX. Ad unam eamdemque docendi viam disciplinamque tuendam, Archisodalitas pleno iure pollet advigilandi scholis catecheseos etiam privatis.

Ea vigilantia ab Archisodalitate exercebitur per parochos ac delegatos suae quosque Curiae assignandus. Advigilandi vero munus implebitur menstruis visitationibus atque inspectionibus, quarum scripta documenta ad Archisodalitatem bimestria deferentur.

XXI. Ad normam num. XIX, nemini e populo licebit magisterium catechesis assumere, nisi diploma fuerit ab Archisodalitate consecutus.

XXII. Diploma remittitur facto speciali periculo iuxta normas certa lege constituendas.

XXIII. Ad efficacius exsequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archisodalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra urbis antistiti fuerit probata.

TITULUS IV.

De Administratione.

XXIV. Congregatio per Curatorem pecuniae, seu *Camerlingum,* una cum rationum exactoribus, seu *Syndicis,* providebit administrationi proventuum, genus omne, quos habere sibi poterit.

TITULUS V.

De iis quae inter Archisodalitatem et Paroecias Urbis intercedunt.

XXV. In unaquaque Urbis paroecia constituetur Sodalitas Doctrinae Christianae, ad normam Epistolae Encyclicae *Acerbo nimis,* diei XV mensis

Aprilis anni MGMV, quasi sectio Archisodalitatis. Sodalitates parochiales habebunt Consilium dirigens, cui praeerit parochus. Idem Consilium constabit duodecim sodalibus, quorum quatuor sacri ordinis viri, e populo viri quatuor totidemque mulieres.

Hic vero numerus aut augeri poterit aut minui pro peculiaribus cuiusque paroeciae conditionibus.

XXVI. Excepto primo e quatuor ecclesiasticis viris, qui ab Archisodalitate dabitur tamquam ipsius delegatus, ceteri omnes a suis quisque parochis proponentur cum approbatione Praesidis Archisodalitatis.

XXVII. Consilium dirigens Sodalitatum Parochialium semel in bimestri spatio apud parochum rite congregabitur, ut proponat agitetque si quae utiliora visa fuerint ad maius frequentiae et profectus incrementum.

Crebrius etiam iidem poterunt haberi coetus, si vel parochus vel Archisodalitatis Delegatus id opportunum iudicaverint.

TITULUS VI.

De iure aggregandi.

XXVIII. Archisodalitati ius est constitutas ubivis per catholicum terrarum orbem Doctrinae Christianae sodalitates aggregandi easque admittendi ad communionem indulgentiarum, bonorum spiritualium ac privilegiorum, quibus directa concessione ipsa fruitur.

XXIX. Ut sodalitas aggregari possit, necessario requiritur: i) ut eadem canonice fuerit constituta decreto Ordinarii loci: 2) ut ad Archisodalitatem deferatur una cum supplici libello, authenticum exemplar decreti, quo fuit constituta sodalitas atque Ordinarii commendaticiae litterae.

XXX. In qualibet dioecesi eam doctrinae christianae sodalitatem aggregare Archisodalitati Romanae satis erit, quam sodalitatem Ordinarius statuerit esse centrum ceterarum eiusdem generis: hac enim aggregata, simul aggregatae censebuntur aliae omnes sodalitates, quae aut constitutae iam, aut deinceps constituendae sint in eadem dioecesi (i).

(i) Hoc enim liquido constat etiam ex decreto **S.** C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum diei 22 Aug. 1842, n. 3o8 ad 4. Praeterea romanae Archisodalitati speciales indulgentiae plenariae, stationales et partiales concessae fuerunt a Paulo V Const. *Ex credito nobis* diei 6 Oct. 1607 ; quibus et aliae addendae sunt indulgentiae omnibus utriusque sexus Christifidelibus sive docentibus sive discentibus Christianam Catechesim concessae, uti constat ex *Collectione authentica precum et piarum operum* eiusdem **S.** C. edita a. 1898, pag. **558,** n. 316 *(N. R.).*

ACTA ROM CONGREGATIONUM

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DERTHONEN.

PRIVATIONIS PAROECIAE

**Confirmatur sententia privationis paroeciae ob parochi incon»
tinentiam, addita gravi monitione alias ob causas.**

Factispecies. Sacerdos N. N., in dioecesi Derthonensi parochus, de gravibus immoralitatis relationibus incusabatur. Hinc Ordinarius dioecesanus, post plures incassum factas monitiones, in eum animadvertit poena suspensionis a divinis *ex informata conscientia,* atque alium presbyterum in oeconomum spiritualem deputavit. Interea quum mala agendi ratio dicti parochi innotuerit Gubernio, decreto regio a temporali administratione beneficii parochialis ipse remotus quoque fuit. Verum contra Episcopi ordinationem parochus apud hanc S. C. recursum obtulit, expostulavitque ut ipse in officio redintegraretur, sin minus ut iuberetur Ordinarius summarium instituere processum. Habita deinde relatione Episcopi, qui nedum facta allegata confirmavit sed et alia addidit, rescriptum fuit: « Lectum ad instantiam; idque notificetur Episcopo, qui praefigat parocho N. N. terminum 15 dierum ad dimittendam paroeciam, et quatenus obedire detrectet, processum instruat iuxta Instructionem S. C. EE. et RR. diei **II** Iunii 1880, et sententiam pronuntiet definitivam ».

Constituto proinde tribunali instructus fuit processus, in cuius decursu plures exortae sunt quaestiones incidentales ac sententiae interlocutoriae sunt prolatae, et tandem die 11 Februarii 1904 edita fuit sententia definitiva, cuius pars dispositiva ad haec reducitur: i°. Parochus N. N. privatur officio et beneficio parochiali propter infamiam facti a turpibus relationibus ortam, necnon propter iustam parochianorum aver-

sionem; 2°. Declaratur ipso facto privatus beneficio parochiali ad tramitem Const *Ambitiosae* Pauli II, quia absque beneplacito Apostolico alienavit quandam capitalem summam praebendae parochialis et quia ipsius fundos ultra triennium ope contractus vulgo *mezzadria* locavit; 3°. Deponitur ab officio et beneficio parochiali propter fraudulentam Missarum collectionem minime celebratarum ; 4°. Declaratur incursus in excommunicationem latae sententiae sive ob spretas episcopales monitiones eam comminantes sive ob illegitime factas alienationes; 5°. Damnatur solvere quandam summam pro satisfactione Missarum nondum celebratarum et pro illegitima alienatione facta ; 6°. Demum ad iudicii expensas condemnatur.

Ab hac tamen sententia parochus, de quo agitur, apud hanc S. C. appellationem interposuit.

Votum Consultoris. Egregius vir, compendiatim praemissis argumentis a Procuratore fiscali Derthonensi necnon a Defensore ex officio deputato allatis pro et contra praefatum parochum, ita concludit : « Posito etiam quod ex accusationibus plurimis quaedam non sufficientes probatae existimentur, apparet tamen parochus N. N. tanquam presbyter indignus, cuius impossibilis est conservatio in loco N. ratione difficillimae et asperrimae indolis suae, et praesertim famae pessimae quam sibi acquisivit. Et cum hic non agitur tam de singularibus facinoribus stricte ac iuridice probandis, sed potius de aestimatione factorum, competentes sunt prae omnibus iudices Curiae dioecesanae, ét imprimis Episcopus. Ideo, rémittentes arbitrio Episcopi ut quodammodo sententiae Curiae episcopalis temperetur rigor relate ad solutionem pecuniae beneficio debitae a parocho N. N., illum commendantes paternae sui Episcopi misericordiae, si ipse vera et sincera poenitentiae signa dederit, quaestioni propositae.... respondendum arbitror : *Confirmanda* ».

Defensio ex officio. Nonnullis praehabitis ad infirmandam formam ipsius processus, quoad eiusdem valorem intrin-

secum haec adnotantur. Si singula enim expendantur accusationis capita, quibus parochus N. **N.** officio et beneficio parochiali privatus fuit, quaeque ad tria reducuntur, nempe ad turpem cum foeminis consuetudinem, ad alienationem bonorum paroeciae illegitime factam, et ad fraudulentam Missarum collectionem ; nullum ex his ita probatum apparet, ut locus fieri debeat statutae poenae. Hinc parochus in casu est ab imposita poena liberandus, iuxta art. xvi Instructionis S. C. EE. et RR. ita se habentem: « Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio » (i).

Re quidem vera primum accusationis caput de prava parochi relatione cum quibusdam mulieribus, non undequaque probabilis videtur, si prae oculis habeatur exemplaris vita a dicto parocho in antecessum gesta sive in iuribus ecclesiae sibi commissae vindicandis sive in aliis pastoralis ministerii officiis obeundis. Testes praeterea eum accusantes non semper sibimetipsis cohaerentes se exhibent, atque a contrariis testibus eliduntur. Nec praetereundum est quod caute procedendum erat in accusationibus recipiendis, tum quia parochus in casu plures contraxerat inimicitias, tum quia, quando agitur de parocho infamia notando, non desunt improbi ad quamlibet occasionem arripiendam proclives.

Quo vero ad alterum accusationis caput nempe ad Missarum collectionem, animadvertitur quod ipsa non fuit fraudulenter facta. Parochus enim pro virili traditarum Missarum adimplementum curavit, at pressus aere alieno contracto ad reparationes faciendas in fundis paroeciae et ad evitandas sequestrationes a creditoribus comminatas, usus est eleemosynis Missarum, et sic impar evasit ad earum celebrationem **CU-**

fj) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 1**3, pag. 3**29.

randam. Verum huic malo potiusquam sententia privationis paroeciae consuli melius poterat imponendo redintegrata parocho onus devolvendi annuatim portionem redituum paroecialium usque ad totalem Missarum satisfactionem.

Demum quoad tertium in sententia allegatum motivum haec profecto animadverti possunt. Summam alienatam parochus N. non in usus proprios convertit, sed erogavit in beneficii paroecialis utilitatem, eaque occurrit expensis necessariis perlatis pro domorum beneficii eiusdem reparatione. Utique id egit necessaria destitutus venia, et ob id sanatoriam implorat, at non videtur incurrisse in poenas a Const. *Ambitiosae* statutas, cum huius legis praecipuus finis fuerit impedire bonorum ecclesiasticorum distractiones. Nec aliud iudiciuñi ferendum est de locatione ultra triennali seu novennali fundorum • rusticorum paroecialium stipulata a parocho vi contractus vulgo *mezzadria.* Nam in iure romano colonus partiarius spectabatur uti socius, et dictus contractus potius ad societatem quam ad locationem accedebat; *leg. 25, § 6, ff. locati conducti.* In modernis vero legibus hic contractus consideratur tamquam aliquid mixtum, nempe participans de locatione et societate, uti ex art. 1647, § 2 codicis civilis italici patet. Quae modificationes seu conditiones applicari non possunt contractui locationis. Cum itaque praefatus contractus non constituat proprie dictam locationem, parochus subiici non poterat poenalitatibus sancitis a dicta Constitutione contra locantes fundos ecclesiasticos ultra triennium, et hoc titulo privatione beneficii mulctari.

Dubium. *An sententia Curiae Derthonensis diei 11 Februarii ipoj. sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, omnibus aequa lance libratis, die 17 Iunii 1905 respondendum mandavit:

Affirmative iuxta modum, scilicet quoad privationem paroeciae. In reliquis vero sacerdos N. N. graviter moneatur

ut consulat conscientiae suae, peragat spiritualia exercitia et interim suspensus maneat a divinis.

Hoc habito rescripto parochus in casu beneficium novae audientiae expostulavit et obtinuit. Ipse tamen nonnullas tantum exhibuit depositiones extraiudiciales ac testimonia, quae quamdam redolent suspicionem.

Dubium. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.*

Decisio. Et haec Sacra Congregatio, re iterum discussa, die 18 Novembris 1905 responsum dedit:

In decisis.

Colliges. 1°. Inter causas canonicas privationis beneficii parochialis recensetur delictum incontinentiae, quod etiam processu summario probari potest (1).

2°. In themate satis constat de turpi parochi N. cum foeminis consuetudine necnon de populi aversione.

3°. Quoad alia vero accusationum capita sufficiens poena reputatur gravis monitio cum onere iniuncta opera fideliter adimplendi.

SALISBURGEN.

ALIENATIONIS ET IURISDICTIONIS

De natura verae Collegiatae, de consensu Capituli in bonis alienandis, deque ordinaria Curatorum iurisdictione.

Species facti. Archiepiscopus Salisburgensis in Austria a. 1679 ecclesiam parochialem S. Petri in oppido vulgo *Seekirchen* extantem, absque S. Sedis beneplacito, ad dignitatem

(1) Siquidem Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 6 de Reform.)* ad rem habet: « Eos *(parochos)* qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, *(Episcopi)* coerceant et castigent; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione remota, privandi facultatem habeant»; et *(Sess. 25, cap. 14 de Reform.)* addit: « Supradictorum *(criminum)* cognitio... ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint » Cfr. etiam Instructio S. C. EE. et RR. quoad processus oeconomicos relata in *Actis S. Sedis,* vol. 13, pag. 324 *(N. R.).*

Collegiatae erexit. In eadem, praeter canonicum Decanum et parochum, sex numerantur canonici, quorum tres Curati cum animarum cura tresque alii *Incurati* dicti. Administratio bonorum massae communis competere videtur canonico oeconomo, qui rationes gestae administrationis, prius a canonicis, Praefecto ac duobus praecipuis oppidanis recognitas, Ordinario dioecesano singulis annis reddere tenetur. Eodem ferme modo administrantur bona ad duas ecclesias filiales tresque confraternitates, quarum rector est ipse Collegiatae parochus, spectantia.

Interea a. 1897 Archiepiscopus Salisburgensis tunc temporis, ut aes alienum pro novae paroeciae S. Andreae Salisburgi aedificatione contractum solveret, consentientibus Collegiatae parocho et oeconomo, quotannis erogare statuit duo millia florenorum per 14 annos solvenda ex reditibus superfluis quinque dictorum entium. Haec vero solutio facta fuit usque ad a. 1901, quam deinceps novus parochus et oeconomus necnon alii canonici impugnare coeperunt ex defectu consensus S. Sedis, Capituli et civilis Gubernii. Anno tamen 1902 conventio quaedam inter ipsos canonicos et Archiepiscopum inita fuit, vi cuius dimidia tantum prioris summae pars in posterum solveretur.

Porro actualis Archiepiscopus, quin Capituli Collegialis consensum expertus fuerit, a. 1902 beneplacitum Apostolicum ad cautelam petiit et obtinuit. Sed iidem canonici, obtentum S. Sedis indultum — utpote consensu eorum quorum interest destitutum — tamquam irritum habentes, ad hanc S. C. rem dirimendam detulerunt sub infrascriptis prioribus tribus dubiis, quibus et quartum addiderunt circa iurisdictionem, qua ipsi gaudere putant in animarum cura.

Animadversiones favore canonicorum. In primis asseri posse videtur ipsos revera constituere proprie dictum Capitulum Collegiale, non autem communitativum. Ex tabulis enim fundationis a. 1679 eruitur ecclesiam S. Petri in Col-

legiatam erectam fuisse; nomine autem *Collegiatae* in communi loquendi usu venit Collegiata proprie dicta, numquam simplex communitas. Intentio praeterea Archiepiscopi fundatoris veram Collegiatam instituendi vel ex eo erui potest, quod ipse omnes enumerat qualitates, quae ad Collegiatam erigendam requiri solent. Cfr. Monacelli *(Form. leg., tom. 2, tit. iß, form. 6, n. 8),* Ferraris *(Bibl. can., v.* Collegium, *n. 2i),* Santi-Leitner *(Prael. iur. can., lib. ß, tit. j, n. 8).*

Neque huic erectioni officit defectus Apostolici beneplaciti ; nam attenta veteri disciplina fieri poterat sola Ordinarii auctoritate. Cfr. Pitonius *(Discept, eccl. 116, n. ßo),* resolutio H. S. C. in *Cremonen.* 7 Sept. 1720, Petra *(Const.* 7 *Inn. IV,' sect. 2, n. iß),* et Ferraris *(Bibl. can., v.* Collegium, *n. 24).*

Praeterea Leo XIII Brevi *Revocaturus* 6 Maii 1879 institutionem praefati Collegii non solum confirmavit auctoritate Apostolica, sed eidem et titulum *Collegiatae insignis* elargitus est, una simul cum omnibus insignium Collegiatarum iuribus ac privilegiis. Collegiatae S. Petri deinde proprium sigillum concessum fuit, quod veluti signum et indicium verae Collegiatae habetur, quemadmodum eruitur ex *cap.* Dilecta *De excess. Praelat.,* et ex *cap.* Significavit *De appell.* ; Cfr. Barbosa *(De canon., cap. 2, n. 10),* Ferraris *(loc, cit., n. ßß)* etc. Item inter huiusmodi indicia recensetur massa communis, quod adsit aliquis ut caput, quod cura animarum sit penes Capitulum ; quae omnia in themate verificari videntur.

Quoad secundum dubium affirmandum videtur in alienationibus bonorum ad quinque pia entia pertinentium requiri etiam consensum Collegiatae S. Petri. S. Sedes in alienationibus peragendis suum beneplacitum non concedit, nisi praecesserit consensus eorum, quorum interest. Cfr. De Angelis *(Prael. iur. can., lib. ß, tit. Iß, n. ß),* Wernz *(Ius Decret., tom. ß. n., 16j).* Iamvero inter eos, qui interesse habent, in themate accensendi videntur et canonici Collegiatae. Bona

enim ecclesiarum filialium et confraternitatum eodem modo sunt administranda ac bona ipsius Collegiatae. Atqui bona Collegiatae massam communem constituunt, cuius administratio non solum iure Concordati sed etiam iure canonico ad ipsos beneficiatus spectat. Hinc doctores innixi iis quae in iure praescribuntur (nempe *cap. 32, caus. 12, quaest. 2;* necnon *cap. i, tit. io, et cap. 8, tit. 13, lib. 3 Decretalium)* docent non posse alienari res ecclesiae sive immobiles sive mobiles pretiosas sine consensu Capituli. Cfr. Leurenius *(For. eccl., lib. 3, tit. 10, q. i o p))* Bouix *(De Capitulis, part. 4, cap. 3, § 2, n. 2)* ; Wernz *(Ius. Decr., tom. 3, n. 164)* ; Aichner *(Comp. iur. eccl., § 226, n. 2)* ; Phillips *(Lehrbuch, § 231)* etc. Canonici igitur S. Petri ius administrandi habere videntur etiam bona praefatorum quinque entium, quae proinde alienari aut donari nequeunt, nisi ipsorum praecesserit consensus.

Quoad tertiam quaestionem asserendum videtur solutiones pro aedificatione ecclesiae S. Andreae non amplius in posterum esse peragendas. Licet enim S. C. a. 1902 concesserit indultum applicandi per 15 annos duo millia florenorum ex reditibus quinque piarum causarum; tamen consensum praestitum ab interesse habentibus praesupposuit. At e contra desideratur consensus canonicorum, qui sunt administratores horum quinque entium. Quapropter rescriptum obreptione laborat, et tamquam irritum est habendum. Nec reticendum est ad hanc solutionem licite faciendam consensum quoque Gubernii requiri, qui nec datus est nec forsan dabitur ad tramitem praesertim art. 30 Concordati Austriaci.

Tandem quoad ultimum dubium iurisdictionem canonicorum in cura animarum exercendam respiciens, notandum est in tabulis fundationis Collegiatae statutum esse quod canonicis Curatis incumbet cura animarum. Hinc ipsis iurisdictio parochialis necessaria videtur, quae proinde cum ipsa collatione canonicatus demandanda est, iuxta ea quae tradit Bucceroni *(Inst. theol, mor., vol. 2, n. j66).* At e converso

Curatis nonnisi iurisdictio delegata confertur, nulla ratione habita quod ad canonicatum fuerint inamovibiliter promoti.

Animadversiones favore Archiepiscopi. In primis asserendum videtur ecclesiam S. Petri, de qua agitur, Collegiatam veri nominis dici non posse, sed tantum communitativam. In iure enim solae ecclesiae Cathedrales et Regulares praesumuntur Collegiales ; caeterae vero vel simplices ecclesiae aut saltem parochiales reputantur. Quare, ut habet Card. De Luca *(De benef., disc. 14, n. y):* «Collegialitas, tamquam qualitas accidentalis, quae in dubio non praesumitur, ab allegante evidenter ac perfecte probanda est ». Cfr. Riganti *(Comm. in Reg. 4 Canali., § 2, n. ß6, 3g et 40),* necnon Card. Petra *(in Const.* 7 *Inn. IV, sect. 2, n. ij et 18).* Iamvero ecclesiam in casu ad gradum Collegiatae evectam fuisse neque ex erectionis actu, neque ex privilegio Apostolico, neque demum ex indiciis argui valet.

Sane minus utiliter invocantur fundationis tabulae; nam facultate veram erigendi Collegiatam Archiepiscopus Salisburgensis, sicut et coeteri Episcopi, destitutus fuit, quum hoc ad unum dumtaxat Pontificem pertineat, veluti tradunt canonistae, et resolutum est in una *Conversana* 27 Iunii 1626 et in *Fulginaten.* 26 Febr. 1639. De coetero nec clara apparet intentio Archiepiscopi erigendi veram Collegiatam, quum eidem non attribuat iura et privilegia, quae iure communi competunt Collegiatis proprie dictis.

Insuper signa quae in medium a canonicis afferuntur, inter •*aequivoca,* quae Collegiis quoque receptitiis sunt communia, merito recensentur. Dum e contra in casu non habentur signa *univoca,* quae sunt propria verae Collegiatae, quemadmodum sunt quod cura habitualis animarum resideat penes Capitulum, quod potestas eligendi caput ad idem Capitulum pertineat, etc. Canonici enim, iuxta fundationis tabulas, eliguntur ab Archiepiscopo, cura animarum residet penes parochum et tres canonicos curatos.

Neque aliquid prodest Breve Leonis XIII *Revocaturus 6* Maii 1879; Pontifex enim constitutionem Collegiatae non alteravit, sed eidem titulum insignis Collegiatae tantum detulit. Collegiata proinde mansit eiusdem naturae ac prius nempe communitativa, quamvis honore insignitatis sit decorata.

Relate ad secundam quaestionem, nempe quoad necessitatem consensus canonicorum S. Petri in alienandis bonis quinque piorum entium, haec non evidenter apparet. Sane ex iure communi in alienationibus bonorum ecclesiarum Collegiatarum requirendus quidem est consensus Capitularium, at in casu ecclesia Collegialis iure prorsus singulari regitur. Canonicis enim simplex administrationis revisio non autem ipsa massae communis administratio competit, quae uni tantum canonico administratori concreditur. Ipsorum igitur consensus non est necessario exquirendus in bonis massae communis alienandis. Quod a fortiori dici debet quoad administrationem bonorum ad quinque pias causas spectantium, quum haec a bonis massae Collegiatae sint omnino distincta.

Quoad tertium dubium affirmandum videtur nullam sufficientem rationem adesse, cur annuae solutiones quinque corporum moralium non amplius fieri debeant, praesertim si consideretur expressam Gubernii licentiam in promptu esse, et consensisse interesse habentes nempe parochum et ratiocinarium, ac deinde beneplacitum Apostolicum obtentum fuisse.

Demum relate ad quartam quaestionem actualis Archiepiscopus non renuit ut ordinaria iurisdictio ad curam animarum Curatis cum ipsa canonicatus collatione pro toto officii tempore concedatur; dum e contra pro Incuratis delegata sufficit iurisdictio, sicut in aliis sacerdotibus parochos adiuvantibus usuvenit.

Dubia. I. *An presbyteri insignis Collegiatae oppidi* Seekirchen *Capitulum Collegiale in sensu iuris constituant in casu.*

II. *An in alienandis bonis duarum ecclesiarum filialium*

et trium confraternitatum ibidem extantium necessario requieratur consensus eiusdem Capituli in casu.

III. *An annuae solutiones pro ecclesia S. Andreae Salisburgi a praedictis quinque piis causis licite in posterum continuari possint in casu.*

IV. *An, si non omnibus, saltem canonicis curatis iurisdictio ad curam animarum necessaria cum ipsa collatione canonicatus pro toto tempore officii demandetur in casu.*

Responsa. S. Congr. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 16 Decembris 1905 rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi, praevio examine idoneitatis ad tramitem iuris in collatione beneficiorum, et firma conditione ut tres canonici curati habeantur ut coadiutores parochi eique subsint.*

Colliges. 1°. Antiquae Collegiatarum erectiones absque Apostolico beneplacito ab Episcopis peractae, priusquam lex. illud requirens sancita esset, tamquam validae habentur; at iure, quo etiam nunc regimur, potestas erigendi veras Collegiatas ad unum Pontificem pertinet, proindeque harum erectiones sola Episcoporum auctoritate factae nullitate laborant.

2°. Iure communi solae ecclesiae cathedrales et regulares praesumuntur vere Collegiales, caeterae autem vel simplices ecclesiae vel saltem paroeciales reputantur.

3°. Indicia seu signa Collegialitatis alia sunt *aequivoca,* quae ecclesiis quoque receptitiis sunt communia ; alia *univoca,* quae Collegiatis proprie dictis dumtaxat competunt.

4°. Item iure communi administratio bonorum massae communis ad Capitulum pertinet, cuius proinde consensus requiritur in eiusdem bonis alienandis aliisque contractibus peragendis.

5°. In themate, quum Collegiata S. Petri absque bene-

placito S. Sedis erecta fuerit tempore, quo ius hodiernum iam vigebat, Collegiata veri nominis dici nequit; eamque in primaeva natura, adiecto tantummodo insignitatis titulo, Leo XIII reliquit.

6°. Praeterea administratio bonorum tum massae communis tum quinque piorum entium ad canonicum oeconomum non autem ad alios Collegiatae canonicos pertinet, quorum proinde consensus in alienationibus non est necessario exquirendus.

7°. Demum cura animarum, praeter quam ad parochum Collegiatae, ad tres canonicos curatos pertinet, quibus ordinaria iurisdictio cum ipsa beneficii collatione demandatur.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE APULIAE

Circa Collectas ab Ordinario imperata s, Missam Conventualem lectam, administrationem S. Communionis, necnon circa Processionem pro Indulgentia Portiunculae.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debeant?

II. An Missa Conventualis, quae sine cantu celebratur in ecclesiis Regularium, debeat aequiparari Missae solemni, sive quoad omittendam commemorationem simplicis et reticendas Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas Orationes post Missam iniunctas ; idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. An sacerdos, sacris vestibus sacrificii indutus, possit administrare sacram Communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam ?

IV. An in Processione, quae die i Augusti sub Vesperis fit per ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione *Indulgentiae Plenariae ;* et quaenam, silente Caeremoniali Ordinis, in eadem Processione preces recitandae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Servetur Decretum n. 3697 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci* 7 Decembris 1888 ad VII, et alterum n. 2740 *Tridentina* 12 Martii 1836 ad 7 (i).

Ad III. Negative.

Ad IV. Nihil obstat in casu, quominus Reliquia S. Francisci in hac Processione gestetur, recitando vel cantando aliquem Hymnum in honorem eiusdem Sancti ; tabula autem *Indulgentiae Plenariae* non deferatur in Processione, sed affigatur, si placeat, ante portam ecclesiae.

Atque ita rescripsit. Die 19 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Seu aliis verbis: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Decretum enim sub n. 3697 **ad VII primam respicit propositi dubii partem, et e contra decretum sub n.** 2740 **ad** 7 **alteram eiusdem dubii partem contemplatur. Ratio est quia Missa Conventualis lecta, quando nulla alia adest cantata, locum tenet solemnis; quod verificari nequit si alia cantetur Missa, quum iuxta Rubricas bis in eadem ecclesia ac die deque eodem Mysterio publica et solemnis memoria fieri nequeat** *(N. R.).*

DECRETUM SEU DECLARATIO

De forma notitiarum in editionibus cantus liturgici Gregoriani integra servanda.

A nonnullis Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et **iv** Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, diei xi Augusti MCMv circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium (]). Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat :

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eandem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eandemque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes extent et coaequales. Ideoque signa quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tanquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet ; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. *£* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 114.

VILNEN.

Circa Missam votivam "Rorate,,, expositionem Pyxidis, nec non circa Reliquias in Sepulcro altaris.

Hodiernus Rmus Dnus Episcopus Vilnensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petiit; videlicet:

I. Pro dioecesi Vilnensi habetur Decretum, quo permittitur Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur, vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo.* — Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur ?

II. In eadem dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis* etc. coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento exposito in Pixide. — Quaeritur utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidis in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an Sanctissimum Sacramentum non possit e Tabernaculo tolli ?

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in Sepulchro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino necessarium , ut in Sepulchro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Decreta, Missa *Rorate* cantari potest in casu, cum *Gloria* et *Credo,* solummodo in Novendiali ante festum Nativitatis Domini ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine

Gloria (praeterquam in Sabbatis et infra Octavam festi B. Mariae Virginis) et sine *Credo* (i).

Ad II. Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam (2).

Ad III. Affirmative ad primam partem quoad utrumque ; Negative ad secundam (3).

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

d) Missa votiva *Rorate* **de B. M. Virgine cantari permittitur cum** *Gloria et Credo* **in Novendiali ante Nativitatem Domini in vim consuetudinis et populi concursus, quia tunc huiusmodi Missa celebratur ad instar Missarum votivarum pro re gravi et publica Ecclesiae causa, ad tramitem Decretorum n.** 2223 *Catanien.* 9 **Dec.** 1713, **et n.** 2257 *Ordinis Minorum \o* **Dec.** 1718. **Secus enim in aliis praesertim temporibus ipsa est dicenda vel etiam cantanda absque** *Gloria* **et** *Credo,* **quum agatur de Missa votiva privata, prouti iam decisum fuit in Decreto n.** 2378 *Cracovien.* 22 **Aug.** 1744 **ad** 7. **Addendus tamen est Hymnus** *Gloria* **in Sabbatis et infra Octavam festi B. M.** V., **non ratione Missae votivae, sed ratione dumtaxat Octavae B. M. V., vel Sabbati quod Virgini Mariae est specialiter dicatum** *(N. R.).*

(2) **Sacra enim Pyxis extrahi nequit e Tabernaculo ut alio in alio exponatur, sed, ostiolo Tabernaculi aperto, oculis populi est tantum obiicienda, prout iam pluries decisum fuit et praesertim in** *Olinden.* 16 **Martii** 1876 **n.** 3394 **ad I. Nil tamen prohibet quominus, ubi adsit consuetudo et quemadmodum fit Romae, cum Pyxide clausa suoque velamine obtecta ac desuper velo numerali velata populus benedicatur** *(N. R.).*

(3) **Attamen ad licitam quoque altaris consecrationem requiritur ut in Sepulcro ponantur Reliquiae plurimorum Martyrum, et solum permittitur ut iisdem Reliquiae Confessorum uniantur Cfr. Decretum** *Canarien, et de Teneriffa* **i** 3 **Apr.** 1867, **n.** 3155 *(N. R.).*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE APULIAE

Circa festum S. Ianuarii E. et M., S. Nicolai E., S. Francisci de Paula, SS. Apostolorum et SS. Martyrum, B. M. V. de Sterpeto, ex voto, SS. Redemptoris, et SS. Sepulcri D. N. I. C, necnon circa Patronum principalem.

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Apuliae Provincia commorantium, de consensu tam Ministri Provincialis sui quam Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione exposuit; nimirum:

I. Num Fratres Minores degentes in toto Regno Neapolitano teneantur ad recitandum Officium proprium cum respectiva Missa item propria de Sancto Ianuario Episcopo et Martyre in die 19 Septembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono olim totius Regni Neapolitani ?

II. Num iidem Fratres Minores degentes in Provincia civili Barensi teneantur ad persolvendum Officium proprium cum Missa item propria de Sancto Nicolao Episcopo in die 6 Decembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono principali totius Provinciae Barensis ?

III. Num ipsi Fratres Minores, celebrantes Patronum principalem Provinciae civilis, dispensentur a Patrono principali Regni celebrando ; quemadmodum nempe non obligantur ad celebrandum Patronum dioecesis ii, qui recolunt Patronum Loci ?

IV. Num praefati Religiosi, in celebrando Patrono principali Regni, Provinciae civilis, Loci seu dioecesis, attendere etiam debeant si Patronus feriationem habeat, vel saltem habuit, quae tamen de Apostolico indulto modo sit sublata?

V. Num si requiritur feriatio, festum Patroni sub nomine *principalis* in Kalendario Cleri saecularis designatum et sub ritu duplici primae classis cum Octava, censeri debeat orna-

tum feriatione, eo quod idem festum quotannis tamquam mobile in die Dominica recolatur?

VI. Num iidem Fratres Minores teneantur ad recitandum Officium Sancti Francisci de Paula sub ritu duplici secundae classis cum Octava in Dominica II post Pascham, ut Compatrono totius Regni Neapolitani, quod ita praescriptum fuerit, a Gregorio XVI felicis recordationis sub die io Maii 1839 pro utroque Clero?

VII. Num praedicti Fratres teneantur ad agendas Commemorationes Omnium Sanctorum Apostolorum atque Omnium Sanctorum Martyrum in die 29 Iunii praescriptas a Pio Papa VI felicis recordationis per Breve *Paternae charitatis* sub die io Aprilis 1818 pro toto Regno Neapolitano, tamquam compensationem aliquam feriationis suppressae?

VIII. Num Moniales secundi Ordinis in civitate Baruli degentes intra dioecesim Tranensem, quae iam celebrant Officium Sancti Rogerii Episcopi Patroni principalis eiusdem civitatis sub ritu duplici primae classis, die 30 Decembris; teneantur insuper ad persolvendum Officium Beatae Mariae Virginis de Sterpeto, quod ex voto agitur sub ritu duplici secundae classis in Dominica 11 post Pascham?

IX. Num apud easdem Clarissas, quae in Dominica **III** Iulii ritu maiori celebrant Officium Sanctissimi Redemptoris, et quidem iuxta concessionem a sa. me. Gregorio Papa XVI factam, cum iure translationis, occurrente festo potioris ritus; idem festum Sanctissimi Redemptoris in occursu et concursu habendum sit tamquam festum primarium^?

X. Num in Regno Neapolitano, si Dominica n post Pascha agendum sit de festo Sancti Francisci a Paula sub ritu duplici secundae classis; festum Sacratissimi Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi, Melphicti Dominica etiam iv post Pascham impeditum a Dedicatione ecclesiae Cathedralis debeat in primam diem liberam intra Tempus Paschale transferri, vel potius omitti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribere rata est:

Ad **I.** Affirmative iuxta Decreta alias edita, ac praeser nim num. 2591 *Neapolitana,* 18 Octobris 1818 ad XII.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative iuxta Decretum num. 3157 *Mechlinien.* 31 Augusti 1867 ad XII, quaest. 1.

Ad VIII. Negative, nisi concessio praeceptive etiam pro Regularibus proprio Kalendario utentibus facta fuerit.

Ad IX. Negative, et festum Sanctissimi Redemptoris uti secundarium computatur iuxta Tabellam pro festis secundariis.

Ad X. Si festum Sanctissimi Sepulchri in Dominica n et iv post Pascham impediatur, iuxta Rubricam peculiarem Breviarii Romano-Seraphici num. 118, transferri debet non tamen extra Tempus Paschale, et quoties impedimentum fuerit perpetuum, idem festum ex gratia fixe Dominica infra Octavam Ascensionis celebretur.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

SOCIETATIS SALESIANAE

Circa reverentias a sacris ministris in Benedictionibus SS. Sacramenti faciendas, circa tempus imponendi incensum, et circa clericos pluvialibus indutos.

Quum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione ac repositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dissi-

deant probati S. Liturgiae interpretes, hodiernus Rmus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis ?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet i) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento* etc. debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2) Idem quaeritur de Celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; 3) De Celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum ; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam orationem *Deus qui nobis* etc. Iam quaeritur i) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quae-

ritur 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem ?

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit thus impositurus debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c. n, § III, n. 5?

VII. Iuxta Caeremoniale Episcoporum dum Celebrans canit orationem *Deus qui nobis* etc. ministri librum sustinent genuflexi: contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id eis permittunt Quaeritur qua norma utendum ?

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono dalmatica et tunieella indutis adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali ?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda (i).

Ad II. Nulla reverentia facienda est.

Ad III. Quoad ium. Nullam reverentiam debet facere;

Quoad 2um. Inclinationem mediocrem faciant;

Quoad 3um., 4um. et 5um. Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare genuflectat in medio.

Ad IV. Nulla reverentia facienda est.

Ad V. Quoad ium. Negative.

Quoad 2um. Provisum in praecedenti.

(i) Exinde eruitur profundam inclinationem dumtaxat ab actu stantibus faciendam esse; e contra pro illis, qui utroque genu nectuntur, mediocrem sufficere inclinationem, quae per capitis depressionem cum modica numerorum inclinatione obtinetur. In casu inclinatio mediocris aequiparari dicitur inclinationi profundae, quia ex reliqua parte ab ipsa utriusque genuflectione suppletur *(N. R.).*

Ad VI. Ambo germa flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.

Ad VII. Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. n, cap. xxxni, n. 27.

Ad VIII. Quoad 1um. Affirmative si Benedictio cum SSmo Sacramento fiat immediate post Vesperas solemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari: dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SSmum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat.

Quoad 2um. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. *î* S. f D. Panici, Archiep. Laodiçen., *Secretarius.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia conceditur recitantibus precem ad Iesum mortuum.

PREGHIERA A GESÙ MORTO

O Gesù, che nell'amara vostra passione diventaste l'obbrobrio degli uomini e l'uomo dei dolori, io venero il vostro volto divino, su cui brillava l'avvenenza e la dolcezza della divinità, ora divenuto per me come quello di un lebbroso ! Ma sotto queste deformi sembianze io ravviso l'amor vostro infinito, e mi struggo dal desiderio di amarvi e di farvi amare da ogni uomo. Le lagrime che sgorgarono dal vostro sguardo mi appariscono come preziose perle che io amo di raccogliere, affine di comprare col loro valore infinito le anime dei poveri peccatori..

O Gesù, il cui volto è la sola bellezza che rapisce il mio cuore, io accetto di non vedere quaggiù la dolcezza del vo

stro sguardo, di non sentire *Y* **ineffabile bacio della vostra bocca: ma deh! vi supplico d'imprimere in me la vostra divina somiglianza, d'infiammarmi del vostro amore, acciocché esso mi consumi rapidamente, ed io giunga ben presto a vedere il vostro volto glorioso nel Cielo ! Amen.**

Ex Audientia SSmi, die iß Februarii 1906.

SSmus D. N. Pius PP. X omnibus Christifidelibus praefatam precem devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

L. «!• S. CASIMIRUS **Card.** GENNARI

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 16 **Febr.** 1906.

L. *|+S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

URBIS ET ORBIS

Decretum quo largitur ut per quotidianam vel frequentem Communionem omnes lucrari possint indulgentiae, absque onere hebdomadariae Confessionis.

Sanctissimo Domino nostro Pio PP. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro PP. XIII f. r., per decretum huius

Sacri Ordinis, sub die 9 **Decembris** 1763, **omnibus christifidelibus, « qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur consueverunt, et nullius lethalis culpae a se, post praedictam ultimam Confessionem, commissae sibi conscii sunt, indulsit, ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae caeteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto peragatur ». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis PP. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret. Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die** 14 **Februarii** 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † **D. Panici, Archiep. Laodicen.,** *Secretarius.*

Praesens rescriptum exhibitum fuit Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 16 **Febr.** 1906.

L. ✠ S. **Iosephus M. Can. Coselli,** *Substitutus.*

EX VICARIATU URBIS

DECRETUM

Quo **erigitur Consociatio mutuae charitatis inter sacerdotes Romanae dioecesis (i).**

Animorum fraterna coniunctio et charitas, quae collocandis beneficiis ac largiendo foveri potest, quum omnium veri nominis Christifidelium propria est ac veluti nota, tum Sacerdotes maxime decet, quorum exemplo caeteri ad mutua charitatis officia facilius adducantur. Quamobrem haud poterat non probari Nobis consilium constituendae *Consociationis Mutuae Charitatis inter Sacerdotes Romanae Dioecesis.*

Huiusmodi Consociatio, proposita a Coetu Romano *Unionis Apostolicae provehendae inter Sacerdotes saeculares,* **duo sibi constituit: et necessitati Sacerdotum occurrere, morbo impeditorum quominus celebrare Sacrum valeant, et iisdem post obitum Sacrificiis piacularibus opitulari. Itaque delatum ad Nos huius rei perficiendae consilium adprobantes, auctoritate Nostra ordinaria memoratam Consociationem rite ac legitimé, seu canonice, in Urbe constituimus, eiusque leges, Nobis cognitas ac probatas, ratas habemus; decernentes, easdem ab omnibus, qui ei Societati erunt daturi nomen, esse fideliter planeque servandas.**

Datum Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 12 **Dec.** 1905.

PETRUS RESPIGHI, **Card. Vicario**

L. *£• S. **Franciscus Can. Faberi,** *Secretarius.*

(i) Vehementer gaudemus de canonica huius Societatis erectione, eo vel magis quod eidem ipse Pontifex suum nomen dedit hisce verbis:

« Benediciamo di cuore l'Associazione di mutua carità tra i Sacerdoti delia Diocesi di Roma, che concorrerà a rendere sempre più stretta fra Sacerdoti quella unione, per la quale il nostro divin Redentore pregava X eterno suo Padre : *Ut omnes unum sint;* **e col voto, che tutti i nostri diletti figli del Clero di Roma rispondano all'appello, diamo volentieri a quest'Opera di Carità anche il nostro nome. Dal Vaticano, li** 14 **Dicembre igo5 ».**

PIUS PP. X

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pontifex laudat Societatem Bonifacianam ob insignia erga Ecclesiam promerita.

DILECTIS FILIIS
FRANCISCO NACKE, ANTISTITI URBANO, PROPRAESIDI
CETERISQUE VIRIS DE SUPREMO CONSILIO
SOCIETATI* BONIFACIANAE

PADERBORNAM

PIUS PP. X

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam- benedictionem.

Non ignota Nobis quidem erant insignia erga Ecclesiam promerita Societatis vestrae, iamdudum elaborantis, ut Germanicae nationis catholici homines, qui, acatholicis et schismaticis permixti, Germaniam, Austriam et Helvetiam incolunt, salvam et incolumem ab horum consuetudine convictuque periculoso conservent fidem. Singularem vero voluptatem nuper cepimus ex eo libro, quem ad Nos cum summae observantiae significatione misistis de ratione cursuque instituti vestri, unde cognovimus quae, toto hoc annorum plus quinquaginta spatio, in salutem vestrorum popularium egeritis. Profecto ista Nos reputantes, facere non possumus quin et Dei providentis bonitati ingentes agamus gratias, et diligentiam vestram, aeque ac Decessores Nostri, laudibus ornemus.

Nunc autem fructus istius diligentiae etiam ampliores, Deo item auxiliante, polliceri Nobis posse vehementer gratum est. Vos enim parati, uti convenit, illuc accurrere prolixius opitulatum, unde maior necessitas opis ostenditur, rectissime operam vestram amplificare et intendere cogitatis in Austriae finibus, per Bohemiam maxime ; quippe ibi fervet maxime actuosa vis haereticorum, quibuslibet artibus molientium divellere et abstrahere quamplurimos possunt a sinu

còmplexuque Romanae Ecclesiae. Et revera pro facultatibus nominatim, quibus abundant, nimium quantum proficiunt ! Huius tanti mali progressionibus obsistere (quod quidem, nisi mature cohibeatur, evasurum brevi est in teterrimum perduellionis incendium, idque fortasse maius quam ut restingui possit) non modo vobis debet esse propositum, sed omnibus bonis, quicumque istic illatas Ecclesiae matri iniurias et detrimenta dolent, atque aegre ferunt fratrum suorum vicem, qui misere ruunt in interitum. Itaque conata laboresque vestros in hac religionis et animarum clade prohibenda, dubitare non possumus quin primum, pro conscientia pastoralis officii, magis magisque, auctoritate gratiaque sua, velint adiuvare Episcopi, ac praesertim efficere, ut Societatis vestrae Opus in singulis dioecesis suae paroeciis aut instituant, aut iam institutum refoveant. Sed universos praeterea, potissime ex Austria, catholicos valde confidimus, pro sua quemque facultate, vobis suppetias venturos. Quos quidem, etsi satis per se promptos intelligimus ita contendere pro fide ut tempus postulat, velimus tamen voce quoque excitari Nostra, qua studiosissime eos hortamur quaesumusque ut, quavis mutua concertationis causa seposita, omnes, coniunctis animis foederatisque viribus, contra communem religionis et civitatis hostem, operam vobis navando, dimicent.

At praeter istas regiones, in quibus usque adhuc salutaris industria Bonifacianae Societatis se continuit, videte quanti referat eiusdem beneficia ad ipsam proferre Italiam. Hic enim in praecipuis urbibus vestrates bene multos habitare novimus, eosque maximam partem expertes catholicae fidei. Quum his ante omnia praesidia abunde suppetant ad colenda sacra professionis suae, dolendum interea est, qui sunt catholici, eos nec ita paucos, si excipias qui Romae commorantur, in magno salutis aeternae versari discrimine; siquidem destituti sacerdotum ministerio, ob sermonis utrinque inscientiam, sibique prorsus relicti, nimis facile fit ut

tandem inducant animum aut christianae vitae officia deserere, aut ad heterodoxos, quibuscum vivunt, sese adiungere. Rem cernitis agi eiusmodi, quae Bonifacianae Societatis operam et adiumenta inprimis desideret. Quare vos, pro instituto vestro, hos etiam populares, quos dicimus, incolas Italiae certe habebitis curae, nec patiemini quemquam ex eis, paene in conspectu Romanae Sedis, fidei sanctae iacturam facere. Nos interim precamur ex animo uberrima coeptis vestris caelestia munera : quorum auspicem ac peculiaris benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, universis Societatis vestrae sodalibus atque omnibus qui suis vos opibus iuvant, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gaudet de fructibus ab Universitate Studiorum Lavalliana relatis.

VENERABILI FRATRI
LUDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI
MAGNO CANCELLARIO UNIVERSITATIS STUDIORUM LAVALLIANAE
QUEBECUM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vehementer Nos delectarunt communes litterae, a moderatoribus Collegioque doctorum decurialium istius Universitatis datae, ac per te, Magnum Cancellarium, Nobis redditae. Ex his enim intelleximus, non modo quam studiosa vestrum omnium sit erga Pontificem Romanum pietas, sed etiam quam religiose Apostolicae Sedis documenta servetis

et praescripta in negotio tanti momenti ac ponderis, quanti est recte formare et instituere in gravioribus disciplinis iuventutem. Itaque mirum non est, complures numeran in ordine vel sacro vel civili praestantes viros, qui Lavalliani nomen Instituti, cuius extitere alumni, Ecclesiae simul et civitati egregio testimonió commendent. De his operae vestrae fructibus uti vos, et quidem iure, gaudetis, ita Nos vobis gratulamur : eo magis quod in optimo proposito sic vos constare perspicimus, ut ex praeterito tempore coniicere futurum liceat. Pergite igitur bene de Canadensi et Ecclesia et patria mereri; certum habentes, vobis cum Romani Pontificis comprobatione nec hominum proborum gratiam opesque, nec vero uberrima Dei defutura auxilia. Horum auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus istius lycei magni moderatoribus, doctoribus, alumnis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II **Maii** MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X gratias agit pro oblato sibi Missali et pro libro a sanctimoniali Bruyère conscripto.

DILECTAE FILIAE

CAECILIAE BRUYÈRE SANCTIMONIALI BENEDICTINAE

SOLESMENSIS A S. CAECILIA MONASTERII ANTISTITAE

PIUS PP. X

Dilecta Filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Missale a te tuisque oblatum, vario pretiosoque ornatu et minutulis picturis affabre distinctum, scito accidisse Nobis

gratissimum. In quo non solum facultatem artificii vestri admirati sumus, sed etiam testimonium amavimus pietatis observantiaeque perstudiosae, qua Iesu Christi Vicarium colitis. Maxime vero is placuit, quem ipsius operis elaborata varietas prodit, gnarus sacrae liturgiae sensus: unde facile perspicimus vos, quemadmodum perhibemini, uti ceteras divini cultus accurare partes, ita *psallere sapienter.* **Itaque, quod vobis in optatis erat, Nos quidem libenter fecimus, ut ad saeculare sacrum, quod honori Gregorii Magni Aprili mense in templo Vaticano peregimus, hunc vestrum adhiberemus librum, utpote augustissima caeremonia apprime dignum. De hoc igitur munere, itemque de altero, quo ipsum tu novissime cumulasti, volumen dicimus a te pie conscriptum titulo:** *La vie spirituelle et l'oraison,* **agimus habemusque gratiam. Simul rogamus ex animo Deum, ut vobis ad persequendum sanctissimi instituti propositum semper adsit, suique amoris suavitate acerbitatem praesentium molestiarum mitiget. Auspicem caelestium bonorum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecta filia, et sororibus tuis universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.**

Datum Romae apud S. Petrum, die v Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de retractata germanica Bibliorum versione AUioliana eaque in vulgus spargenda.

DILECTO FILIO

AUGUSTINO ARNDT SACERDOTI E SOC. IESU

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Edita typis Friderici Pustet, reddita sunt Nobis volumina, quae Francisci Allioli, canonici Augustani, germanicam Bi-

bliorum versionem a te cum adiectis commentariis retractatam continent: opportunum sane opus, quodque doctrinam, iudicium pietatemque tuam non vulgarem testetur. Novimus enim te apud prudentes in sacris litteris viros laudari, quod Alliolianam lucubrationem ita reconcinnaris, ut nihil iam in ea desideretur, quod aut hodierna horum studiorum ratio exigat, aut ad fructuosam divinarum sententiarum intelligentiam faciat. Hoc autem labore tuo pergratum Nobis accidit praeclaras christiano populo quaeri utilitates, spargendis in vulgus, ut intelligimus, tenui pretio libellis, qui Novum Testamentum Veterisve partes exhibeant. Vehementer cupimus huiusmodi urgeri industriae genus, quo animarum non minus incolumitati quam emolumento consulitur in re gravissima: quippe prohibetur ne in lectione Scripturarum, quales ab heterodoxis diffundi solent, imperiti homines perniciem pro salute inveniant. Tu vero, dilecte fili, gratae voluntatis Nostrae significatione fruere; ex eaque porro sume animum, ut in sacris doctrinis bonos facultatis tuae fructus efferre, Deo iuvante, pergas. Interea caelestium munerum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius Papa X gratias persolvit Imperatori Germaniae de oblato primo volumine operis Sacrarium Xystinum illustrantis.

AUGUSTISSIMO SERENISSIMOQUE PRINCIPI
GUILELMO
GERMANIAE IMPERATORI BORUSSIAE REGI ILLUSTRI

PIUS PP. X

Augustissime et serenissime Imperator, salutem et felicitatem.

Primum operis volumen, quod ad Xystinum illustrandum sacrarium Ernestus Steinmann, doctor, edere est aggressus, pergrate a Maiestate Tua dono suscepimus, gratiasque Eidem quam plurimas de praeclaro munere agimus. Novum inde haurire placet argumentum humanitatis urbanitatisque, quae in praenobili ac munifico Maiestatis Tuae animo elucent ac splendent; libetque gratulari etiam vehementer quod ad rem tanti tamque explorati decoris favorem omnem ac liberalitatem Tua Maiestas contulerit. Id interea gaudemus, doctoris Germanici studio novum artis monumentum e Vaticanis aedibus fuisse profectum, semperque id genus opera in, eruditis Germaniae viris laudabimus, quum non minus eadem ad Nostram illustrandam Sedem, quam ad comparandam Imperio isti gloriam conducant. Maiestati Tuae omnique Augustae Ipsius Domui faustissima quaeque exoptamus, Deumque adprecamur ut Maiestatem Tuam incolumem diutissime servet.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex laudibus exornat Opus a S. Francisco Salesio nuncupatum pro fidei tuitione.

DILECTIS FILIIS
IOSEPHO CHAPELIER ANTISTITI NOSTRO URBANO
AC PRAESIDI TOTIUS OPERIS
A SANCTO FRANCISCO SALESIO NUNCUPATI
CETERISQUE EIUSDEM OPERIS SODALIBUS
PARISIOS

PIUS PP. X

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex opere, cui a S. Francisco Salesio nomen, iucunditatem parem, id est longe maximam, hausimus ac Nostri in Pontificatu Decessores Pius IX et Leo XIII fel. rec. Sodalitas namque, in qua cum fructu lectissimo vestra se probat industria, in id propositum incumbit egregie, ut pretiosam fidei haereditatem incolumem servet atque ab inimica tueatur haeresi: habetque propterea abunde quare et Nobis laetitiam iniiciat, qui fuimus ad munus tutandae fidei assumpti, et a Nobis laude summa exornetur. Magnum quidem ac nobile propositum: attamen non infra rei dignitatem voluntas sodalium est. Hanc vobis voluntatem effuse gratulamur, atque eo libentius gratulationem Nostram coetui vestro tribuimus, quod utilitates, ut diximus, eaeque uberrimae patent collatis eiusdem viribus partae. Spes autem Nos tenet debere sodalitatis emolumenta quotidie augeri, eorum accrescente sollertia qui nomen eidem dederunt. Spes etiam non tenuis est plurimos e catholico grege allaturos coetui opem, ubi primum perspecta vulgo patescant vestra consilia. Nos vero quibus obscurum non est, quo universi incensi estis, divinae gloriae studium, perstantes vos in coeptis exoptamus, id ratos numquam defutura erga vos benevolentiae Nostrae argumenta.

Interim gratum vobis de petriana stipe animum testamur, divinarumque gratiarum auspicem, Apostolicam Benedictionem singulis vobis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius Papa X laetatur consilio edendae ephemeridis in Collegio Pio latino Americano de Urbe.

DILECTIS FILIIS

ALOISIO CAPPELLO S. I.

MODERATORI COLLEGII PII LATINI AMERICANI IN URBE

EIUSDEMQUE COLLEGII ALUMNIS

PIUS PP. X

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnam equidem habet utilitatem inter alumnos qui in Collegio Latino Americano degunt eosque, qui, confecto studiorum curriculo, in patriam remearunt, coniunctionem animorum servari ac veluti operis communionem. Hinc enim qui adhuc formandi sunt stimulos sibi adiici sentiunt ad fructus eruditionis rite percipiendos. Inde vero, qui iam sacro ministerio in patria occupantur, exactos in ephebeo annos memoria repetentes, suscepta ibi proposita instaurant et alacriore studio persequuntur. Hanc in rem magnopere conferunt ephemerides, quae statis temporibus in Collegio eduntur ; quibus factorum notitia tum praesentium tum veterum alumnorum, rerumque Collegii continetur. Consilium igitur editionis eiusmodi libenti Nos commendatione honestamus. Et quia Collegium urbanum Americae Latinae haud minori, quam Decessores Nostri, benevolentia complectimur, faustitatem omnem illi a Domino adprecamur. Cuius sit pignus Apostolica Benedictio, quam Moderatori, Magistris, alumnis

universis tum qui sunt, tum qui fuerunt, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex laetatur de Clericorum Collegio B. Alberti Magni Friburgi in Helvetia extructo et perfecto.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTINO EPISCOPO S. GALLI

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Novum Beati Alberti Magni collegium, sodalitatis a S. Pio V curis, extructum perfectumque Friburgi esse, magna consolatione animi accepimus. Auctus enim aetate hac nostra est disciplinarum omnium cultus et prolata vis: nemoque propterea rectus aestimator temporum oportere non intelligat institutionem adolescentium foveri quotidie magis, ac novis praesidiis fulciri. Id quidem, si ad omnium ordinum consociationis humanae commodum accurare necesse est, at maiore certe enitendum est studio pro sacri incremento ordinis. Quam ob rem tibi collegisque in Episcopatu tuis, de profectu religioso populi ac de amplificando catholici nominis decore valde sollicitis, itemque laudatae Sodalitati gratulamur, quod nova istis pateat incumbentibus in studia clericis domus ad omnem recentioris humanitatis sanaeque doctrinae progressionem informata. Nec minus gratum est, invitari ad celebrandas Athenaei scholas non vestrarum modo dioecesum iuvenes, sed etiam exterarum; id quod, in Helvetiis plane pulchreque congruit cum tradita a maioribus consuetudine hospitii, cum christianaeque libertatis sensu, unde eorum, qui rem publicam civitatemque administrant, instructi animi sunt.

Est autem memoratu heic iucundum, voluisse Nos theologiae in collegio studia a sodalibus Dominicanis tradi, qui honestissimas scientiae, imprimis sacrae, consecuti laudes, securitatem iniiciunt magisterii, habentque domesticum in theologia lumen divum Thomam Aquinatem, quem non principem solum, sed scholarum sacrarum ducem magistrumque et Leo XIII Decessor iussit esse, et Nos, cum uberrimi certitudine emolumenti, confirmavimus. Nullum ad haec dubium esse potest, cordi futurum tibi laudatisque Pastoribus doctrinarum tam bene sollicitis, simul pietati enutriendae adolescentium sedulam dare operam, quippe non prodest in sacro clero sine pietate scientia ; prodest autem, et nullam reperit meliorem sui ad lucrandas animas artem, si comitem habeat religionem.

Testem benevolentiae Nostrae, divinorumque munerum auspicem Apostolicam benedictionem tibi, Episcopis Helvetiae singulis ac Pianae sodalitati peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Februarii a. MCMVI, **Pontificatus Nostri tertio.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X monet Hispanos de officio adeundi comitia pro rei publicae administratoribus eligendis.

VENERABILI FRATRI VICTORIANO
EPISCOPO MATRITENSIUM
VALENTINORUM ARCHIEPISCOPO PRAECONIZATO

MATRITUM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter catholicos Hispaniae concertationes quasdam novimus esse ortas, quae veteres partium discordias haud parum,

postremis hisce mensibus, acuerunt. Concertationum autem occasio studiose quaesita est ex binis scriptionibus, quae in commentario *Razón y Fe* **prodierunt de officio catholicorum adeundi comitia ad eligendos qui publicam rem administrent deque ratione in competentium electionibus habenda.**

Equidem scriptiones hasce cognosci ambas voluimus, nihilque in illis occurrit, quod non a plerisque nunc de re morum doctoribus tradatur, Ecclesia non damnante nec contradicente. Nulla igitur subest ratio cur animi adeo exardescant: quamobrem optamus ac volumus ut orti dissensus diuque nimium nutriti penitus tollantur. — Quod profecto eo vel magis desideramus, quod, si alias unquam, nunc certe maxima opus est catholicorum concordia.

Meminerint omnes, periclitante religione aut republica, nemini licere esse otioso. Iamvero qui rem seu sacram seu civilem evertere nituntur eo maxime spectant ut, si detur, capessant rem publicam legibusque ferendis designentur. Catholicos idcirco periculum omni industria cavere oportet : atque ideo, partium studiis depositis, pro incolumitate religionis et patriae operari strenue ; illud praecipue adnitendo ut tum civitatum, tum regni comitia, illi adeant, qui attentis electionis uniuscuiusque adiunctis necnon temporum locorumque circumstantiis, prout in memorati commentarii scriptionibus probe consulitur, religionis ac patriae utilitatibus in publica re gerenda prospecturi melius videantur.

Haec te, Venerabilia Frater, haec ceteros Hispaniae Episcopos monere populum atque hortari cupimus atque eiusmodi inter catholicos concertationes in posterum cohibere prudenter.

Auspicem vero divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem universis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Februarii anno MCMvi, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

SS. D. Nostri Pii div. prov. Papae X, de ratione studiorum Sacrae Scripturae in Seminariis Clericorum servanda.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* **recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent » (i). In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:**

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermenéuticas; deinde historiam utriusque Testamenti ; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates fe-

ti) Cfr. *Acta S. Sedis,* **vol.** 26, **pag.** 269.

rent : ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi:

eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab agiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria ». (Litt. Encycl. *Providentissimus).*

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* **continentur.**

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* **historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.**

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, **dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.**

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxvii Martii anno MDCCCCVI, **Pontificatus Nostri tertio.**

L. ✠ S. **A. Card.** MACCHI

DECRETUM

Quo ad totam Germaniam extenditur lex Tridentina de clandestinitate, necnon declaratio Benedictina adHollandos (i).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina (2) **clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput** *Tametsi* **non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima**

(1) **Cfr. Conc. Trid.** ***(Sess.*** *24,* ***cap. i, de Reform, matr.),*** **et declaratio cum instructione S. C. Concilii diei** 4 **Novembris** 1741 **super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda. Haec declaratio iam in quibusdam Imperii Germanici dioecesibus aliisque in regionibus vigebat, prout videre est penes Gasparri** ***De matrimonio, vol.*** *2,* ***pag. 536 (N. R.).***

(2) **Sess.** XXIV, **cap. i,** ***de Reform, matr.***

in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* **Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint (i).**

(i) HOC **modo integra quoque Germania legi clandestinitatis a Conc. Trid.** ***(Sess. 24, cap. r, de Reform, matr.)*** **generatim inductae subiicitur** ***(N. R.).***

II. — Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* **certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.**

III. — Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel con-

trahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint (i).

IV. — Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvni Ianuarii MDCCCCVI, **Pontificatus Nostri anno tertio.**

PIUS PP. X

SERMO

Pii X Pont. Max. habitus die XXI Februarii MDCCCCVI ad electos Episcopos quum insignia dignitatis imponeret.

Pastorali animo Nostro, acerba aegritudine iampridem affecto, opportunum sane solatium et quasi incunditatem affert, hodierna die, conspectus vester; ipsis enim vos amantissimis Pauli Apostoli verbis consalutare libet: *Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea* **(Philipp. IV, i).** *Gaudium* **quidem, quia una Nobiscum ad sustinendos apo-**

(i) Omnibus compertum est iure communi, quo nunc regimur, etiam matrimonia mixta quae inter catholicos et haereticos vel schismaticus, necnon matrimonia quae inter ipsos acatholicos contrahuntur, legi clandestinitatis subesse. Quapropter si praefata coniugia non celebrentur coram Ecclesia seu coram parocho proprio et duobus vel tribus testibus nedum sunt illicita sed etiam ipso iure nulla. Hodierna vero dispositione, sub n. 2 et 3 contenta, huiusmodi matrimonia clandestina, quantumvis illicita, valida tamen in posterum pro Germania declarantur. Praeterea duae conditiones, quae inibi apponuntur, ex se patent. Prima enim in hoc consistit ut aliud non extet impedimentum matrimonii dirimens, quia secus coniugium ex hoc capite irritum esset; hinc, quoties huiusmodi impedimentum vi pontificiae dispensationis auferri valeat et revera auferatur, etiam clandestinum matrimonium validum est censendum. Altera conditio in eo est ut mutuus coniugum consensus .perseveret, quum ipso deficiente idem matrimonialis contractus concipi nequit *(N. R.).*

stolici ministerii labores vocati, adiutricem Nobismetipsis operam strenue naviterque, Deo bene iuvante, praestabitis. *Corona-* **item ; namque doctrinae laude, pietate, ceterisque virtutibus, quibus quisque vestrum praefulget, splendidum Ecclesiae Dei ornamentum affertis. — Ergo sic state in Domino, carissimi, et gaudete. Hoc enim divinae proprium est Providentiae efficere, ut quos ipsa animarum pastores instituat, ii etiam appareant et emergant divinitus confirmati, et tamquam induti ab alto incredibili quadam virtute, quae nullo unquam hominum impetu vel rerum vicissitudine frangi possit aut debilitari. — Verum quidem est, episcopale officium, angelicis humeris formidandum, innumeris sane, quovis tempore, tum laboribus tum curis tum anxietatibus obnoxium esse; in praesenti autem plura extare, quae huius ministerii muneribus augeant gravitatem. Est enim in luce atque in oculis omnium posita, cunctisque explorata et cognita, luctuosa Ecclesiae ac religionis conditio. Magna nimirum tristitiae caussa, tam esse multos, quos errorum pravitates atque in Deum protervia longe abducant agantque praecipites ; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aeque habentes, divinam iam iam exuere fidem videantur; neque ita paucos etiam inter homines catholicos esse, qui nomine quidem religionem retineant, re tamen debitisque officiis nequaquam colant. — Multo autem gravius angit et vexat animum calamitosa maiorum pernicies, inde potissimum orta, quod passim in temperatione civitatum non solum ullo iam loco censetur Ecclesia, sed virtuti eius, multis modis saluberrimae, dedita opera, repugnatur: qua in re apparet magna quidem et iusta vindicis Dei animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinit hebescere.**

Quapropter, si tot tantisque prementibus malis, apostolici ministerii onus modo vobis imponere per Christi Iesu verba compellimur : *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* **(Matth. X,** 16) **; ea vos semper memineritis vehementer hor-**

tamur, quae hoc ipso loco idem Christus Apostolos suos edocuit. Estis *oves;* **sed quum ovium propria sit lenitas, videte quibus velut armis in ipso Religionis vestraeque dignitatis osores constanter uti debeatis, videlicet benignitate, caritate, patientia.** *Estote,* **subdidit Ille,** *simplices sicut columbae.* **Verum eiusmodi simplicitas, uti perspicuum est, calliditates omnes, simulationes ac dolos, quae Ecclesiae hostibus communia sunt, nimisque apta ad nocendum auxilia, prorsus excludit. Nec tamen Magister optimus id reticuit :** *Estote prudentes, sicut serpentes ;* **nempe in omnibus assidue vigilantes ; versutas adversariorum artes caute metuentes; providentes sedulo ne ulla causa speciesve ad calumniam vel offensionem ex actibus vestris arripi queat; iustitiam denique, fidem et innocentiam, non modo cum bonorum iactura, sed et cum vitae ipsius despectu tuentes magnanimi.**

Summopere autem oportet, ut Ecclesiae pastores solliciti sint eum inter se omni studio omnique ope servare animorum consensum, cuius vi nullus seorsim velle possit quod universim omnes felici quadam necessitate non velint. Neminem enim latet, eiusmodi animorum voluntatumque consensionem maximum veluti praesidium ac vere robur nostrum efficere, ex eaque, uberi copia-, quae maxime necessaria sunt ad ministerii nostri munia perficienda, adiumenta manare. — Christus enim ita Ecclesiam constituit, ut ex unitate ipsa, qua invicem membra connectuntur, usquequaque fortis evaderet; ideoque in Scripturis sanctis Ecclesia exercitui comparatur ad bellum instructo, et terribilis commendatur ut acies* ordinata castrorum quum ex adverso, teste Augustino, triumphus daemonum est dissensio christianorum ; luculenteque ex oraculo Christi : *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* **(Luc. XI,** 17). **Et reapse, quum acerrimi Ecclesiae fideique hostes in id potissimum animum intendant, ut mira haec unitas dissolvatur, nihil est quod infectum deserant ad**

oves a pastoribus disiungendas ; atque eo nequitiae procedunt, ut ipsos inter pastores dissidia optent exurgere.

Haec itaque vobis ante omnia cordi sit, tam excellentium bonorum effectrix, unitas. Stemus simul, auspice summo Pastorum Principe, ut invalescentes quotidie Crucis inimicos felicius concordi oppugnatione profligemus, et sacrosanctum Fidei depositum, facto velut agmine, quaquaversus circumvallemus. — Neque dubitamus, quin inclita Gallorum gens, communium rerum misere nutantium cogitatione permota, Ecclesiae pastoribus ex animo adhaerescens, iisque, ut par est, obtemperans, id pro viribus actura sit, ut nempe patribus illis maioribusque suis, generosis Ecclesiae catholicae filiis, sese plane dignam exhibeat.

Quod si in trepidis afflictisque christiani nominis rebus unicum aerumnarum ac sollicitudinum perfugium in Omnipotenti Deo quaerendum, ut laboranti Ecclesiae suae praesens opituletur, eique depugnandi virtutem et triumphandi potestatem impertiat; hoc superest, ut Dei ipsius opem certatim omnes imploremus, precatoresque ad Eum adhibeamus gloriosissimam Virginem Mariam, caelitesque Galliae Patronos.— Communibus ipse votis benignus annuat; ipse optatissimo tranquillae libertatis munere Ecclesiam soletur; ipse cunctis Galliae catholicis, quos paterna caritate complectimur, veram ex fide solidamque pacem et prosperitatem restituat.

MOTU PROPRIO

Quo Collegium Cantorum Xystini Sacrarii rectius constituitur ac proprio statuto ornatur.

PIUS PP. X

Tutte le istituzioni umane, destinate al conseguimento di un dato fine, sono generalmente guidate da statuti e regolamenti i quali, nel disporre dei mezzi atti a raggiungere lo

scopo prefisso, debbono adattarsi alle condizioni ed alle circostanze in cui gli statuti stessi sono elaborati e scritti. Ma coll'andar degli anni le condizioni, in parte od in tutto, vengono a variare ; e le istituzioni medesime, pur tenendo fisso l'intendimento di chi le fondò, sono costrette a modificare gli statuti in tutti quei particolari divenuti incompatibili con le mutate esigenze.

Tali esigenze si manifestano per lo più o con le frequenti infrazioni ai regolamenti (infrazioni difficili ad impedirsi del tutto), ovvero per essere divenute intollerabili costumanze, comportevoli in altri tempi. Modificare gli statuti in questi casi, è non soltanto cosa opportuna, ma necessaria. E molto bene ciò intese per ciò che riguarda i cantori della Nostra Cappella il Nostro venerato predecessore Leone XIII il quale, non ostante che per la Costituzione di Paolo III *Romanus Pontifex* in data 17 novembre 1545, per la Costituzione di Sisto V *In suprema militantis Ecclesiae* in data 1 settembre 1586, per quella di Clemente XIII *Cum retinendi* in data 31 agosto 1762, e per altri atti pontifici, il corpo dei Cantori della Cappella Papale fosse costituito come un vero Capitolo ecclesiastico, pur tuttavia alla proposta insistente presentatagli dal Direttore della Cappella volentieri annuì, e con un regolamento approvato nel marzo 1891 concesse per coloro che non avevano gli ordini maggiori, la dispensa dal celibato. Con ciò venne dunque a cessare di fatto la partecipazione dei dispensati ad un Collegio canonicale, mancando per essi una delle qualità necessarie pel conseguimento di un beneficio ecclesiastico.

Nè deve dimenticarsi inoltre che lo stesso Pontefice Leone XIII di s. m. con decreto del 3 febbraio 1902 volle stabilire che d'allora innanzi le parti per voci acute, fatta eccezione per i cantori ancora in carica, fossero, come è naturale, sostenute dai giovanetti.

Non volendo pertanto che perduri una posizione transi-

toria ed ambigua, ed un sistema non più conforme all' esigenze del tempo presente, e stando a Noi sommamente a cuore il decoro del canto ecclesiastico nel culto divino, abbiamo voluto dotare la Nostra Cappella Musicale di un nuovo *Regolamento* **più consentaneo agli attuali bisogni, col quale tutte le precedenti costituzioni e tutti i precedenti privilegi vengono abrogati e soppressi.**

A questo Regolamento pertanto, che pubblichiamo di moto proprio e di certa scienza, con la pienezza della Nostra Autorità Apostolica per mezzo del presente Nostro Chirografo ordiniamo che debbano d'ora innanzi i componenti la Cappella Musicale Pontificia esattamente attenersi.

REGOLAMENTO DELLA CAPPELLA MUSICALE PONTIFICIA (i)

I. *Della costituzione della Cappella.*

Arc. i. La Cappella Sistina si compone:

a) di un Maestro Direttore,
b) di un Vice-Maestro,
e) di due primi tenori e due primi bassi,
d) di tre secondi tenori e tre secondi bassi,
e) di tre tenori e tre bassi soprannumeri,
f) di trenta ragazzi,
g) di un segretario archivista.

Dovendo essere il coro composto sempre di voci fresche e nella pienezza dei mezzi vocali, le nomine dei cantori adulti si faranno con scrittura di cinque anni. Sulla riconferma per i quinquennii successivi delibererà un'apposita Commissione.

II. *Dei concorsi ed esami per i cantori.*

Art. 2. I posti della *Cappella Sistina* si conferiscono dietro concorso ed esame. La Commissione per gli esami e per le ricompense sarà composta dal Maestro Direttore, dal Vice-Maestro e da altri tre membri da eleggersi volta per volta da Mons. Maggiordomo, o dal Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, se a questi ne fosse deferito l'incarico.

(i) Peculiaribus de causis, quae lectores nostros praesertim Italiae minime latent, in hoc statuto edendo nonnulla omittere debemus ***(N. R.).***

Art. 3. I *sacerdoti,* gli antichi *alunni* della *Schola puerorum,* a parità di merito, avranno la precedenza.

Art. 4. Ogni concorrente al posto di cantore, oltre ad un saggio sulla estensione e qualità della propria voce, dovrà dare l'esame su le seguenti materie :

a) solfeggio cantato sul setticlavio e dettato musicale,
b) esecuzione a prima vista di un pezzo polifonico,
c) teoria ed esecuzione del canto gregoriano.

Art. **5.** Dovrà ogni singolo concorrente presentare la Fede di Battesimo e gli attestati di buona condotta, rilasciati dal Parroco e dal Sindaco.

III. *Del Maestro Direttore.*

Art. 6. Il Direttore veglia al buon andamento morale ed artistico della Cappella; ed in caso di ripetute mancanze dei Cantori, riferisce per gli opportuni provvedimenti a Mons. Maggiordomo, o al Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici.

Art. 7. Dovrà il Maestro Direttore far eseguire, oltre alle melodie gregoriane, le migliori composizioni della polifonia classica; potrà tuttavia fare uso anche della musica sacra moderna, purché scritta a voci sole.

IV. *Del Vice-Maestro e* Magister puerorum.

Art. **8.** E affidata in via ordinaria al Vice-Maestro la scuola dei ragazzi, che egli dovrà reggere ed istruire secondo uno speciale regolamento.

Art. 9. Dovrà dirigere la Cappella in assenza del Maestro, cosi nelle prove, come nelle esecuzioni, ed impartire la necessaria istruzione ai cantori.

Art. 10. Il Vice-Maestro deve trovarsi presente a tutte le prove ed esecuzioni dirette dal Maestro Direttore.

Art. 11. Sarà obbligo del Vice-Maestro, senza alcun compenso speciale, di ridurre in nota moderna le antiche partiture dell'archivio della Cappella, ora custodite nella Biblioteca Vaticana, che potessero occorrere per le esecuzioni o per le esercitazioni.

V. *Dei Cantori. — a)* Tenori e bassi.

Art. 12. I cantori avranno il titolo di *cantori pontifici.*

Art. i3. I cantori hanno l'obbligo di intervenire a tutte le esercitazioni, prove ed esecuzioni indette per ordine del Maestro, e di astenersi

dal prestare servizio in altre chiese durante gli otto giorni che precedono qualsiasi esecuzione.

Art. 14. In caso di assenza per malattia, dovranno presentare l'attestato del medico.

Art. i5. I cantori pontifici nelle funzioni indosseranno sottana, fascia, collare di seta pavonazza e cotta di soprariccio ; del quale abito dovranno provvedersi a proprie spese.

Art. 16. Si permette e si consiglia ai cantori di esercitare altre professioni all'infuori di quella musicale.

b) Ragazzi.

Art. 17. Pei ragazzi provvede un apposito regolamento.

VI. *Della disciplina da osservarsi durante le sacre funzioni.*

Art. 18. I cantori, ricevute le-parti dal Segretario, si troveranno nella cantoria un quarto prima dell'ora fissata per le funzioni.

Art. 19. Osserveranno il più assoluto silenzio durante le funzioni.

VII. *Del Segretario.*

Art. 20. Il Segretario ha cura dell'Archivio usuale della Cappella.

Art. 21. Distribuisce e raccoglie le parti durante le funzioni e le prove.

Art. 22. Intima le ore delle prove e delle funzioni.

Art. 23. Assiste a tutte le prove ed esecuzioni, ed in ogni tempo deve tenersi a disposizione del Direttore.

Art. 24. Il Segretario redigerà diligentemente il diario della Cappella, sottoponendola alla fine di ogni anno all'approvazione dei Superiori.

VIII. *Delle pensioni.*

Art. 25. il cantori che avranno potuto conservare la voce e prestare servizio per sei quinquenni, si ritireranno con la pensione corrispondente ai quattro quinti dello stipendio.

IX. *Dei cantori onorari.*

Art. 26. Gli amatori di canto sacro che avessero per tre anni prestato grazioso servizio nelle Cappelle, avranno, dietro esame, il titolo di cantore pontificio onorano.

X. *Delle sanzioni.*

Art. 27. A Mons. Maggiordomo, o al Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, sono affidate le sanzioni in caso di qualsiasi trasgressione al presente regolamento.

XI. *Elenco delle funzioni alle quali partecipa la Cappella Musicale Pontificia.*

Art. 28. La Cappella Musicale Pontificia presterà servizio nelle funzioni che hanno luogo nelle seguenti ricorrenze:

i. Immacolata Concezione di M. V.; 2. Natale di N. S. G. C.; 3. Circoncisione; 4. Epifania; 5. Purificazione della B. V.; 6. S. Giuseppe; 7. Annunziazione della B. V.; 8. Settimana Santa; 9. Pasqua di Resurrezione; 10. Ascensione di N. S. G. C; 11. Pentecoste; 12. Corpus Domini; i3. S. Pietro; 14. Tutte le Domeniche dell'anno, eccetto le Domeniche dal i° luglio al 3i ottobre e la i[a], 2[a] e 3[a] Domenica dopo Pasqua; i5. Anniversario della morte del Sommo Pontefice defunto; 16. Anniversario della Incoronazione del Sommo Pontefice; 17. Concistori pubblici; 18. Funerali dei Sovrani e degli Emi Cardinali; 19. Tutte le cerimonie solite a farsi prima, durante e dopo il Conclave; 20. Qualunque altra funzione, anche straordinaria, indetta per ordine di Sua Santità.

XII. *Degli attuali componenti la Cappella.*

Art. 29. Gli attuali componenti la Cappella, dal giorno in cui sarà ad essi comunicato il presente Motu-Proprio, saranno sottoposti al nuovo regolamento (conservando gli onorari fin qui percepiti) finché spiri il trentennio del loro servizio : dopo il qual tempo godranno della pensione intera.

XIII. *Propine e Cassa di sovvenzioni.*

Art. 3o. Le propine solite a percepirsi dai Cantori, saranno d' ora innanzi divise nel modo seguente: della somma in ciascuna circostanza dovuta alla Cappella, otto parti andranno alla scuola dei ragazzi, tre parti al Maestro Direttore, due parti al Vice-Maestro, due a ciascheduno dei primi tenori e primi bassi presenti, due al Segretario ed una per ciascheduno agli altri cantori pontifici presenti.

Art. 3i. Mons. Maggiordomo, o il Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, amministrerà il fondo della Cassa sovvenzioni già esistente, e ne regolerà la distribuzione della rendita, come per il passato.

Dato nel Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno 20 giugno 1905, del Nostro Pontificato anno secondo.

PIVS PP. X

MOTU PROPRIO

De examinibus ordinandorum Regularium in Italia et in insulis eiusdem ditioni subiectis.

PIUS PP. X

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus pràepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die iv Novembris MDCCCXCII, **prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu ; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » (i). Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat : nam Sess. xxin, Cap. vii de Reform, haec habet generatim: «Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet » ; nominatim autem de Regularibus**

(i) Cfr. Decretum ***Auctis admodum*** **relatum in** ***Actis S. Sedis,*** **vol.** 25, **pag.** 312.

eiusd. Sess. Cap. xn: «c Regulares non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset; idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die xvi mensis Iulii Motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri (i).

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei : sublato, ad hiinc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motuproprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xix Martii anno millesimo noningentésimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 8, necnon pag. 354-

= r ^ . ^ e ^ ^ - < = =

EX SECRETARIA STATUS

Vaticana editio Kyrialis gregoriani vere et proprie authentica declaratur.

Eme ac Revme Domine mi Obme,

Vaticana Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita quidem, ut pronum sit credere, minus iustas de eius indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud Beatissimus Pater iussit me declarare Tibi, Vaticanam editionem Kyrialis non equidem esse emissam, ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam, ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Huiusmodi autem authenticitatis character communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus, si quando, Sanctae Sedis iudicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eaedem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater iucunde est affectus.

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te existimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor, ac permaneo

Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus vere famulus
R. Card. MERRY DEL VAL

Romae, die xxvi Ianuarii a. 1906.

Dno **Cardinali** ANTONIO FISCHER,
Archiepiscopo Coloniensium.
Coloniam Agrippinam.

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Quo damnantur quaedam opera a Viollet, Laberthonnière et Fogazzaro edita.

Feria V, die j Aprilis 1906.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 5 **Aprilis** 1906, **damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera :**

PAUL VIOLLET, *L'Infaillibilité du Pape et le SyIlabus. Etude historique et théologique. Besançon-Paris, 1904.*

L. LABERTHONNIÈRE, *Essais de Philosophie religieuse. Paris, s. d.*

— *Le Réalisme chrétien et VIdéalisme grec. Paris, s. d.*

ANTONIO FOGAZZARO, *// Santo. Romanzo. Milano, ipoy.*

NICOLAUS IOZZELLI **decreto S. Congregationis, edito die** 12 **Decembris** 1905, **quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.**

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 5 **Aprilis** 1906.

ANDREAS **Card.** STEINHUBER, *Praefectus,*

L. S. **Fr. Thomas Esser,** *Ord. Praed., a Secretis.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CARTHAGINEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Invalidum declaratur matrimonium ex capite metus reverentialis gravis.

Factispecies. Die 7 **Iulii** 1892 **Berta.** 16 **annos agens rite nuptias inivit cum Titio annorum** 36. **Hoc vero coniugium infeliciter cessit, quum mulier in id haud libenter consenserit, sed a matre coacta, quae, propositi tenax atque in familia supremum exercens imperium, nihil intentatum reliquisse videtur, cum suas res familiares in peius ruere cerneret, ut propria filia in oblatas nuptias consentirei.**

Verum postquam, prima nuptiarum nocte, marito coniugale ab ea expetenti debitum nonnisi coacta cessit, postero mane ipsum reliquit atque ad suos divertit parentes ; exinde quamvis ad virum reverti coacta fuerit, cum eoque communem per quinque annos egerit vitam, diverso tamen lecto ac cubiculo usa fuisse, nec amplius coniugale explevisse debitum videtur. Tandem cum maiorem adepta fuerit aetatem, relicto iterum viro, apud parentes se recepit, non amplius ad eum reversura ; qui, petito atque obtento a laico tribunali divortio, concubinariam cum alia foemina vitam instituit.

Actrix vero die 28 **Ian.** 1904. **supplicem Carthaginensi Archiepiscopo libellum obtulit, expetens ut nullum eiusmodi matrimonium propter metum reverentialem gravem sibi a matre incussum declararetur. Precibus exceptis ac tribunali constituto, processus confectus est, recepta tum uxoris tum plurium ex parte eius iurata testium depositione. Vir citatus comparere renuit ideoque contumax declaratus fuit, nec testes exhibuit. Die insuper** 27 **Iulii sententia ab eadem Carthaginensi Curia prolata est, qua idem matrimonium nullum declaratum fuit. Ab hac tamen sententia vinculi defensor, prouti de iure, ad hanc S. C. appellavit.**

Animadversiones actricis. Ipsius patronus duobus capitibus suam defensionem absolvit, quorum in primo probare satagit matrimonium ex metu reverentiali gravi contractum nullum .esse ; in secundo vero demonstrare nititur Bertam revera metu reverentiali gravi coactam fuisse ad nuptias cum Titio ineundas.

Quoad primum recolit principium absolutum et certum in hac materia esse quod matrimonium, cum sit contractus inter liberas personas, liberas requirat contrahentium voluntates, iuxta cap. *Cum locum 14, de Sponsalibus.* **Observat autem quod cum lex non distinguat inter metum ordinarium et reverentialem, huic eadem applicanda sunt principia, eaedemque proinde debent esse consequentiae. Quapropter metus reverentialis matrimonium irritabit si gravis fuerit, nempe si uti causa determinans et principalis actus ab agente positi existat, habita ratione personarum, circumstantiarum et ambitus in quo metus exercetur. Unde ad metum reverentialem gravem constituendum necesse non erit ut adsint minae, verba contumeliosa, iniuriae et convicia, cum aliis ipse stipatus esse possit circumstantiis, quas auctores appellant preces instantissimas, persuasiones diuturnas et importunas etc., quae quidem non minus super voluntate agunt.**

Hanc autem esse iurisprudentiam receptam quoad matri-

monium contrahendum, probat ex S. Rota coram Emerix *Decis. 8jo, n. y* **; et coram Ludovisio** *Decis. ßJ4> n.* 7 ; **necnon ex S. H. O. in** *Lünen, seu Sarsanen.* 22 **Iunii** 1833, *Ianuen.* 27 **Apr.** 1844, *Casanadien.* 30 **Iulii** 1863, **et** *S. Iacobi* 26 **Nov.** 1863. **Denique in medium affert ea quae circa metum reverentialem scribit Gasparri** *(Tract, de matr. II, n. 81*X**), Sánchez** *(IV, 14, n. ij, 26),* **Reiffenstuel** *(I, 40, n. pj)>* **Engel** *(IV, § f, n. 4),* **Pignatelli** *(tom., IX, cons. ijo, n. ip)*, **Clèricatus** *(Dec. jy, n. 24),* **Santi** *(IV, i, n. 144)* **et in voto** *Tolentinaten.* 17 **Apr.** 1869.

Ad aliud caput descendens advocatus, ex tabulis processualibus ac testium depositionibus evincere satagit actricis matrem huiusmodi matrimonium voluisse, e contra ipsam oblatas nuptias horruisse ac respuisse. Et facile quidem, ait patronus, firma matris voluntas explicatur, si attendatur utilitas qua ad idem matrimonium perficiendum ipsa impellebatur; nam hoc modo conabatur instaurare suam oeconomicam positionem, quae magis in peius ruere perspiciebat. Perpendit praeterea in casu nec defuisse verbera et minas, quae reverentialis metus limites excedunt. Nec omitti debet, prosequitur, de adolescentula agi quindecim annorum, cuius precibus, lacrymis ac querelis non pepercit eius praesertim mater, quae e contra omnia egisse videtur ut repugnantiam ac odium filiae in propositum virum vincerei.

Deinde patronus ut magis magisque ostendat coactionem fuisse exercitam, perpendere satagit circumstantias quae idem matrimonium antecesserunt, comitatae ac subsecutae sunt. Mulier enim ante nuptias non sine verberum periculo iniuriis ac contumeliis futurum sponsum affecit. In ipsa nuptiarum die lacrymans ac moesta fuit ; post nuptias nonnisi vi mortisque minis coniugale debitum reddidit, et alia gessit quae nullo matrimoniali vinculo devinctam se putasse ostendunt.

Postremo advocatus pergit ad refellendas difficultates a

Defensore vinculi Carthaginensi motas et praesertim ex nonnullis testium depositionibus depromptas.

Animadversiones defensoris vinculi. Vindici sacri matrimonii non satis perspecta factum atque entitas adserti metus videntur. Et quidem primum argumentum desumit ipse ex capite, uti vocant, procedurae, cum scilicet desit depositio viri, ex cuius proinde contumacia eiusque testium defectu frustra ait advocatum contendere nullum oratrici argumentum contrarium colligi. Aliud argumentum ex eo repetit quod mulieris enarratio haud sibi talis videtur, ut rationes de ea dubitandi excludat, prout requiritur cum de metu reverentiali agitur, utpote de facto eminenter subiectivo. Siquidem, iuxta ipsum, mulier ita describit celebrationem coniugii ut ex tunc idem prout illegitimum seu invalidum habuerit, quum pure et simpliciter enarrare debuisset se sub influxu talium factorum, ut scilicet matri obsequeretur, matrimonium contraxisse. Tertium argumentum sibi suppeditari ait ex. depositione parochi qui matrimonio benedixit, quique sub iuramento edixit nihil de illata vi puellae audivisse, nullumque scrupulum fovisse quominus eam ad matrimonium admitteret neque in celebratione matrimonii contrarium ipsam exhibuisse signum.

Dubium. *An sententia Curiae Archiepiscopalis Carthaginensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. S. Congr. Concilii, omnibus rite perpensis, die 16 **Decembris** 1905 **respondendum censuit:**

Sententiam esse confirmandam.

Colliges. 1°. Praeter metum ordinarium, etiam metus reverentialis gravis, qui videlicet sit causa principalis ac determinans consensus, nuptias irritas reddit, quia ita super voluntate agit, ut eam invitam ad consentiendum impellat.

2°. **Quamvis per se timor reverentialis non immerito gravis existimetur, cum aliquis patris aut domini indignationem metuit, licet absint verbera aut minae; in foro tamen externo huiusmodi indignatio non praesumitur esse malum grave ne-**

que pro puella, nisi iurgia, minae etc. vel saltem preces importunae et instantissimae accedant.

3°. In themate satis constat gravem metum passam fuisse puellam minoris aetatis mitisque indolis a matre auctoritaria, quae non solum precibus importunis et instantissimis sed minis quoque ac verberibus eam ad nubendum coegit.

ISERNIEN.

IUBILATIONIS

Denegatur oratori indultum iubilationis sed conceditur gratia dispensationis a servitio chorali.

Species facti. Caietanus Laliccia, canonicus Cathedralis ecclesiae Iserniensis, attento continuo ac laudabili chori servitio per 40 annos, primum uti cappellanus hebdomadarius seu mansionarius deinde uti canonicus, attentaque etiam devexa eius aetate, iubilationis indultum suppliciter petit.

At oratoris petitioni refragatur eiusdem ecclesiae Capitulum sequentes ob causas: 1°. Quia servitium chorale praestitum ab oratore uti hebdomadario cumulari nequit cum canonicali servitio ad effectum obtinendi gratiam iubilationis, quum hebdomadariatus non sit verum beneficium sed tantum officium amovibile ad nutum Capituli, veluti patet ex resolutione huius S. C. in *Isernien.* 27 Iunii 1857; 2°. Quia ex gratiae concessione grave damnum choro et divino cultui obveniret, nam ad interessendum choro quidam canonici senectute vel habituali infirmitate, alii aliis officiis impediuntur; 3°. Quia, si admitteretur haec servitii choralis cumulatio, iam alii sex canonici super undecim, quibus nunc conflatur Capitulum, invenirentur in eadem conditione obtinendi praedictam gratiam, et ita servitium chori ad nihilum redigeretur. Tamen idem Capitulum, sicut et Episcopus, plenam facit fidem de continuo et laudabili servitio ab oratore praestito.

Animadversiones ex officio. In primis oratoris preces excipiendae videntur. Quamvis enim in iure canonico nullus textus habeatur de huius privilegii concessione, tamen haec S. C. obsequens exemplo Levitarum qui in veteri Testamento ab eorum ministerio cessabant post expletum 25 **annum, nec non veteranorum militum qui vi** *leg. i Cod., De vétéran.,* **et** *leg.* 7 *Dig., De vacat, et excus.,* **liberationem a servitio militari obtinebant, eamdem liberalitatem adhibere censuit cum iis qui per** 40 **annos continuo et laudabiliter choro inservierant eos rude donando. Cfr. Benedictus XIV** *(De Syn. dioec, lib. iß, cap. p, n. j)* **et S. C. C.** *Dubia iubilationum* 24 **Sept. et** 17 **Dec.** 1718. **' Atqui de continuo et laudabili quadragenario servitio canonici Laliccia tum Episcopus tum Capitulum testantur. Hocque iubilationis indultum eo magis est concedendum, quia, uti refert Episcopus, canonicus Laliccia promittit se choro in posterum adfuturum quoties valetudinaria eius conditio sinet, et hanc gratiam tantum expostulat pro suae conscientiae quiete.**

Neque attendendae videntur difficultates a Capitulo oggestae, nam hebdomadariatus, quamvis non sit beneficium stricte sumptum, tamen dici nequit in casu officium amovibile ad nutum ipsius Capituli ; quia, uti observat Episcopus, hebdomadarii seu mansionarii removeri nequeunt nisi iusta de causa. Nec minus suffragari videntur aliae duae rationes a Capitulo adductae, tum quia aequum non est ut ex choralium aliorum negligentia orator plectatur denegatione expetitae gratiae, tum quia ipse serio Episcopo promisit, choro adfuturum quoties eius praesentia fuerit necessaria.

At ex adverso expendi potest quod, ut chorale quadragenarum servitium utile sit ad iubilationis gratiam, debet esse praestitum ab obtinente beneficium in titulum perpetuum collatum. Unde servitium praestitum a cappellanis vel officialibus choralibus cum qualitate precaria seu amovibili nullimode suffragari valet ad indultum, prout communiter do-

cent canonistae, De Herdt *(Praxis capit., cap.* ***II,*** *§ ß),* **Ferraris** *(Bibl. can., v.* **canonicus,** *art. p, n. 102),* **Acta S. Sedis,** *vol. VI, pag. 4ßo,* **et hanc praxim secutam esse H. S. C. edocetur ex pluribus eius resolutionibus et praesertim ex** *Romana-Iubilationis* 18 **Dec.** 1847. **Ibi enim res erat de concedenda iubilatione sacerdoti Bonamici, qui in titulum sacri patrimonii obtinuerat unam ex cappellanus choralibus ad nutum amovibilibus in Patriarchali Basilica Liberiana; et post expletum chorale servitium per a.** 21, **cooptatus fuerat inter beneficiatus Archibasilicae Lateranensis, in qua per annos duos super viginti deservierat. De laudabili servitio quadragenario constabat: tantum petebatur ut haec servitii cumulatio admitteretur ad effectum consequendi petitam gratiam. Proposito vero dubio:** *An sit concedendum indultum iubilationis in casu,* **responsum prodiit:** *Negative quoad iubilationem ; attenta vero senectute pro gratia ad quinquennium.*

Rescriptum. Sacra Congr. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 20 **Ianuarii** 1906 **respondendum mandavit:**

Quoad inbilationem negative ; sed attenta infirma valetudine, pro gratia dispensationis a chorali servitio, amissis distributionibus inter praesentes tantum.

Colliges. i°. Iubilationis indultum ex quadam aequitate ab Ecclesia introductum fuit in praemium et liberalitatem pro iis beneficiatis, qui continuum et laudabile quadragenarum chori servitium persolverunt.

2°. **Ad effectum vero iubilationem obtinendi non admittitur cumulatio servitii choralis praestiti, quamvis in eadem ecclesia, partim in beneficio proprie dicto seu perpetuo, partim in beneficio late sumpto seu ad nutum amovibili ; quemadmodum "in casu hodierno verificatur.**

3°. **In themate conceditur exemptio a servitio chorali ob infirmam valetudinem, cum iure lucrandi distributiones, quae vi ordinarii officii praesentibus choro tribuuntur, quaeque ordinariae seu quotidianae vocantur.**

LAUDEN.

DIVISIONIS QUOTAE FUNERARIAE

Confirmatur decretum Episcopi quoad divisionem reliquiarum cerae inter Archipresbyterum et Capitulum in casu.

Factispecies. Die 7 **Iulii** 1860 **coram H. S. C. proposita fuit quaestio inter canonicos Cathedralis ecclesiae Laudensis et eius Archipresbyterum tum super cura habituali animarum, tum super pertinentia reliquiarum cerae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter intererat. Propositis tunc dubiis:** *I. An cura, habitualis parochialis et Cathedralis ecclesiae Laudensis sit penes Capitulum in casu.* **II.** *An et ad quem spectant candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter interest in casu;* **prodiit sequens resolutio: Ad I.** *Affirmative.* **Ad II.** *Affirmative favore Capituli iuxta modum ab Episcopo de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus.*

Ab hac decisione appellavit Archipresbyter tunc temporis sed beneficium novae audientiae ei denegatum fuit. Interea Episcopus Benaglia, in executionem sibi commissi mandati quoad rationem divisionis servandam in posterum in reliquiis cerae in funeribus Capitularibus, decreto diei 18 **Sept. eiusdem anni statuit Archipresbyterum in funeribus cum interventu Capituli expletis percipere, praeter taxam aliis canonicis communem, etiam taxam pecuniariam quam in solemnibus funeribus absente Capitulo perciperet. At Archipresbyter huic decreto, absque eius consensu edito, non acquievit, sed potius adlaboravit ut nova fieret compositio, quae die** 22 **Oct.** 1861 **locum habuit, quaeque prius a Capitulo, dein ab Episcopo et ab ipso Gubernio Italico approbata fuit. Ibidem vero, inter alia, conventum fuit ut cera funeraria pro dimidia parte inter Archipresbyterum et Capitulum divideretur.**

Anno vero 1881 **ab Episcopo Gelmini iterum praecepta fuit observantia decreti diei** 18 **Sept.** 1860; **at idem Episco-**

pus, re melius perpensa, conventionem a. 1861 **in vigorem revocavit. Denique, quum Capitulum a.** 1896 **ipso Archipresbytero non dissentiente exposuisset conventionem a.** 1861 **nullam esse utpote contrariam resolutioni S. Congregationis et subsecuto decreto episcopali diei** 18 **Sept.** 1860, **Episcopus actualis hoc decretum anni** 1860 **executioni demandari iussit. Verum, cum examinatis melius actis causae, Episcopus putasset rationem divisionis reliquiarum cerae in ipso propositam non apprime respondere editae resolutioni H. S. C, novum decretum sub die** 13 **Febr.** 1904 **tulit, quo tum conventioni diei** 22 **Oct.** 1861 **standum omnino esse, tum Archipresbytero restituendam esse maiorem partem ipsi pertinentem et in deposito adhuc extantem mandavit.**

Contra praefatum decretum Capitulum sub initio mensis Maii eiusdem anni ad hanc S. C. appellavit.

Deductiones Archipresbyteri. Patronus Archipresbyteri et consequenter etiam Episcopi cuius decretum defendit, ad trutinam revocato responso H. S. C. diei 7 **Iulii** 1860, **deducit duas heic praescriptas fuisse conditiones in modo statuendo ab Episcopo ; nempe tum ut Archipresbyter qua parochus non excluderetur a parvi lucri participatione, tum ut compositio fieret de partium consensu. Atqui Episcopus Benaglia tunc temporis delegatus eas conditiones non servavit in decreto diei** 18 **Sept.** 1860; **ergo decretum nullitate laborat, cum delegatus nequeat excedere fines mandati : « Nam qui excessit (ut ait Reiffenstuel,** *Ius can., lib. i, til. 29, § j, n. I o i)* **aliud quid facere videtur /.** *Diligenter, ff. Mandati,* **sicque, actus est nullus si formam mandati quoad aliquid substantiale non observetur ».**

Re quidem vera, perpendit patronus, non fuit servata prima conditio. Nam iuxta decretum eadem portio assignatur Archipresbytero atque aliis canonicis; quod est contra resolutionis H. S. C. mentem, quae, aequitate duce, voluit ut aliquid amplius Archipresbytero uti parocho tribueretur. Sed

et alia deficit conditio, quum decretum factum fuerit irrequisito Archipresbytero, ex cuius saltem silentio Episcopus profecto consensum deducere non poterat. Hinc decretum ceu nullum est habendum, proindeque standum subsecutae conventioni a. 1861, in qua enunciatae conditiones sunt servatae. Eo vel magis quod haec invenitur vallata observantia fere usque ad praesens tempus, quum idem Capitulum per annos 40 et ultra nullam super initi conventi valorem causam intentaverit.

Hisce enucleatis, advocatus gradum facit ad diluendas difficultates quae forte ex adverso moveri possunt. Et imprimis Episcopus Benaglia delegatus ad executionem sententiae S. C. per latum decretum a. 1860 suo officio functus sit, eiusque potestas delegata expirata cum fuerit, subsecutum conventum qua delegatus ratificare non poterat ; proinde facta conventio adstringere partes nequibat. Cui difficultati occurrit observando, quod potestas delegati non deficit, quando ipse munus executus sit contra formam acceptae delegationis, uti accidit in casu.

Neque item consistere potest alia difficultas quod nempe facultas iudicis delegati anni effluxu expiret et proinde quod ratificatio conventionis facta ab Episcopo Benaglia uti irrita sit habenda, quia secuta quando iam delegatio desierat. Haec enim doctrina iuxta patronum in themate perperam invocatur, quia non agitur de duratione potestatis iudicis delegati pro executione obtinenda sententiae a se latae, sed de delegatione facta a S. C. Episcopo pro executione sententiae. Iamvero doctores tenent quod, vel data potestas termino est alligata et tunc ipsa diei praefixi adventu expirat; vel nullum tempus est assignatum, et tunc aboletur praescriptione 30 annorum. De coetero, pergit patrocinator, interdicta non est inter ecclesiae ministros pactio de modo distributionis redituum beneficiorum inter ipsos, et si pactio Episcopi auctoritate firmetur etiam successores ligat, quin ullimode neces-

sarium sit beneplacitum Papae, uti docet Card. De Luca *(De aliénât., in summa, § i, n. 41, 49)* **qui, recensens casus non requisiti Apostolici beneplaciti, et huic affinem ponit.**

Nec obstat quod hodiernus Archipresbyter promiserit Episcopo se stare decreto a. 1860; **nam dato assensu ipse erga Episcopum dumtaxat ligaretur, et praeterea illum dedit errore inductus quod conventio a.** 1861 **non valeret.**

Quapropter, cum in themate constet non decreto a. 1860, **sed subsecutae conventioni a.** 1861 **standum esse, sequitur decretum actualis Episcopi diei** 13 **Febr.** 1904, **quo praecitatae conventionis observantia praecipitur, confirmandum esse.**

Deductiones Capituli. Ex adverso Capituli patronus sustinet episcopale decretum diei 13 **Febr.** 1904 **tum quoad primam tum quoad secundam partem infirmandum esse.**

Sane asserta ab actuali Episcopo in praeliminari discursu decreti admitti non posse advocatus contendit. Ipse enim decretum a. 1860 **confirmavit non ex falsa relatione facta a Capitulo, sed quia partes ita voluerunt; item in Archipresbytero error non tam facile est praesumendus, cum hic iam a plus quam** 25 **annis inter Capitulares reperiatur.**

Nec minus, ait patrociriator, destituitur fundamento altera Episcopi assertio circa interpretationem datam resolutioni S. C, nempe de re definienda per amicabilem compositionem et partium consensum, quum potius Episcopo hac in re plena tributa sit potestas. Praeterea decretum diei 18 **Sept.** 1860 **non fuit nullum ex vitio formae, sive quia iuxta verba resolutionis «** *auditis interesse habentibus* **» Archipresbyter erat tantum audiendus non vero requirebatur eius consensus, sive quia citatio iudicialis necessaria non erat, quum Episcopus ad rem componendam de bono et aequo fuerit delegatus.**

Quoad acceptationem conventionis a. 1861 **factam a Capitulo advocatus expendit, eam locum habuisse sub quadam morali coactione et deceptione ex parte Archipresbyteri, qui canonicos vexare non destitit. Ceterum haec conventio ap-**

probata fuit sine matura deliberatione et dumtaxat a maiori Capituli parte, dum e contra cum ipsa singulis canonicis seorsim sumptis sit damnosa, necessarius erat consensus singulorum interesse habentium. Cfr. Santi *(Prael. iur. can., lib. 3, tit. ii, n. y).* **Omni in hypothesi, ait advocatus, haec conventio uti temporanea seu obligans tantum illos qui convento adhaeserunt, spectari potest; quia beneficiorum possessores suis successoribus facto pròprio praeiudicare nequeunt.**

Neque subdit Capituli patronus, invocari potest approbatio data transactioni a. 1861 **ab Episcopo Benaglia. Nam ipse vel id egit tamquam S. C. delegatus, vel potestate utens ordinaria. Si primum admittitur, ratificado facta iuridico valore est destituta, tum quia ipse approbando primam conventionem, iam uti delegatus cessaverat, et conventio ita firmata amplius retractari nequibat, tum quia elapso iam anno ab accepta delegatione, ista potestas iam desierat iuxta** *cap. 26, tit. 29 de offic, et potest, iud. deleg.* **Vel admittitur secundum, et eadem fluit conclusio; nam, cum transactio speciem alienationis contineat, requirebatur beneplacitum Apostolicum, quod in casu defuit.**

Si itaque, concludit advocatus, motiva adducta ab hodierno Episcopo in sua praeliminari relatione non sustinentur, et idem decretum in vigorem revocans transactionem a. 1861 **super ipsis fundatum corruat necesse est. Idque eo fortius quia transactio est Capitulo damnosa, uti elucescit ex disparitate, quae intercedit inter reditus singulorum canonicorum et reditum Archipresbyteri.**

Deinde patronus probare nititur, decretum Episcopi Laudensis diei 13 **Febr.** 1904 **neque sustineri quoad secundam partem, utpote iustitiae non consonum. Sane actualis Archipresbyter libere decretum a.** 1860 **accepto habuerat, quin imo institerat ut illud instauraretur. Decretum praeterea diei i Apr.** 1896 **non adhuc erat revocatum, et statuta capitularia non difformia quoad obventionum divisionem ab hoc**

decreto et ab illo a. 1860 in viridi erant observantia. Cum igitur non desint in Capitulo tituli ad arguendam bonam eius fidem, qua maiorem cerae quotam sibi vindicare poterat, ipsum adstringi nequiverat ad restitutionem faciendam.

Dubium. *An sustineatur decretum Episcopi Laudensis diei iß Februarii 1904 tum quoad primam tum quoad secundam partem in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. Congr. Concilii, re mature perpensa, die 20 Ianuarii 1906 rescribendum censuerunt:

Affirmative in omnibus.

Colliges. i°. Expirat potestas et iurisdictio iudicis delegati, semel ac ipse sententiam executioni mandavit, quia officio suo est functus.

2°. **Si autem executio sit contra substantialem acceptae delegationis formam, auctoritas delegata non cessat, quae proinde rescripti tenorem corrigere valet.**

3°. **In themate cum Episcopus erraverit circa substantialem rescripti Pontificii formam, unius tantum partis nempe Capituli consensum exquirendo, decretum executorium nullitate laborat.**

4°. **Hinc valida censenda est subsequens conventio inter partes facta, sive adhuc integra permanserit Episcopi delegati potestas exequendi hoc modo rescriptum Apostolicum, sive illa spectetur veluti pactum ab interesse habentibus libere positum.**

5°. **Huiusmodi demum conventio, quae alienationis speciem excludit, non modo inter praesentes sed etiam inter successores vim habet, quum Episcopi auctoritate sit munita.**

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

De celebrandis Missis votivis quoad Horam, Orationes et Collectas, cantum, Symbolum et ultimum Evangelium.

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam ; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3 de Missis Defunctorum, extra solemnem eorumdem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore; immo et Collectae ad omnem Votivam, si commemoratio Duplicis primae classis habeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes intra septenarium numerum ; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva cantata vel solemni vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Du-

plicis vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa Votivam praecesserit, vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari ; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret?

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debeat pro casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymno Angelico et *Ita missa est* **in Missis Deiparae votivis?**

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* **reposcat?**

VIII. An Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum: ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata vel solemni vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubito addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: « Communicetur Votum praelaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico » :

Ad I. *Affirmative,* **sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam**

iuxta Decreta 3059 **ad XII et** 3914 **ad IV; excepta tamen Missa votiva** *pro re gravivi, cum populi concursu,* **quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas (i).**

Ad II. *Affirmative* **in omnibus ad mentem Decretorum** 2542 **ad i et** 2597 **ad** 2, **ac praesertim** 3574 **ad V, quaestion.** 1-4 (2).

Ad III. *Negative,* **ad mentem Decretorum** 1322 **ad** 8, **et** 3832 **ad VIII** (3).

Ad IV. *Affirmative* **iuxta Decretum** 3553 **ad II** (4).

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmative* **iuxta Decretum** 3574 **ad V, quaest.** 5 (5).

Ad VII. *Affirmative* **ad mentem Decreti** 15 **Maii** 1903 **ad III in una** *Ordinis Minorum Capuccinarum Provinciae Belgicae* (6).

(1) **Videlicet Missa votiva privata cantari potest ante Primam, vel post Primam, vel post Sextam vel etiam post Nonam; e contra Missa votiva solemnis cantari omnino debet post Nonam** ***(N. R.).***

(2) **Duplex vel Semiduplex, quod eo die integrum Officium ac Missam habet, in Missis votivis tam per Rubricas quam per indultum permissis commemoratum, ita influit ut easdem prorsus Orationes et Collectas admittat aut excludat, perinde ac si Missam integram eadem die obtineret sicut et integrum assequitur Officium. Excipe tamen si idem Duplex vel Semiduplex in Officio diei currentis ad ritum simplicem fuerit redactum, quia Missae votivae, quoad Orationum ac Collectarum numerum et qualitatem, a ritu Officii dumtaxat currentis gubernantur** ***(N. R.).***

(3) Huius decisionis ratio desumitur ex regula generali in praecedenti adnotatione expressa; secus enim, abstractione facta a commemoratione Duplicis vel Semiduplicis, iuxta Rubricas Generales Missalis tit. ix, n. 14 **in Missis votivis privatis etiam cantatis ad libitum Celebrantis plures Orationes, non tamen Defunctorum, ut in festis simplicibus et feriis permittuntur** ***(N. R.).***

(4) **Duplex vel Semiduplex nullum influxum exercet in Missa votiva cantata aut solemni aut ad instar Conventualis habita, quoties vel una saltem Missa etiam lecta Officii currentis Votivam huiusmodi praecesserit, vel eo die Missa Conventualis de ipso Officio occurrente utcumque antea vel postea celebrari debeat** ***(N. R.).***

(5) Duplex vel Semiduplex, quod eo die integrum Officium ac Missam obtineat, in Missis votivis nullimode influit in Hymnum Angelicum nec Symbolum nec in speciem cantus festivi aut ferialis ***(N. R.).***

(6) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 35, pag. 759.**

Ad VIII. Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922, tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae solemnis (i).

Ad IX. *Negative,* **iuxta Rubricas Missalis tit. v, n. 3 pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro lubito Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.**

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIP.EPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † **D. Panici, Archiep. Laodicen.,** *Secretarius.*

BRIXINEN.

Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae nuncupatae, fundatricis Regii Parthenonis Haiensis.

Hasbourgensi genti, quae piorum quoque principum stirps et semen iure existimatur, felix faustumque sit nuncium de Causa Beatificationis et Canonizationis penes Sacrorum Rituum Congregationem introducenda Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae nuncupatae. Memoria enim eorum qui verbis et gestis in civili et christiana societate vere gloriosi et illustres extitere, eo magis posteros ad laetitiam, spem et imitationem excitat atque ad pristinam virtutem et dignitatem revocat, quo fortioribus vinculis patriae, familiae et religionis cum illis coniuncti sunt. Oeniponte, die 14 Augusti an. 1532, a christiano coniugio Ferdinandi I Romanorum Imperatoris et Caroli V fratris cum Anna Hungariae Bohemiaeque Regina orta est Magdalena. Ex duodecim filiis, tribus masculis et novem foeminis, eminuit, vitam cum

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 35, **pag.** 741.

pietate et caritate in Deo absconditam inter domesticos parietes ducens. Quam vivendi rationem, pia genitrice e vivis erepta, etiam sorores Margarita et Helena, quae eam loco matris habebant, secutae sunt. Vigil quoque cura erat Magdalenae de servis et ancillis, ut recte ac religiose agerent. Ob eximiam corporis animique pulchritudinem prae ceteris adolescentulis a Pedemontii duce in sponsam expetita fuit. Patre annuente, ipsa sola id aegre tulit, et sollicita de proposito suae virginitatis servando, assidua oratione fusisque lacrymis se totam Christo Domino commendabat. Voti compos facta et a terreno coniugio libera, expeditiore et firmiore voluntate ad caelestis regis nuptias se convertit. Super his animum aperuit Beato Petro Canisio qui ipsi et sororibus in conscientiae moderatorem et pietatis magistrum datus fuerat; illoque probante ipsa prior et ad eius exemplum sorores Margarita et Helena perpetuam virginitatem Deo voverunt, cum proposito iampridem concepto coenobium aliquod virginum quamprimum ingrediendi ibique caritatis et religionis opera perfectiori ratione exercendi. Verum quum Magdalena enixe diuque rogaret patrem, atque hic aliquantisper obstaret quominus huiusmodi consilium perficeretur, obtigit ut Ferdinandus imperator e vita discesserit. In sua plena libertate de vitae statu seligendo filia relicta, statim ac ei occasio opportuna visa est, urbem Halensem petiit, ibique in aedibus satis amplis, quae nummis excudendis erant destinatae, instauratis et ad Parthenonis formam redactis monasterium condidit. Dum hoc necessaria supellectili instruebatur, Margarita sancta morte praerepta ad coelos evolavit cum magno sororum ac sociarum moerore. Interim Magdalena a S. Francisco Borgia praeposito generali societatis Iesu obtinuit, ut patres eiusdem societatis domicilium in apta sede prope monasterium ponerent novaeque fundationi in spiritualibus adsisterent. Ipsa vero cum Helena sorore, Regina Fels, Regina Mersperg, puella Concinnin aliisque aulicis virginibus quae se sponte

obtulerant necnon cum aliis inferioris ordinis ad minora munia obeunda in societatem receptis novum vitae religiosae genus instituit ac suscepit. Oeniponte tyrocinium incoeptum est. Magdalena magistra et discipula, dignitate maior, humilitate minor, in iis quae ad perfectionem et virtutem pertinent, ceteris praeibat. Tyrocinio feliciter expleto, sodales ad monasterium Hálense omnibus numeris absolutum se contulerunt, comitantibus Ferdinando Archiduce, Magdalenae et Helenae fratre, et sacerdotibus Ignatianis iam a praeposito generali designatis, ut earum ingressus in coenobium externa quoque solemnitate auspicaretur. Hanc novam sedem religiosaeque perfectionis palaestram Magdalena opportunis legibus perpetuisque censibus communivit, templumque adnexum quod e solo excitaverat, eximiis artis operibus ornare sanctorumque caelitum lipsanis atque indulgentiarum thesauris ditare curavit. Virgo sapiens et prudens, nomine, amore et sollicitudine matris ita monialibus praefuit, ut omnes eius regimini virtutisque formae libentissime se subiicerent. In eadem civitate Halensi Ephebeum pueris christiana doctrina imbuendis a fundamentis erexit, illudque a S. **Catharina Virg. et Mart. nuncupatum sacerdotibus regendum tradidit. Quos haeretica lue affectos sciebat, eos e civitate removeri sategit, atque libros errorum plenos comburi iussit. Collegio Oenipontano societatis Iesu multa beneficia tribuit et dedit.** Concilia **Tridentini acta et decreta recipi atque observari curavit. Maximilianum Imperatorem fratrem cum Romano Pontifice in pluribus civilibus negotiis componens** *Mulier Fortis et pacis sequestra* **meruit appellari. Ita de Ecclesia benemerita est Magdalena, ut et Beatus Petrus Canisius et Romani Pontifices summis laudibus eam cohonestaverint. Tandem, Helena sorore iam pie sancteque demortua, ipsa Famula Dei anno** 1590 **mense Augusto, morbo, qui tunc Halae grassabatur, tentata, eoque ingravescente, imminentis obitus nuncium tranquillo ac sereno animo excepit. Omnibus Ecclesiae sacramentis, prouti postu-**

laverai, roborata, veniam a consororibus imploravit et obtinuit eisdemque novissima consilia et monita dedit, veluti testamentum spirituale, de confidentia in Deum, de pace et concordia, de constantia in vocatione, de recta intentione, deque assidua oratione quam et pro se moritura enixe poposcit. Urgente autem media nocte diei io Septembris subsequentis, inter fletus et gemitus consororum, adstantibus et orantibus patribus Soc. Iesu, Magdalena plena meritis obdormivit in Domino. Fama sanctitatis quam Dei Famula sibi comparaverat vivens, post obitum per civium cuiusque ordinis concursum ad funus et ad tumulum mirifice ostensa est. Quae absque interruptione perseverans atque in dies magis clara et diffusa refulgens viam aperuit, ut super ea in ecclesiastica Curia Brixinensi Inquisitio informativa, auctoritate Ordinaria, institueretur. Tabulis processualibus confectis et ad Sacram Rituum Congregationem deductis, revisis quoque ac probatis scriptis Servae Dei, obtentaque dispensatione tum a lapsu decennii tum ab interventu et voto Consultorum, ab actoribus Causae omnia parata fuerunt ut ad ulteriora procedi posset. Attentis itaque obsequentibus litteris Postulatoriis Augustissimi Francisci Iosephi II Austriae et Hungariae Imperatoris et Regis, plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum et celsissimorum Principum atque nobilium utriusque sexus, necnon sanctimonialium O. S. B. in Abbatia Sabinensi, Tridentinae dioeceseos, Tyroli degentium atque praesidis et magistratus Congregationis Marianae civium Halensium, instante Rmo Dno Nazareno Can. Marzolini Summi Pontificis ab intimo sacello et huius Causae Postulatore, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Steinhuber eiusdem Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* **Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post**

relationem eiusdem Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit.* **Die** 8 **Augusti** 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedictae Venerabilis Servae Dei Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae nuncupatae, fundatricis Regii Parthenonis Halensis. Die 23, **eisdem mense et anno.**

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. **f D. Panici, Archiep. Laodicen.,** *Secretarius.*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE S. LEOPOLDI

Absolutio generalis Tertiariis saecularibus impertienda est cum stola coloris violacei.

Frater Pirminius Hasenoehrl, sacerdos Ordinis Fratrum Minorum, solemniter professus in Regulari Provincia Sancti Leopoldi et Director Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit:

Utrum Director Tertii Ordinis vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia plenaria, sic dictam absolutionem generalem impertitur, uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti

Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Utatur stola coloris violacei.*

Atque ita rescripsit, die 22 **Decembris** 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS S. BENEDICTI

Indultum transferendi festa dupücia I vel II classis impedita in diem immediate sequentem, extenditur ad totum Ordinem S. Benedicti.

Revmus D. Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplex rogavit, ut Indultum Apostolicum diei 24 **Februarii** 1905 **Congregationi eiusdem Ordinis Cassinensi a primaeva observantia concessum, quo festa duplicia primae vel secundae classis quoties a digniori Officio impedita occurrerint, in diem primam respective sequentem transferri valeant, redacto ad ritum simplicem Officio ritus duplicis minoris (non tamen alicuius Sancti Doctoris) aut semiduplicis occurrente, benigne extendere dignaretur ad omnia Coenobia seu Monasteria sui Ordinis, quae eodem indulto iusta de causa uti voluerint (i).**

(i) HOC **aliaque huiusce generis, indulta nonnullis Ordinibus religiosis concessa fuere, ne festa duplicia primae vel secundae classis a digniori Officio impedita longius a propria die transferantur sed immediate recolantur. Cum enim hodiernis temporibus nimis percrebuerit festorum numerus, praesertim in Kalendariis Regularium, festa duplicia primae vel secundae classis, in casu impedimenti accidentalis transferri deberent vel in finem anni, vel, si dies liberi pro ipsis reponendis in decursu anni non suppetant, iuxta generale indultum a S. R. C. concessum die** 2 **Dec.** 1891, **n.** 3576, **celebranda essent, quamvis in his festa semidupliçia aut, in horum defectu, duplicia minora (non tamen Doctorum Ecclesiae) occurrant. Exempla translationis festorum I vel II classis in diem immediate sequentem habentur in Rubricis specialibus de festis Purificationis et Annuntiationis B. M. V., S. Ioseph, S. Ioannis Bapt., et Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.** ***(N. R.).***

Sacra porro Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, petitam enunciad privilegii extensionem benigne indulsit iuxta preces : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 **Ianuarii** 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f **D. Panici, Archiep. Laodicen.,** *Secretarius.*

DECRETUM

De Clerico loco Subdiaconi vel Cappellani in Missa ministrante.

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit :

1. **Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus (i).**

2. **Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat hisce**

(i) Rationabilem causam tunc tantum adesse censemus quum in solemnioribus festivitatibus et etiam in solemnibus Missis defunctorum in promptu non est minister in sacris ordinibus constitutus, aut saltem, licet ipse habeatur, aliqua tamen ex causa suum ministerium praestare non valet. Caeterum omni in casu abolendus omnino est abusus aliquibus in locis praesertim ruralibus inductus, vi cuius etiam laici seu confratres munere Subdiaconi funguntur *(N. R.).*

tamen exceptis: *d)* aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in ca«su Diaconus praestabit; *b)* calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat: *c)* post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante) sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat (i).

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alio Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caeremoniali Episcoporum Lib. i, cap. xxix dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper *d)* calicem ante Offertorium non abstergat: *b)* nec vinum nec aquam in eo infundat: *c)* nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi, et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem

(i) Manipulus enim est vestis Subdiaconorum propria, sicuti speciali modo propria sunt alia officia inferioribus clericis prohibita, cum et periculum adsit ut ab iisdem calix consecratus tangatur in ponenda vel removenda palla *(N. R.)*-

ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die io Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 **Martii** 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. 4* **S.** **f D. Panici, Archiep. Laodicen.,** *Secretarius.*

DECRETUM

seu declaratio super Motu-Proprio " Inter multiplices „.

Evulgato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X *Motu-Proprio* **« Inter multiplices » die** 21 **Februarii anno nuper elapso** 1905, **de protonotariis apostolicis, praelatis urbanis et caeteris qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur** (1): **complures variaeque quaestiones ac postulationes Sacrorum Rituum Congregationi sunt propositae, circa privilegia ipsa et insignia praedictis Dignitatibus et Canonicorum coetibus aliisque de clero saeculari antea concessa. Quibus omnibus una cum relativis documentis ac testimoniis a speciali Commissione diligenti examine perpensis, et per infrascriptum Cardinalem S. R. Congregationi Pro-Praefectum fideliter eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas**

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* **vol.** 37, **pag.** 491.

Sua, ut omnia vel praeveniri vel dirimi possint, et Rmi locorum Ordinarii normam ad dubia resolvenda possideant, per praesens Decretum quae sequuntur declarari iussit. Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato *Motu-Proprio* **contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria extent, ea tanquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac super re adhuc oriantur, illa Ordinarii locorum ad memoratam Commissionem penes S. R. C. peculiariter institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato** *Motu-Proprio* **sancitis, suffragium suum queat proferre (i).**

Die 14 **Martii an.** 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Hodierno decreto relaxatur onus antea impositum per citatum ***Motu Proprio*** **sub n. 8**1, **transmittendi nempe ad S. C. Rituum infra trimestre tempus omnia documenta comprobantia privilegia a Romanis Pontificibus concessa Protonotariis apostolicis, praelatis urbanis aliisque dignitatibus ac canonicis ; modo autem ipsis locorum Ordinariis, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegatis, hac de re iudicandi ac decernendi plena conceditur facultas, salvo iure recurrendi ad Commissionem penes S. Ç. R. institutam in dubiis forsan exorituris. Declarantur praeterea omnino abrogata privilegia illa, quae contraria inveniuntur praescriptionibus in dicto** ***Motu Proprio*** **contentis** ***(N. R.).***

APPENDIX

De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium (1).

QUAESTIO VII

Quomodo mandatum ad matrimonium contrahendum expiret.

134. Plures sunt modi, quibus procuratorum munus expirat. Sic v. g. cessat: *d)* mutuo consensu mandantis et procuratoris; *b)* expleto negocio; *c)* morte procuratoris; *d)* revocatione mandati. Quos modos solent canonistae referre et expendere, quum commentariis illustrant Tit. *De procuratoribus.*

135. Hisce suppositis, ad quaesitum, quomodo expiret munus procuratoris ad matrimonium contrahendum constituti, respondendum: *a)* plus minus eadem esse in specie repetenda, quae dicuntur de procuratoribus in genere; *b)* hinc cessare hoc munus v. g. per mortem procuratoris (ni forsan mandatum fuerit conceptum de persona sub ratione officii, ut e. g. syndicus neapolitanus, nam tunc transiret mandatum ad successorem) ; *c)* nonnullos tamen casus esse, qui merentur specialem considerationem ; *d)* hinc specialiter investigandum hic esse: i. quid iuris si mandati revocatio procuratori non fuerit intimata; 2. item quid si facta fuerit sola mente vel solo facto; 3. item quid, si tunc, quum mandatum fuit executioni demandatum, mandans in amentiam vel furorem fuerit lapsus.

136. Quoad quaestionem, quid iuris si contigerit mandati revocationem non intimari procuratori, ita ut hic revocationis nescius ad matrimonii celebrationem procedat, respondendum revocationem sustineri et hinc mandatum et matrimonium ex eo celebratum infirmari. Ratio est, quia, si in aliis contracti-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3j,* pag. 410, 6o3 et 736, necnon vol. 38, pag. 58, 188 et 299.

bus, revocatione non intimata, actus nihilominus ex legis dispositione valent iuxta regulam traditam c. xxxin *De rescript.:* *Actus valet, nisi procurator certior fiat de revocato mandato,* hoc in matrimonio nullo modo potest esse verum, quum ad illius validitatem requiratur omnino consensus personalis contrahentis, et ita requiratur ut nullo pacto per legem suppleri valeat.

137. **Unde rectissime Bonifacius VIII in c. ix *De procura-* *Sane si procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxerit revocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.***

138. **Notandum autem: *a)* opus esse ut de revocatione constet, nam alioquin matrimonium in foro externo sustineretur. Unde Gasparri *(De matrim.,* n.** 832): ***Si revocatio probari nequit, matrimonium in foro valeret ; b)*** hinc **optime facturum eum, qui, volens mandatum revocare atque nesciens ubi procurator consistat, coram parocho et testibus mutatam voluntatem panderet; *c)* mandati revocationem (sive procuratori intimatam sive non) valere, quamvis iuramentum de ea non facienda praecessisset.**

139. **Quoad quaestionem quid iuris, si mandati revocatio facta fuerit sola mente vel solo facto, notandum : *a)* sola mente revocari mandatum, quando ille, qui procuratorem constituit, per merum internum mentis actum propositas nuptias horrescere incipit ac eas celebrandi animum revocat, nihil tamen dicens vel faciens unde consilii mutatio colligi valeat; *b)* solo facto revocari mandatum, quando ille, qui procuratorem constituit, non equidem verbis aut eis aequipollentibus (ut e. g. scriptura vel signis) id praestat, at sat ostendit contrariam voluntatem, aliud v. g. matrimonium ineundo; *c)* inter utrumque casum maximum esse discrimen, nam revocatio facta sola mente, licet officiât matrimonii validitati in foro**

interno, non ei nocet in foro externo, quum probari nequeat: dum revocatio peracta solo facto etiam validitati in foro externo nocet, dummodo sufficienter constet de ea.

140. **Quia vero doctores, dum quaestionem hanc de revocato expresse vel tacite mandato expendunt, inquirere etiam solent quid tenendum, si quis, revocato mentaliter consensu, denuo consentiat, vel si quum ficte antea consenserit postea consentit serio, placet heic referre, quae scribit clariss. Gasparri *[De matrim.,* n.** 837): **«Quods; mandans ex animo mandatum dedit, deinde consensum mentaliter revocavit, et tandem rursus consentit ante executionem mandati, matrimonium valet. Idem répétas probabilius si ab initio ficte mandatum dedit, sed postea ante matrimonii celebrationem revera consentit ».**

141. **Tandem quoad quaestionem, quid iuris, si tempore exequuti mandati mandans in amentiam vel furorem lapsus fuerit, respondendum in primis non officere valori matrimonii, quatenus agatur de amentia vel furore, quae iudicio peritorum non sint perpetua ; ea enim in hypothesi nihil ex amentia vel furore praeiudicii infertur validitati coniugii, ut nihil infertur ex somno vel ebrietate, quibus forsan corripitur amens momento initi coniugii.**

142. **Verum quid dicendum si quis, dato mandato, insanire vel furere inceperit, et amentia vel furor iudicio peritorum aestimentur perpetua? Respondemus acriter controverti inter doctores num matrimonium valeat vel non.**

143. **Sic v. g. pro sententia negante valere matrimonium stant Pontius L.** 2, ***De matrim.,*** **c.** 15, **n.** 14.; **Card. de Lugo** ***De sacr. in gen.,*** **D.** 8, **n.** 108; **D'Annibale** ***Summula*** **V-I, n.** 32; **Gasparri** ***De matrim.,*** **n.** 837. **E contra pro sententia affirmante matrimonium valere stant v. g. Sánchez** ***De matrim,*** **lib.** 11, **disp. xi, n. i** 2 **; Schmalzgrueber** ***Tit. de procur.,*** **n.** 20; **itemque Gutierez, Bonacina, Palaus etc.**

144. **Si quaestioni huic finis imponendus esset nomina**

opponendo nominibus, perdifficile sane esset, imo impossibile rem ad exitum deducere. Verum non nomina nominibus, sed argumenta argumentis opponendo, contendimus tum rationi tum iuri cohaerere, si dicamus matrimonium in casu nullo prorsus modo valere.

145. **Congruit in primis rationi adfirmare matrimonium non valere. Nam, quum matrimonium sit verus proprieque dictus contractus, omnino eget consensu personali utriusque contrahentis. Iamvero quando aliquis in perpetua vel amentiam vel furorem prolabitur, eo ipso fit incapax cuiusvis consensus, qualis ad contractum ineundum requiritur. Aliis verbis in casu res eo redigitur unde incipere non poterat, et hinc, cessante consensu, matrimonium quoque infirmari opus est.**

146. **Verum congruit et iuri edicere hoc matrimonium nullum. Reapse, quamvis non habeamus expresse hoc in iure declaratum, casus non desunt analogi. Sic v. g. Africanus in Digestís Fr.** 47 ***De acquirenda vel omitt. haereditate,*** **casum expendens quo dominus servo commiserit haereditatis aditionem, at furiosus factus fuerit antequam servus adiret, rotunde negat posse servum adire, et rationem dat:** ***quoniam nonnisi voluntate domini adquiri haereditas potest, furiosi autem voluntas nulla est*** **Sic etiam Paulus (Frag.** 48, ***iò.)*** **adfirmat non acquiri possessionem bonorum illi, qui, postquam mandatum dedit eam sibi petendi, furere coeperit.**

147. **Nec quoad conclusionis firmitatem vel minimum titubare nos expedit attentis adversis argumentis. Omnia enim facilis solutionis sunt.**

148. **Reapse comparatur in primis ab adversaras hic casus insanire vel furere incipientis, casui illius, qui tempore initi a procuratore coniugii forsan dormit vel ebrius est... Verum perperam, nam paritas casuum prorsus deficit, quum dormiens et ebrius, licet hic et nunc rationis usum praepeditum habeant, habitualiter tamen sunt rationis compotes, et hinc consensus capaces, dum, qui insanire vel furere coeperit, ra-**

tionis usum pro semper (citra prodiga **casum) amittit, unde dicendum fieri prorsus cuiuslibet consensus ad contractus requisiti incapacem.**

149. **Sic etiam edicitur ab adversaros (ut utamur verbis Schmalzgrueber in Tit.** ***De proc,*** **n.** 20): ***ut mandati adscribantur actio procuratoris nomine ipsius facta ex parte mandantis non plus requiritur,- quam ut tempore illo quo procurator nomine ipsius agit consensus mandantis moraliter perseveret, et neque sit revocatus neque cessarit per mortem; ita perseverat voluntas matrimonium contrahendi in principali sive hic dormiat, sive ad alia distractus, sive omnino inciderit in amentiam....*** **Verum iterum perperam, nam ipsum factum quod quis labatur in amentiam perpetuam ipsum inhabilem facit cuilibet consensui praestando, et hinc quum sit consensus incapax non aliud de eo est ferendum iudicium, quam si vel per mortem vel per revocationem consensus eius desierit.**

150. **Unde derelinquendus prorsus Schmalzgrueber, quando, argumenta nostra solvere pertentans, scribit:** ***matrimonii per procuratorem contracti valor non pendet a dispositione principalis (alias neque dormiens, aut ad alia distractus, per procuratorem contraherent valide, quippe qui aeque parum capaces sunt ponendi novos consensus, quando actio nomine ipsorum a mandante ponitur) sed a consensu ipsius praeterito, non revocato, et mandato quod procuratori dedit. . . .*** **Reapse vir, caeteroquin egregius, permiscet incaute quadrata rotundis talia scribendo, quum valor matrimonii per procuratorem ante omnia pendeat e consensu principalis, et quidem consensu saltem virtualiter perseverante, quod in perpetuo amente effingi nequit, quum, ut scitissime monet Africanus,** ***furiosi nulla voluntas sit.***

151. **Sic etiam posset forsan ab adversariis urgeri, valere (saltem iuxta opinionem probabilissimam) baptisma illius, qui, postquam illius recipiendi consilium iniit, incidit in perpetuam amentiam; ergo a pari concludendum debere quoque valere**

matrimonium amentis seu furiosi per procuratorem celebratum... Nam tertio perperam, quum neque heic casuum paritas habeatur. Revera, quamvis intentio sacramenta recipiendi reducatur ad quamdam speciem consensus, non semper in omni intentione sacramentum aliquod recipiendi habentur illa extrema (ut dicunt pragmatici) quae essent necessaria ad constituendum consensum vere et proprie dictum, qualis requiritur ad faciendum contractum. Quod evidentissimum est v. g. in baptismate et in ordinatione infantium etc., in quibus nulla requiritur intentio, seu ad summum est sufficiens intentio eis a Christo et Ecclesia suppeditata; itemque v. g. in extrema unctione adulti sensibus destituti, in quo satis est intentio interpretativa.

Carolus Lombardi
Prof. in Pont. Seminario Romano.

(Sequitur)

Diarium Curiae Romanae

Sanctitas Sua litteris Secretariae Status nominavit:

1°. Rev. P. Ioannem Muzzitelli, e Congregatione Clericorum Regularium a Matre Dei, Consultorem S. Congregationis Concilii.

2°. Emum ac Rmum D. Card. Sebastianum Martinelli, Protectorem Aurelianensium Sororum SSmam Eucharistiam colentium.

3°. Rmum D. Dominicum Gualtieri, Auditorem Nuntiaturae Apostolicae Bavariae.

4°. Emum ac Rmum D. Card. Vincentium Vannutelli, Protectorem Operis Missionariorum pro emigrantibus.

5°. Rmum D. Adamum Sapieha, intimum Cubicularium de numero participantium.

6°. Rev. P. Alexium Lepicier, ex Ordine Servorum Mariae, et Rev. D. Carolum Salotti, Consultores S. Congregationis indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

7°. Exmum ac Rmum D. iosephum Fiorenza, Archiepiscopum titularem Claudiopolitan., Consultorem S. C. Episcoporum et Regularium.

8°. Emum ac Rmum D. Iosephum Calasanctium Vives **y** Tuto, Protectorem Ambianensis Congregationis S. Familiae.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE

SS. D. N. Pii d. pr. PP. X, quibus consociatio " Mariavitarum „ seu sacerdotum mysticorum reprobatur ac supprimitur.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPO VARSAVIENSI
ATQUE EPISCOPIS PLOCKNSI ET LUBLINENSI
APUD POLONOS

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum est nonnullos dioecesium vestrarum, praesertim e iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudo-monasticam, sub nomine *Mariavitarum* seu *sacerdotum mysticorum* absque ulla legitimorum Praesulum licentia, instituisse, cuius sodales .sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulatam, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datam dictitabant, sese totos tanquam pietatis et conscientiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberrima devotionis inter plebem exercitia (ceteroquin, si rite fiant, maxime commendanda) praecipue SSmi Sacramenti adorationem ac frequentissimas Communiones, proprio marte et indiscriminatim promovere ; quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminae sanctitate divinaque electione tantisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum,* quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminationibus gravissimis impetere non dubitarunt, ita ut metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supra dicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incoepto molimine haudquaquam destiterunt, nec reprobatae suae consociationi sincero animo renuntiarunt ; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despexerint; non solum, effronti quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint ; non solum seductam plebem haud uno loco concitarmi ut legitimos propellerei pastores; sed etiam, perduellium more, Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiaque defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibique solis, sacerdotibus *Mariavitis,* divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis. Paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Próchniewski, alter Ioannes Kowalski quem Praepositum suum, vi cuiusdam delegationis memoratae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresso Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut aiebant, conscripto, requirebant ut Supremus Ecclesiae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officii documentum traderet his verbis expressum : « Mariam Franciscam (id est praedictam mulierem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericordiae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis et electis hisce ultimis temporibus mundi ; omnibus vero sacerdotibus Mariavitis esse a Deo praeceptum cultum SSmi Sacramenti et Beatissimae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu, in toto

orbe terrarum, propagare, sine ullis limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a quacumque potestate ecclesiastica vel humana.... ».

Quibus ex verbis coniicere voluimus sacerdotes illos, non tam forte conscia superbia quam inscitia et fallaci rerum specie obcoecatos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel ; « Vident vana et divinant mendacium dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos ; et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait Dominus; cum ego non sim locutus» (i). Hos igitur misericorditer exceptos adhortari sumus ut, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiae ac reverentiae erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae, pluribus in paroeciis dioecesium vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christianae plenius fovendae viderentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotos, ad pedes procumbere obtestarique firmam voluntatem votis Nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto (2) declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abiicere ad Tectumque tramitem vellent redire:

« Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei adimplendam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis patuit,

(1) Ezechiel, xni, 6, 7.

(2) Die 20 Febr. an. curr.

parati, sincerrime et laetissimo animo revocamus hanc nostram epistolam, quam die i Febr. a. c. ad Archiepiscopum Varsavien, dedimus, et in qua declaravimus nos separari ab eo. Insuper sincerrime et cum gaudio maximo profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie autem cum Episcopo Varsaviensi, unitos esse volumus, quoadusque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc nostram professionem omnimodae obedientiae et subiectionis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi coetus Adoratorum SSmi Sacramenti, facimus. Specialiter autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum Plocensium qui propter causam eamdem, uti Mariavitae Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se ab eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum iterumque amorem nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus pacem hanc revera brevi secuturam ».

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condónalos, vix in Poloniam reversos, operam daturos, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque idcirco Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, conditionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis, ad iuris tramitem, restitueretis.

At spem fefellit eventus ; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus

aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim « ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, (prout legitur in epistola diei 17 mensis Decembris 1888 s. m. Leonis XIII Decessoris Nostri ad Turonensem Archiepiscopum) quae nimirum docet ac regit homines iure divino ; ob eamque rem quicumque eis résistât, vel dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit.... Contra, inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maximum, quippe cui Christus non agnos modo sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur » (i).

Inanis pariter et subdola sacerdotis Ioannis Kowalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Ioannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Ma-*

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 21, **pag.** 321.

riavitarum **consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobatamque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.**

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris in sua contumacia perseveraverint, — quod Deus avertat — muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Aprilis MDCCCCVI, **Pontificatus Nostri anno tertio.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de coetu eucharistico Engolismae habendo ubertatem fructuum inde expectans.

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO ERNESTO EPISCOPO ENGOLISMENSIUM

ENGOLISMAM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Primum post impositum Nobis universae pondus Ecclesiae, cogi brevi contingit eucharisticum ex omni natione coetum, ac delectam illi habendo scimus urbem pastoralis officii tui Sedem, Engolismam, nobilem profecto civitatem ac piam. Tibi, sollerti religiosoque Praesuli, ceterisque celebrandi conventus auctoribus, libet e credita Nobis Pontificatus Supremi Cathedra illos aperire sensus, quibus paucos ante annos Ipsi incendebamur, quum Venetiis congressum Italiae XV celebraremus ad cultum Sacramenti Augusti exaugendum. Equidem praeclarum eventum, pro ea, quam inde expectamus, ubertate fructuum, omni animi laetitia gratulamur, Iesumque Sacramento latentem, cuius ad amplificandum honorem undique ac plurimi profecto convenietis, adprecamur vehementer velit Ipse vestris adspirare consiliis, coetusque salubria opera coelestis gratiae rore fortunare. Vobis autem ad deliberandum aggressuris versetur illud in mente, communem populorum pietatem in pietatem intueri vestram, ab eaque quaerere et exemplum imitationi propositum et incitamentum perficiendae virtuti destinatum. Haereat etiam illud in animis, gratiam eucharistici conventus talem omnino esse existimandam, ut commoti eius efficacitate homines ac meliores effecti, iam non videantur, in re christiani cultus praecipua, posse ullo modo in posterum reprehendí. Iis praesertim qui adversario ausu in Eucharistiam feruntur, religione sensuum, volunta-

tum concordia, caritate denique verborum atque operum exemplo sitis, multosque ad adhibendam sacramento venerationem atque ad concipiendum divini alimenti amorem allicite. Haec si in conventu spectaveritis, Deumque in primis si prece magna rogaveritis vobis uti ex altari adsit, in quo sacris tectus speciebus, amoris caussa, latitat, erunt procul dubio frugiferi coetus vestri labores. Nos autem coelestium gratiarum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi atque omnibus, qui in congressu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X quoad suppeditandos sacerdotes a Missione ad munus rectorum vel doctorum in Seminariis Italiae.

DILECTO FILIO

ANTONIO FIAT MODERATORI GENERALI

SACERDOTUM A MISSIONE

PARISIOS

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sodalitatem sacerdotum a Missione, cuius summum obtines magisterium, multa Nobis ad benevolentiam commendant. Est enim illi cohaerentium Nobiscum sensuum custodia sollers: eadem vehementer nititur exemplum bonorum operum, vitae praesertim sacerdotalis integritate, et clericis impertire et laicis: tum etiam egregio, a quo nuncupari gaudet, nomini respondens, sacrarum expeditionum incremento fructuique studet, optimis assidue emissis Evangelii praeco-

nibus, cultusque religiosi et humani prolatis beneficiis. Hanc tibi laudem ceterisque e sodalidate universis gratulari libet enixe, quum e studio gloriae divinae, quo vobis animus ardet, nec pauca hauserimus nec ea communia laetitiae argumenta. Ipse vero permultam Nobis ad voluptatem significasti sodales a Missione libenter te Episcopis Italiae suppeditaturum ut in sacris Seminariis aut moderatorum officio aut doctorum munere perfungantur. Gratam tibi voluntatem de praestantissimae utilitatis consilio profitemur, nihilque putamus ambigendum non minora extitura sodalium tuorum in Seminariis excolendis promerita, quam in propositis antea coetui bonis assequendis fuere. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi et sodalitati universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii Maii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X commendantis volumen ab Episcopo Rupellensi editum, in quo Loisyani errores repelluntur.

VENERABILI FRATRI

AEMILIO PAULO EPISCOPO RUPELLENSI ET SANTONENSI

RUPELLAM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Librum, quem Nos ipsi ut conscriberes desideravimus, conscriptum inque lucem editum, cum litteris observantissimis, nuper a te accepimus. Argumentum sane scriptionis tuae necessarium quam quod maxime summique ponderis ! De refellendis enim erroribus agebatur, qui in volumine quodam Loisyano continentur: quod equidem Apostolica aucto-

ritate Nos damnavimus, at teri adhuc manibus imprudenterque nimis a quibusdam iuvenibus sacri cleri volutari dolemus. Decebat profecto ut ubi error ortus esset atque in primis glisceret, ibi etiam episcopali calamo refelleretur. Hoc te pro tua sapientia praestitisse gratulamur. Dumque tibi de suscepto exactoque labore laudem tribuimus, enixe cupimus et ominamur ut quos inde percipiendos fructus spectasti, uberrime Deus percipi concedat. Scimus plane qua tu diligentia sacri Seminarii alumnis prospicias, ut earn hauriant scientiam, quae non inflet, sed, amandatis delirantium fabulis, traditae a Deo veritati respondeat. Pergito atque urgeto, Venerabilis Frater, maximum hoc pastoralis officii munus. Quod ut abunde fortunetur tibi, Apostolicam Benedictionem, pignus benevolentiae Nostrae et caelestium gratiarum auspicem, tibi universoque clero tuo, praesertim vero sacri Seminarii doctoribus et alumnis, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvn Iunii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex approbat Commentaria a P. Fillion edita super universa Sacra Scriptura.

DILECTO FILIO

L. CL. FILLION E SOCIETATE S. SULPICII

LUTETIAM PARISIORUM

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrarum Scripturarum interpretationem recte et accommodate tradere Clericis alumnis, qui, suo tempore, munere eas exponendi populo fideli fungi debent, plurimi interest.

Quamobrem Commentaria a te edita super universa Scriptura, quae Nobis officiose offerre voluisti, libenti plane et grato animo accepimus. Pauca quidem de ipsis, prout angustia temporis dabat, hic illic attigimus ; satis tamen ut operam tuam approbare possimus. Etenim textum Sacrarum Scripturarum per partes dividis, eumque concinna distributione componis ; exponendo litteram, doctrinam tradis tutam," solidam, ac nova profers et vetera cum sobrietate : a vano abstines et a nimio. Meritas igitur tibi tribuimus laudes, ac gratulamur tibi. Quo autem de oblato voluminum dono gratias referamus, Apostolicam Benedictionem, paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi amantissime largimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Iulii MDÇCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X gratulatur cum Imperatrice Sinarum septuagesimum aetatis annum proxime initura.

AUGUSTISSIMAE POTENTISSIMAEQUE PRINCIPI

IMPERATRICI SINARUM

PEKINUM

PIUS PP. X

Augustissima et potentissima Imperatrix,

salutem et prosperitatem.

Nunciatum est Nobis Maiestatem Tuam proximo Octobri mense inituram septuagesimum aetatis annum, felicemque hanc rem ingenti gaudio futuram universo Sinarum populo. Quod eiusmodi faustitas expleat Tuam gentem laetitia, intelligimus inde, immo etiam confirmatum agnoscimus quanto et quam merito amore antiqua et nobilis Sinarum natio Maie-

statem Tuam complectatur. Aequum autem praesentisque celebritatis dignum illud etiam censemus ut, quotquot sunt amicitia Tecum aut beneficiis coniuncti, hunc Tibi eventum gratulentur omnes. Quapropter Nos etiam Religionis Catholicae Antistes Summus, qui probe exploratum habemus de Religione Nostra Te bene meruisse, tum ob permissam catholicis istis potestatem cultus profitendi, tum etiam ob demonstratam iisdem benevolentiam, properamus gratulationes Maiestati Tuae maximas ac laetissima felicitatis omina offerre. Ad huius autem iucundi eventus memoriam, donum etiam placet adiicere, tenue quidem illud per se ac sane modicum, propensissimi tamen studii argumentum. Quae interim vota pro Tua Maiestate concepimus, illa compleat Deus, quem enixe deprecamur ut Te Tuamque Domum Augustam caelesti omni munere atque in primis tranquillitate et pace longum in aevum tueatur.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Iulii MDCCCCIV, **Pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X laetatur de fide, obsequio et studio Seminarii Theologici Mediolanensis erga Sedem Apostolicam.

DILECTO FILIO NOSTRO

ANDREAE S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI

MEDIOLANUM

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vigere in Seminario Theologico Mediolanensi fidem, obsequium, studium erga Nos et Apostolicam Sedem, iamdiu

noveramus; agnovimus autem nuper ex iis, quas tu curasti ad Nos perferendos, amantissimas litteras, atque huius amoris pignus, Petrianam stipem. Id vero scias delectationi fuisse Nobis et solatio. Multa quidem sunt, quae perfunctionem Pontificatus maximi difficilem Nobis Iaboriosamque faciunt : sed illud in primis Nos angit et sollicitat, quod, quum ad despicientiam auctoritatis proiecta sint tempora, contumaces quosdam spiritus videmus inter bonos quoque serpere : atque huic vitio temporum nonnullos aliqua ex parte indulgere, qui minime omnium debeant. Profecto nihil tam absurdum tamque perniciosum cogitari potest, quam homines sacri ordinis esse ullos, quorum sentiendi agendique ratio obtemperationem et reverentiam Vicario Iesu Christi debitam non plane praeferat. Iamvero quidquam huiusmodi suspicari non licet de alumnis Seminarii tui, in quo sanctissimi Caroli disciplina etiamnum, te accurante, spirat: ac pro certo habendum est, eos omnes futuros tales ministros sacrorum, quales testantur se esse velle, idest Beati Petri Cathedrae toto pectore coniunctos, atque omnibus in rebus dicto audientes Pontifici. Nos interea haec pietatis observantiaeque testimonia libenter grateque amplectimur; eumdemque animorum habitum ut perpetuo tueatur et foveat ad propriam ipsorum et communem salutem divina benignitas, precamur. Ac coelestium munerum auspicem, Nostraeque paternae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili Noster, Seminarii Theologici moderatoribus, praeceptoribus et alumnis, iis praesertim qui sacerdotium inituri proxime sunt, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Aprilis a. MDCCCCVI, **Pontificatus Nostri tertio.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X laetatur de quinquies saecularibus solemniis hospitii urbani Teutonum vulgo " dell' Anima „.

DILECTO FILIO IOSEPHO LOHNINGER

PROTONOTARIO APOSTOLICO

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exeunte, quod propediem fore ex tuis litteris accepimus, quinto saeculo ab initiis urbani Teutonum hospitii, cui praees, recte tu quidem et sacerdotes tui consilium cepistis faustam rei celebrare memoriam, atque in id convocare omnes, quotquot de gente vestra Urbem incolunt aut per eos dies in Urbem advenerint. Nam primum omnium decet vos beneficia commemorare, quae hoc tanto spatio multa et magna Instituto vestro Deus contulit, deque his sollemnes agere divinae bonitati gratias. Tum in conspicuo ponere aequum est, quantopere ad idem Institutum sustinendum provehendum non modo vestratium liberalitas vestrorumque Caesarum cura, sed etiam perpetua Pontificum Romanorum providentia valuerit.

Nominandus in his praesertim Pius IX fel. rec, cuius auctoritate amplificatum congruenter necessitatibus temporum Hospitium, id est, auctum collegio sacerdotum, qui sacris repolirentur doctrinis ac pontificii iuris prudentiam peritiamque perciperent, multo magis, quam antea, opportunum ac salutare esse coepit.

Nos vero, quum aeque, ac Decessores Nostri, erga vos vestraque affecti simus, libenter saecularia haec sollemnia significatione ornamus paternae benevolentiae Nostrae : cuius testem eamdemque divinorum munerum auspicem, tibi dilecte Fili, atque omnibus, qui ex isto hospitio collegioque sunt

fueruntve sacerdotes, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvm Aprilis anno MDCCCCVI, **Pontificatus Nostri tertio.**

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X commendat coetum scriptis catholicis per Bavariam edendis (1).

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Praestito Nobis a te atque a collegis tuis e spectabili coetu scriptis catholicis per Bavariam edendis, nihil possit esse obsequio iucundius. Eos enim agnoscimus officia Nobis observantiae deferre, a quibus, sodalitatis vinculo coniunctis, quasi aprissimo augendarum virium praesidio, tam multa exspectamus in tuitionem sacrarum Bavariae rationum emolumenta. Quae vobis saluberrimi condendi coetus exstiterint initia, compertum id quidem est: illata scilicet per adversas partes in catholicam professionem arma, ingesta tamen, ut est aetatis ingenio congruum, per eas maxime vias, quae ab omni litterarum genere praesto esse possint. At si decertandum bonis est sive ad custodiendam civitatem Dei sive ad eius amplificandam vim; si, etiam, non illud praetereundum dimicantibus bonis est, artes artibus esse obiiciendas easdem, haec omnia fuere potissimum curae vobis, qui studio tuendae religionis acti, praeclarumque secuti exemplum virorum e sacro ordine, in unum generose coivistis, illas allaturi patriae utilitates, unde laetari Nobis libet in praesens. Magnis propterea laudibus, quemadmodum illustria merita postulant,

(i) Ad eiusdem coetus Praesidem, R. Franck, Monachii ***(N. R.).***

ornamus coetum, teque imprimis industrium fortemque praesidem, eosque una simul omnes, quos scimus adlaborare animose tecum, immemores sui, memores autem Ecclesiae, cuius certe profectus cum civitatis bono coniungitur. Commoda autem et incrementa Sodalitatis quum cordi Nobis sint, illud Bavariae universae commendamus, quod quidem plurimi in re gravissima refert, ut non modo sacrorum administri, verum etiam, praecipueque, ***laici*** **nomen operi alacritatemque dedant. Omnes namque, quotquot catholica fide gloriantur, huic oportet fidei sive protegendae sive honorandae dare operam, et quando aptum prae ceteris opportunumque praesidium in sodalitate vestra est, eidem sese sodales addere. Quoniam vero nullum putandum est litterarum scriptorumque genus ab industria coetus alienum, id equidem expedire omnino atque adeo necesse esse existimamus, ut non ad labores solum, sed ad impendía quoque ferenda, quae sane pergrandia esse non ambigimus, singuli gerant pâratissimum animum, ea nimirum erecti atque excitati spe, quae per eos suppeditentur id genus subsidia, perinde ac lectissima pietatis opera ad religionem referri, et ad comparandam animorum salutem conducere. Nostram demum ut operi voluntatem testemur, tibi, sodalibus cunctis, atque iis, qui nomine operave coetui favebunt, auspicem coelestium gratiarum, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.**

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvi Aprilis a. MCMVI, **Pontificatus Nostri tertio.**

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Breve solemnis Beatificationis Venn. Servorum Dei Marci Crisim, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii, Sacerdotum e Societate Iesu.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

De fortissimis Hieromartyribus verba facturis obversantur Nobis animo quae olim Paulus et Timotheus conscripsere Philippensibus suis « Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eo credatis, sed ut etiam pro eo patiamini ». Quod quidem beneficium largitus est Deus tribus lectissimis viris, qui sunt Marcus Stephanus Crisinus. Metropolitanae ecclesiae Strigoniensis Canonicus, Stephanus Pongraczius et Melchior Grodeczius, e Societate Iesu, quorum res praeclare gestas et effusam pro Christo vitam commemorandas suscipimus, ne desint catholicis viris in hisce adversis Ecclesiae temporibus inclyta fidei et fortitudinis exempla quae possint, si res postulet, imitari. Marcus Stephanus Crisinus, Crisii natus est in Croatia nobili genere, qui partum a maioribus decus suarum virtutum laude provexit. De prima eius pueritia id constat ex toto corporis habitu egregiam animi indolem emicuisse. Illud quoque memoriae proditum, eum vix trimum puellulum mirifico amore prosequutum fuisse coelestem matrem Mariam eamque deinceps semper in trepidis rebus ac praecipue in crudelissimae mortis agone confidenter invocasse. Paulo grandior factus et in Collegium Ferdinandaeum adscitus, quae a parentibus virtutum documenta exceperat, moribus ad modestiam compositis constanter expressit, et in Congregationem Marianam protinus adscriptus, nova et eximia in Beatam Virginem pietatis exempla dedit. Specimen etiam sane optimum ingenii praebuit in scholis, ubi sedulitate et

industria aequalibus praeluxit; adeo ut in philosophia et physica magister fuerit renunciatus. Cum vero se divino quodam instinctu ad sacerdotium sentiret impelli, re cum sapientibus viris communicata, de pientissimorum parentum consensu clericalem habitum induit ac theologicis studiis proludere coepit. Quod ut animadvertit pater Gregorius Rumer Societatis Iesu, cum nec pauca neque exigua de eo polliceri posse speraret, egit ut in Almam Urbem in Collegio Germanico-Hungarico alendus mitteretur, studiorum curriculum tam bene in patria institutum confecturus. Romam igitur venit et in Collegium receptus est annos natus duo et viginti. In praenobili hac virtutis et doctrinae palaestra optimi cuiusque brevi non imitator solum sed aemulator evasit. Absoluto theologiae curriculo et iam sacerdotio initiatus, prae ceteris aptus iudicatus est, qui universam theologiam publica et solemni disputatione defenderet. Inde in patriam reversus omnia Apostolici viri munia exercere coepit, idque eo successu ut eius fama per omnem circa regionem vulgaretur; qua permotus celeberrimus ille Strigoniae Archiepiscopus et Hungariae Primas Petrus Pazmany, eum in suam dioecesim accivit, quo ad omne sacri officii munus uteretur, praesertim contra Lutheri et Calvini errores, qui eo tempore longe lateque per Hungariam grassabantur. Nec multo post inter Canonicos Metropolitanae ecclesiae cooptatus et Archidiaconatu Comoromiensi auctus est ; indeque a Canonicis Szeplacensis Abbatiae administrandae, quae prope Cassoviam est, provinciam suscepit. Id non sine Dei numine factum est, qui ibidem martyrii palma servum suum donare decreverat, et socium addere duobus aliis fortissimis viris e Societate Iesu, qui Cassoviae et in viciniis per id tempus in catholicis confirmandis et haereticis reducendis insudabant. Horum alter fuit Stephanus Pongraczius. Is ortus anno MDLXXXII **e gente inter Húngaros satis illustri ac piissima, in domo educatus atque in litteris excultus, ubi adolevit se ad Societatem Iesu ineundam vocari**

sensit, eo etiam tum animo ut patriae ab Lutheri et Calvini placitis infectae et civilibus turbis exagitatae in subsidium veniret. Et sane in Societatem admissus et absolutis multa cum laude philosophiae ac theologiae studiis, anno MDCXV **missus est Homonnam in Hungaria superiori ut sacris expeditionibus intentus, catholicos in fide ac pietate confirmaret et haereticos vel ad catholicae religionis gremium reduceret, vel in suis erroribus pervicaces confundéret. Quod munus satis profecto arduum flagranti zelo, nec tamen minori prudentia, quatuor circiter annos executus est, Cassoviae praesertim, quo ab Andrea Doczy regio gubernatore vocatus, in ipsa regia domo una cum Melchiore Grodecz receptus rem catholicam sustentabat. Consuetudine cum Marco Crisino inita, quem saepe hospitem habuit, sub festum Sancti Patris Ignatii anno** MDCXIX **cum eodem Homonnam secessit, ut sacris exercitationibus animum excolerent ac novas vires ad pugnandum pro Christo sumerent: quod non sine Dei consilio factum est, qui eos ita ad capitale praelium parabat quod brevi erat subeundum. Tertius accedit ad hos duos pater Melchior Grodeczius. Eum in Silesia ortum et in Societate Iesu variis muneribus perfunctum Andreas Doczyus Cassoviam acciverat, ut milites, quos in praesidium habebat, excoleret. Quo in Apostolico ministerio memoria' proditum est, eum simili charismate donatum fuisse, quo olim Apostoli et ipse Franciscus Xaverius ditati fuerunt: nam sive bohemice sive germanice loqueretur, ab utriusque gentis hominibus aeque intelligebatur. Dum hi tres Christi púgiles sacris ministeriis impense vacabant, accidit ut Georgius Racoczy Cassovia potiretur nomine Gabrielis Bethlenii, qui, Turcarum auxilio fretus et ab haereticis Bohemiae et Hungariae accitus, cum magno exercitu regionem invaserai ut eam Imperatoris auctoritati subtraheret sibique et suis addiceret. Racoczyus illico iussit tres catholicos sacerdotes domi a militibus custodiri et, coacto civitatis consilio, de eorum caede decretum**

est. Igitur, post mediam noctem inter diem sextam et septimam mensis septembris anno MDCXIX**, immissi carnifices primo occurrentem Pongraczium clavae ferreae ictu prosternunt: dein omnes tres pugnis, calcibus, colaphis ac probrosis etiam vulneribus Iesu et Mariae nomina ingeminantes caedunt. Crisinus oblatam sibi Racoczyi nomine salutis spem, si a fide catholica descisceret, constanter reiecit. Tunc vestibus exutos ac läquearis trabibus suspensos ardentibus facibus ustulant, donec detectis costulis viscera diffluerent. Demum adventante iam die demissos e trabibus Crisinum et Grodeczium capite obtruncant, Pongraczium acinace in capite bis percutiunt et uti iam mortuum in latrinam, una cum aliorum corporibus, detrudunt. Verum hic spirabat adhuc, nec nisi post viginti et amplius horas, vulneribus et foetore confectus, Mariae et Iesu nomina ingeminans, illucescente die octava septembris, ad coelestem coronam evolavit. Huius tam atrocis caedis fama undique periata, ut contra auctores summam omnium indignationem movit, ita in fortissimorum virorum gloriam cessit. Quorum corpora paucos post menses a pientissima foemina Comitissa Pallfy a Bethleno dono accepta hònestiori loco, primum in quodam sacello, dein prope sacrarium ecclesiae sororum a S. Ursula Tirnaviae condita sunt, ubi pluribus signis a Deo sunt illustrata. Nec multos post annos ab ipso Cardinali Pazmanyo Archiepiscopo Strigoniensi iuridica inquisitio de Martyrio, fama Martyrii et signis est instituta et Romam ad Urbanum VIII Pontificem missa. At propter adversas rerum vicissitudines causa haec diu fuit interrupta et nonnisi medio saeculo decimonono resumpta est, cum auctoritate Apostolica novae iuridicae inquisitiones Strigonii peractae sunt. His Romam missis et validis in Congregatione Rotali recognitis, a Decessore Nostro Leone PP. XIII particularis Congregatio est instituta ad cognoscendum de Martyrio, causa Martyrii et signis horum trium fortissimorum Christi Militum, atque omnibus proba-**

tionibus accurate perpensis, Nos per decreta lata VIII **idus ianuarias hoc ineunte anno** MCMIV **de Martyrio eiusque causa et signis Martyrium confirmantibus constare ediximus. Reliquum erat ut inquireretur utrum Caelitum Beatorum honores tuto praedictis Martyribus decerni possent. Mox in^conventu universo habito coram Nobis** VII **kalendas martias vertentis anni, cum dilectus filius noster Andreas S. R. E. Cardinalis Steinhuber causae Relator dubium proposuisset an, stante approbatione Martyrii et causae Martyrii, signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posset ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem, tum Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi, tum omnes qui aderant Consultores unanimi consensu « tuto id fieri posse » responderunt. Nos vero in re tam gravis momenti distulimus iudicium in alium diem. Dominica prima Quadragesimae idest decimo kalendas martias volventis huius anni** MCMIV **adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto ac praedicto Andrea Steinhuber causae Relatore, necnon R. P. D. Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi, Sacrae eiusdem Congregationis Secretario, et R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, suprema nostra Apostolica auctoritate decrevimus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Marci Crisim, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii Beatificationem. Quae cum ita sint, moti precibus universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus ut Servi Dei Marcus Crisinus croata Canonicus Strigoniensis, Stephanus Pongraczius hungarus et Melchior Grodeczius silesius e Societate Iesu Beatorum nomine in posterum nuncupentur eorumque corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi fidelium proponantur et imagines radiis decorentur. Dein eadem Nostra auctoritate concedimus ut de iis quotannis recitetur Officium et Missa de**

communi plurimorum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus in dioecesibus Strigoniensi et Cassoviensi, et in omnibus ecclesiis et Oratoriis quibus utitur Societas Iesu ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis N. 3862 ***Urbis et Orbis*** **ix decembris** MDCCCXCV. **Denique concedimus ut solemnia Beatificationis supradictorum Servorum Dei in supradictis dioecesibus et templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis diei xvi decembris** MCMII **de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munjta, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significatio™ hisce litteris ostensis haberetur.**

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die i novembris MCMIV, **Pontificatus Nostri anno secundo.**

L. «J* S.

ALOIS. **Card.** MACCHI.

EX SECRETARIA STATUS

De statutis pro actione catholica italica.

I limi Signori (i),

Il Santo Padre ha appreso con piacere essere ornai prossimo il giorno in cui le Signorie Loro si aduneranno in Firenze coi delegati delle principali associazioni cattoliche esistenti nelle varie regioni d'Italia, per concretare la definitiva proposta degli Statuti per la Unione Popolare cattolica italiana. L'augusto Pontefice è persuaso che le deliberazioni di tale adunanza confermeranno lo zelo intelligente con cui le prelodate Signorie Loro si sono adoperate a corrispondere alla fiducia che Egli ha in loro riposto, per la pratica attuazione degli intendimenti espressi nella sua Enciclica dell'i i Giugno dell'anno passato. Il fine stesso dell'adunanza, indetta per prendere nota delle osservazioni fatte dai rappresentanti delle associazioni cattoliche italiane intorno al primitivo schema di Statuto, è bella prova del desiderio che hanno le Signorie Loro, di fare cose di pratica utilità. Del resto un tale scopo sarà facilitato col prendere, come il Santo Padre desidera che siano prese, a base delle deliberazioni loro, le « norme fondamentali per *Y* azione cattolica diocesana » che sono state a Lui sottoposte. Non dubita poi Sua Santità che nella libera discussione dello schema di Statuto per la Unione Popolare cattolica italiana, i singoli convenuti vorranno ispirarsi a quello spirito di concordia e a quell'efficace desiderio del bene, che devono sempre guidare i rappresentanti delle associazioni cattoliche. Ma, affinchè maggiore sia la copia dei frutti che si attendono dalla prossima adunanza di Firenze, il S. Padre si è degnato di impartire fin d'ora l'Apostolica benedizione a tutti coloro che vi pren-

(i) Conte Stanislao Medolago Albani, Comm. Paolo Pericoli, Prof. Giuseppe Toniolo.

deranno parte, e in modo speciale a chi vi dovrà dirigere le discussioni e facilitare il lavoro.

Sono lieto di rendere di ciò consapevoli le Signorie Loro, e colgo volentieri l'opportunità di confermarmi con distinta stima. Roma, 5 Febbraio 1906.

Affino per servirla
R. Card. MERRY DEL VAL

Il Imi Signori,

Il Santo Padre ha preso conoscenza del lavoro presentatogli dalle Loro Signorie dopo il recente Congresso di Firenze, e che comprende, oltre alle norme fondamentali per l'azione cattolica diocesana, i tre Statuti per la triplice Unione fra i cattolici d'Italia, cioè 1'Unione popolare, l'Unione economica-sociale e l'Unione elettorale. Sua Santità si augura che questo lavoro, frutto di concorde e diligente studio, possa efficacemente concorrere alla generale organizzazione dell'Azione Cattolica in Italia, sulla base delle norme infallibili del Vangelo, e secondo gli attuali bisogni dei tempi. Inoltre il S. Padre ha rilevato con piacere che l'azione diocesana, fondamento della generale coordinazione del movimento cattolico in Italia, venga in tali Statuti affidata all'alta vigilanza dei Vescovi; ciò è anche una maggiore garanzia per ottenere che nei varii ceti dell'azione siano ammessi soltanto individui cattolici a tutta prova per sentimenti e per pratica, e ne sieno esclusi tutti quegli elementi che volessero giovarsi della causa cattolica per fini secondi o per mire di partito.

Infine il Santo Padre ha espresso alle Signorie Loro la sua particolare soddisfazione ed il suo animo riconoscente per il loro zelo illuminato ed attivo, dimostrato in questa delicata occasione, e per rendere loro maggiormente espressiva la sua paterna benevolenza, li ha cordialmente benedetti tutti e tre nel Signore.

Colgo poi con piacere questa opportunità per confermarmi con sensi di distinta stima. Roma, 24 Marzo 1906.

Affmo per servirla
R. Card. MERRY DEL VAL

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

Conceditur Ordini Capuccinorum facultas aggregandi Tertiarios regulares (1).

Beatissime Pater,

Infrascriptus Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis prostratus, humiliter exponit, quod ipsi interdum a Congregationibus Tertiariorum S. Francisci in communitate viventium et vota simplicia emittentium porriguntur preces eo tendentes ut primo et secundo Ordini ab ipso dependenti aggregentur, et sic vi decreti Apostolici sub die 28 Augusti anni 1903 editi a S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita (2), indulgentiarum et spiritualium gratiarum eiusdem primi et secundi Ordinis, quantum concedere fas est, participes efficiantur. Porro inter has Congregationes inveniuntur etiam tales, quae non dicti primi et secundi Ordinis habitum, nec nomen Capuccinorum mutuantur, licet tamen, uti relatum fuit, ad magnam Familiam Franciscanam pertineant. Quapropter idem Minister Generalis, ad obsecundandum piis enunciatarum Congregationum votis, ad praecavendas invalidas Tertiariorum regularium aggregationes, et etiam ad sui Ordinis bonum spirituale promovendum, Sanctitati V. humiliter supplicatur pro gratia :

1°. Ut tam ipse quam sui successores, Congregationes Tertiariorum ac Tertiariarum Tertii Ordinis S. Francisci re-

(1) **Eadem facultas iam concessa fuit Ordini Minorum per decretum diei 30 Ianuarii 1905 relatum in *Actis S. Sedis,* vol. 37, pag. 685 *(N. R.).***

(2) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag.** 377.

gulam a Leone XIII approbatae quoad substantiam profitentium, in communitate viventium et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi Ordinis habitum et nomen mutuentur, sive non, eidem primo et secundo Ordini aggregare possint et valeant.

2°. Ut earumdem Congregationum sodales, si id petant, ut quandoque evenit, participes reddere valeant omnium bonorum operum, quae in dicto primo et secundo Ordine a singulis membris peraguntur, utque vicissim primi et secundi Ordinis membra participare possint omnibus bonis operibus, quae a sodalibus Congregationum ut supra aggregatarum perficiuntur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus P. Ministri Generalis oratoris pro gratia, dummodo enunciatae Societates sint rite Tertio Ordini Franciscali addictae, nec alterius Familiae Franciscalis seu Fratrum Minorum vel Fratrum Minorum Conventualium directioni subiaceant. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 18 Novembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. «$* S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

ORDINIS S. BENEDICTI

Indultum privatim recitandi Officium parvum B. M. Virginis.

Beatissime Pater,

Praeses Congregationis Benedictinae Bavaricae exponit quod Constitutiones a Capitulo generali recognitae atque

Apostolica auctoritate nuperrime confirmatae, sub n. 93 **praescribunt: « Conversi pro Officio divino Dominicis et festis de praecepto Officium parvum Beatae Mariae Virginis communiter recitant; aliis vero diebus SSmi Rosarii quinque décades cum una ex litaniis approbatis ». Porro quum in quibusdam monasteriis in usu iam sit quotidie recitandi publice Officium parvum Beatae Mariae Virginis lingua latina, vespere autem litaniam una cum precibus vespertinis necnon privatim SSmum Rosarium, humiliter declarari postulat:**

I. An Fratres conversi celebrare possint Officium parvum B. M. V., quod in Breviario invenitur, etiam diebus infra hebdomadam?

II. An iidem Fratres, non obstante supra relata Constitutionum praescriptione, illud recitare valeant lingua latina?

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, Praesidi Congregationis Bavaricae, firmis remanentibüs Constitutionibus, facultatem tribuit permittendi ut Fratres conversi, qui hucusque Officium B. M. V. quotidie celebrare solebant publice, ex mera devotione privatim persolvere valeant, servata, quoad linguam sive latinam sive vernaculam, uniuscuiusque monasterii consuetudine.

Romae 29 **Ianuarii** 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S. **Philippus Giustini,** *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA ET ALIARUM

DUBIUM DE ALIENATIONE

Beneplacitum Apostolicum sub excommunicationis poena requiritur etiam pro publicis titulis ecclesiasticis alienandis vel permutandis.

Dubia. Quaesitum nuper fuit: « I. Se per le alienazioniMei valori al portatore, spettanti ad enti ecclesiastici od a cause pie soggette alla tutela della Chiesa, sia necessario il beneplacito Apostolico come per le alienazioni dei beni immobili e delle cose preziose;

IL Se egual facoltà si richiede per la permuta dei medesimi in altri titoli o valori anche immobili ;

III. Se i venditori e gli acquirenti siano soggetti alle pene ecclesiastiche sancite dal Tridentino al *capo II, sess. XXII de reform.,* dalla Extrav. *Ambitiosae* e dalla Costit. *Apostolicae Sedis* » (i).

Animadversiones. Quod attinet ad primum dubium quaestio huc recidit, utrum nempe versurae publicae, vulgo *titoli pubblici di credito al portatore,* cadant sub dispositione celebris Const. Pauli II *Ambitiosae cupiditati,* qua prohibetur alienare sine beneplacito Apostolico bona ecclesiastica immobilia et mobilia praetiosa *(Extrav. Comm.* Ambitiosae, *cap. un., de rebus Eccl. non alienandis).* Iamvero doctores unanimiter tenent hanc Constitutionem late, id est favore Ecclesiae,

(i) I°. An pro alienationibus publicarum versurarum, ad ecclesiastica entia vel ad pias causas tutelae Ecclesiae subiectas spectantium, Apostolicum beneplacitum requiratur prouti pro alienationibus bonorum immobilium ac rerum praetiosarum ; 2°. An eadem facultas requiratur pro earumdem permutatione in alias publicas versuras aut valores etiam immobiles; 3°. An venditores et acquirentes obnoxii sint ecclesiasticis poenis a Conc. Trid. statutis *cap. il, sess. 22 de reform.,* ab Extrav. *Ambitiosae* et a Constit. *Apostolicae Sedis (V. R.).*

interpretandam esse ; atque ideo nomine bonorum immobilium vel rerum mobilium pretiosarum venire etiam « iura incorporalia et Servitutes... item *nomina debitorum,* obligationes, actiones, etc. » ; Pichler *(III, XIII, § i, n. 2),* S. Alphonsus *(lib. IV, n. I8J),* et aliii passim. Atqui *nomina debitorum* sunt privata vel publica, prout debitor est privata persona vel publicum institutum aut Gubernium. Ergo versurae publicae cadunt sub dispositione Paulinae Constitutionis.

Quinimo doctores expresse etiam de huiusmodi versuris loquuntur.* Ita Ferraris *(v.* alienatio, *art. 4, n. 2j)* de locis montium, quae olim aequivalebant modernis titulis publicis, ait: « Sine beneplacito Apostolico nequeunt alienari loca montium, seu pecunia collocata in montibus; quia pecunia sic applicata est fructifera, cum pariat ius exigendi quotannis certae pecuniae summam, adeo ut talis pecunia collocata iri montibus, seu ipsa loca montium connumerentur inter bona immobilia, quae sine beneplacito Apostolico alienari non possunt ». Et Card. De Luca *(de alienai., disc, i, n. ij)* dicit cadere sub dispositione praefatae Extravagantis « bona stabilia per veritatem, id est soli, ut sunt praedia rustica vel urbana » et bona stabilia quae talia habentur per fictionem iuris « ut sunt census activi per Ecclesiam possessi... ac etiam iura cum Principe vel Republica, quae in Urbe, et frequentius per Italiam, loca montium dicuntur; nam receptum est ea quoque venire tum quoad omnimodam alienationem, quam reductionem, vulgo sbassationem ».

Pro recentioribus doctoribus sufficiat citasse Card. D'Annibale, qui *(Summ., part. III, § j8)* docet: «Bona immobilia accipere debemus et ea quae fundo tenentur, et iura realia, uti census, reditus ex versuris publicis, et pecuniam praediis vel mobilibus pretiosis acquirendis destinatam ». Id autem eo magis valet nostris hisce temporibus ; cum enim satanicae leges civiles, quas eversivas vocant, plerisque ecclesiasticis institutis denegent iuridicam entitatem, aut saltem

facultatem possidendi bona immobilia, acquisitio titulorum debiti publici, quae olim erat modus subsidiarius investiendi Ecclesiae pecuniam, quo scilicet uti licebat quando praesto non esset investimentum in stabilibus tutis et fructiferis aut, iis deficientibus, in censu, acquisitio, inquam, titulorum huiusmodi evasit titulus investiendi primarius, quem S. Sedes nedum permittit, sed suadet, et aliquando etiam praecipit. Hinc Card. Gennari *(Monit. eccl., vol. S, pag. 2ji)* concludit: « Non rimane perciò altro mezzo più facile e meno esposto a pericoli, per le pie fondazioni oggidì, che'quello di consegnare al Vescovo le somme perchè le investa in titoli al portatore, e delle rendite faccia l'uso che vien dichiarato dall'offerente ». Non est itaque vel minime ambigendum quod tituli, de quibus in proposito dubio, cadant sub dispositione Extrav. *Ambitiosae,* atque ideo non possint sine beneplacito Apostolico alienari.

Quod spectat ad alterum dubium, convenit apud omnes nomine alienationis venire etiam permutationem. Ita Schmalzgrueber *(III, iß, § i, n. ç)* ait: « Quaeritur quinam contractus et actus in specie nomine alienationis prohibeantur clericis circa res Ecclesiarum. Resp.: prohibetur donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris etc. ». Idem tenet cum aliis recentioribus Wernz, qui *(tom. III, n. 154)* haec habet: « Alienatio bonorum ecclesiasticorum hoc loco sumitur sensu lato.... Hinc actus alienationis sunt donatio, venditio, permutatio, solutio, cessio iuris v. g. crediti vel litis vel actionis iam quaesitae etc. ». Quod cum ita sit, patet permutationem titulorum publicorum cum aliis titulis publicis aut cum bonis immobilibus absque Apostolico beneplacito fieri non posse. Consulto tamen advertit Wernz *(I. c, n. 16j)* « in casibus plane extraordinariis non esse insistendum litterae legis, ubi periculum est in mora et propter urgentem necessitatem recursus ad Romanum Pontificem fieri nequit ».

Hinc iam plana sese affert tertii dubii solutio; scilicet

cum tituli debiti publici cadant sub dispositione Extrav. *Ambitiosae,* quae relata est in Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* his verbis: « Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus... alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae, de reb. Eccl. non alienandis* », facile quisque poterit, de poena quam incurrunt huiusmodi alienantes et recipere praesumentes, sese certiorari probatos consulendo auctores.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii praepositi, tribus praefatis dubiis, die 17 Februarii 1906 respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis.*

Ad III. *Affirmative quoad poenas in Extravaganti* Ambitiosae *et Constitutione* Apostolicae Sedis *statutas.*

Colliges. i°. Tituli publici non exigui valoris, ad ecclesiastica entia seu ad causas pias spectantes, rebus immobilibus aut mobilibus pretiosis aequiparantur.

2°. Hinc eorum quoque alienatio et permutatio perfici nequit absque beneplacito Sedis Apostolicae, quod licet omnes solemnitates a iure antiquo praescriptas suppleat, de facto tamen non conceditur nisi auditis interesse habentibus.

3°. In casibus praeterea urgentioribus permutatio versurarum publicarum ad bona ecclesiastica pertinentium, non autem alienatio, fieri permittitur cum sola Ordinarii licentia.

4°. Secus alienatio et permutatio in casu est nullius roboris vel momenti in foro saltem externo, iidemque contrahentes incurrunt ipso facto excommunicationem nemini reservatam ab Extra vaganti *Ambitiosae* sancitam atque a Bulla *Apostolicae Sedis* renovatam.

AQUILANA

IURIS NOMINANDI

Extincto iuspatronatus, nominatio ad beneficium competit Ordinario, etiamsi institutio ad alium collatorem spectet.

Species facti. In Cathedrali Aquilana duae extant capellaniae sub titulo S. Maximi et S. Catharinae, quae iuripatronatui laicali hucusque subiiciebantur. Patroni enim iure pollebant capellanos nominandi, quorum tamen confirmatio ad Archiepiscopum, institutio vero ad Capitulum ex antiqua consuetudine spectabat. At postremis hisce temporibus iuspatronatus, extinctis familiis ipsum exercentibus, penitus cessavit.

Quum autem praefatae capellaniae ob suorum titularium decessum nuper vacassent, Archiepiscopus ius sibi vindicavit nominandi capellanos dein a Capitulo instituendos. Obstitere tamen Capitulares; qui dictas capellanías liberae ipsorum collationis factas fuisse contendentes, de consensu sui Ordinarii ab hac S. Congregatione expostularunt decernendum cuinam competeret ius nominandi capellanos in casu. Verum haec S. C, ne diutius dictae capellaniae suis titularibus privarentur, facultatem tribuit Archiepiscopo instituendi pro hac tantum vice capellanos, praehabito tamen Capituli consensu circa sacerdotes in iisdem capellaniis instituendos, « salvis iuribus respective tum ipsius Archiepiscopi tum Capituli quoad nominationem seu provisionem dictorum beneficiatörum, de quibus videndum in iudicio petitorio ».

Animadversiones favore Capituli. Compertum in primis est iuspatronatus de sui natura individuum esse, et habitualiter residere in solidum penes singulos patronos ; deficiente proinde aliquo ex patronis, vi iuris accrescendi seu non decrescendi, in coeteris illud consolidatur. Hoc tenuit Rota *(dec. 248, n. 6, part. 14 Recent.)'.* « Ius patronatus pluribus personis delatum, altera ex eis deficiente, accrescit aliis ». Porro iuspatronatus, ut communiter tenent moderni

doctores, non in solo nominandi iure, sed in complexu quorumdam iurium ac nonnullorum onerum consistit. Cfr. Berardi Seb. ***(De benef, eccl., diss.*** *4,* ***cap. i),*** **De Angelis** ***(lib.*** *3* ***Decret., tit.*** *j8,* ***n. i)*** **et Sebastianeiii** ***(De rebus, part.*** *2,* ***n.*** *202).* **Quapropter sicut dari potest patronatus absque iure eligendi, uti constat ex clara dictione Decretalium** ***(lib. ß, tit.*** *j8,* ***cap.*** *2j),* **ita haberi quoque potest patronatus cum solo institutionis iure. In themate autem patronis laicis, quibus potestas tituli collativa spectare nequit, datum fuit ius praesentationis, dum e contra Capitulo, utpote ecclesiasticis personis conflato, ius collationis est concessum. Quare, quum heic sive laici sive clerici veluti compatroni habeantur, deficientibus patronis laicis, ius nominandi in Capitulo consolidari videtur.**

Iuspatronatus praeterea extinguitur ac penitus cessat per completum interitum subiecti competentis, cui illud inhaeret, uti cessatione patronorum vel extinctione familiae aut gentis cui illud spectabat. Quando nimirum extinguitur patronus, collatio beneficii evadit libera, et locum amplius non habet praesentatio, quia beneficium ad primaevam libertatis naturam redit. Iamvero si nominatio ad Episcopum devolvatur, tunc in casu collatio a Capitulo peragenda minime libera dicenda esset, quum mutato dumtaxat iurispatronatus subiecto, iuri nominationis alligata iugiter maneret. Hanc doctrinam tuetur Pitonius ***(De controv. patron., alleg.*** *101,* ***n.*** *182)* **hisce verbis: « Per extinctionem patronorum iuspatronatus non devolvitur ad Episcopum, sed omnino extinguitur, et ecclesia fit libera ipso iure ». Congruit Caesar Lambertini** ***(De iurepatr., part.*** *2,* ***lib. I, art. i f).*** **Neque in casu iuspatronatus devolvi potest ad Episcopum, quia quod extinctum est, ad alium transire ab eoque exerceri nequit.**

Rationes praeterea, quae in contrarium adduci possunt, casus tantummodo respicere videntur, in quibus Episcopus ex iure ordinario facultate pollet conferendi beneficia, minime

vero casus, in quibus ipse hac destituitur facultate, quae e contra inferioribus collatoribus est attributa. Tunc enim ipsi quamvis ex iure extraordinario ius collationis acquirant, attamen iure proprio beneficia conferunt. Ita Leurenius ***(For. benef.,part. 2, quaest.*** *66f)* **habet: « Quis sit et dicatur collator ordinarius? Respondeo: illum, qui iure proprio beneficium confert, tametsi iurisdictionem nullam habeat, et sive hanc potestatem habeat a iure sive ex praescriptione, consuetudine, privilegio, argum. cap.** ***Ordinarii de off. Ordinar, in*** *6,* ***et cap. Si soli, de Praeb, in*** *6.* **Et sic in specie Capitulum, dum legitime iustificavit consuetudinem conferendi privative ad Episcopum, venire sub nomine ordinarii collatoris, ait Card. De Luca** ***de benef, disc, ßi, n.*** **/f ».**

Animadversiones favore Archiepiscopi. Per patronorum extinctionem extinguitur hoc ipso iuspatronatus eisdem inhaerens; ecclesia proinde fit liberae electionis, atque Episcopus qui vi muneris sui est ordinarius ac proprius beneficiorum in dioecesi administrator et distributor, ius libere eligendi beneficiatos acquirit. Sane Barbosa ***(Ius eccl., lib. ß, cap. 12, n.*** *iß8)* **docet: « Iuspatronatus amittitur et penitus extinguitur deficiente et penitus extincta linea vocatorum ad tale iuspatronatus; tunc enim ecclesia seu beneficium libertatem consequitur et libere ab Ordinario confertur ». Cfr. etiam Reiffenstuel** ***(Ius can., lib. ß, tit.*** *ß8,* ***n. I2ß),*** **Pirhing** ***(Ius can., ibid., n.*** *I ß 8) ,* **Galiardi** ***(De iurepatr., cap.*** *24,* ***n.*** *18).* **In casu autem si ius nominandi beneficiatos devolvatur ad Capitulum, beneficia non amplius dici possent pristinam acquisivisse libertatem, sed potius iterum, mutato dumtaxat subiecto, in servitutem redacta esse.**

Episcopus praeterea ad liberam et ordinariam collationem omnium beneficiorum, quae in territorio suae dioecesis subiecto reperiuntur, intentionem habet fundatam in iure contra quam, iuxta Wernz ***(Ius Decret., tom. 2, num. 2^ß)*** **« omnes, qui sive electione, sive praesentatione vel nomina-**

tione liberam collationem Episcopi sese limitare posse praetendunt, iura sua allegata concludentibus argumentis probare debent, secus in officiis dioecesanis pro pleno iure Episcopi ad provisionem est ferenda sententia ». Id enim eruitur ex pluribus canonum praescriptionibus, praesertim vero ex Decretalibus *(lib. 2, tit. 25, cap.-6; et lib. J, tit. 8, cap. j),* **necnon ex doctrina doctorum, uti Leurenii** *(loc. cit., quaest. 66y et 666),* **Garcias** *(De benef., part. y, cap. i, n. 235).* **Quinimo etiam in dubio, utrum ius nominandi competat Ordinario vel inferioribus clericis, sententia ferenda est pro Ordinario, qui pro se praesumptionem habet.**

Insuper talis est iurisdictio Episcopi super beneficiis suae dioecesis, ut ipse aliquando acquirere valeat iuspatronatus, quin tamen aliquid ex se praestiterit ad illud obtinendum, una simul cum aliis compatronis. Ita Pitonius *(loc. cit., alleg. 14, n. 2 et iy).*

Nec praetereundum est quod Capitulum sibi applicare nequit ius accrescendi seu non decrescendi. Hoc enim tantummodo invocari potest a compatronis, et quidem de eodem beneficio, non autem a compatronis de diverso et distincto beneficio, et eo minus a beneficii collatore, qui proprie patronus dici nequit. Secus enim Episcopus, qui est ordinarius collator omnium beneficiorum suae dioecesis, dici deberet eorumdem patronus. Conceptus autem iurispatronatus et institutionis inter se differunt.

Caeterum Capitulares in themate nullum alium titulum proferre valent, quo iuspatronatus ad ipsos translatum fuisse constet. Extinctio enim familiae iuspatronatum exercentis minime computatur inter titulos sive originarios sive derivatos translationis eiusdem de persona ad collatorem extraordinarium seu in casu ad Capitulum. Eo vel magis quod, dum in vita erant ipsi patroni laici, praeter collationis Bullam acinvestituram, nihil aliud peragebant Capitulares. Omnia enim quae ad capellanorum renuntiationem, litis contestationem

aliaque huiusce generis referuntur, ad solum Episcopum spectabant.

Demum testimonia ex adverso allata, in quibus dicitur quod, extincta familia patroni, iuspatronatus non devolvitur ad Episcopum sed extinguitur, hoc tantum sibi volunt, quod Episcopus, absque materiali iurispatronatus acquisitione, liberam et plenam potestatem acquirat conferendi beneficia antea iuri praesentationis alligatam.

Dubium. *An Capitulo ecclesiae Cathedralis Aquilanae seu potius Archiepiscopo competat ius nominandi capellanos S. Maximi et S. Catharinae in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, omnibus matura deliberatione perpensis, die 17 Februarii 1906 rescribere rata est:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, id est Archiepiscopo et amplius.

Colliges. i°. Vi iuris communis a Conc. Trid. *(Sess. 14, cap. 12 et iß de Reform.)* **sanciti solus Episcopus est proprius et ordinarius collator beneficiorum omnium, quae in territorio suae dioecesi subiecto reperiuntur.**

2°. **Ex iure tamen particulari per eamdem Synodum** *(Sess. 24, cap. 18; et Sess. 2J, cap. 9 de Reform.)* **recognito inferioribus quoque collatoribus competere potest institutio beneficiorum, qui proinde, contra intentionem Episcopi in iure fundatam, concludentibus argumentis iura sua probare tenentur.**

3°. **Deficiente et extincta linea vocatorum iuspatronatus exercentium, iuspatronatus ipsum penitus extinguitur, et beneficium propriam acquirit libertatem.**

4°. **Quapropter Episcopus, cui ordinarie competit beneficiorum collatio, huiusmodi beneficium in posterum libere confert, vel saltem, si institutio ad inferiores collatores uti in themate spectet, acquirit ius nominandi ad beneficium antea iuripatronatui subiectum.**

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Quo ex duabus Missionibus unica constituitur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata.

Decreto S. huius Congregationis Fidei Propagandae praepositae, die 15 **Maii** 1886 **dato, Leo f. r. PP. XIII, duas Missiones instituit in Insulis Carolinis, unam nempe Carolinarum Orientalium, Occidentalium alteram, easque Minoribus Capulatis Hispanis excolendas commisit. Cum nuper autem praelaudati Ordinis Minister Generalis ab hoc S. Consilio petierit ut in illis insulis quae hodie germanicae dominationi subsunt, loco duarum Missionum, unica erigeretur Praefectura Apostolica, quae Provinciae Westfaliensis eiusdem Ordinis curis traderetur, Eminentissimi huius Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus die** 4 **vertentis mensis Decembris habitis, hoc negotium pertractandum suscepere. Re itaque mature perpensa, iidem Eminentissimi Patres ad maius rei catholicae incrementum in illis insulis procurandum decreverunt ut loco duarum Missionum illic existentium, Insularum nempe Carolinarum Orientalium atque Carolinarum Occidentalium unica constitueretur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata, atque Provinciae Westfaliensis Ordinis Minorum Capulatorum curis excolenda committeretur.**

Hanc autem Eminentissimorum Patrum sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio divina providentia PP. X relatam in Audientia insequentis diei ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua benigne adprobavit ratamque habuit, et praesens ea de re Decretum edi praecepit.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 18 **Decembris an.** 1905.

Fr. H. M. Card. GOTTI, ***Praefectus.***

L. S. **Aloisius Veccia,** ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MELITEN.

Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ignatii Faizon, clerici saecularis.

Instante Rmo Postulatore huius Causae, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum habitis iuxta peculiares Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia Rmi Dñi Archiepiscopi Episcopi Melitensis super cultu numquam exhibito praefato Ven. Servo Dei Ignatio Faizon, seu super paritione decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, reque mature perpensa rescribendum censuit: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 21 Novembris 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua resolutionem huius Sacri Consilii ratam habuit et probavit die 22, iisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Approbantur Officia propria ac Missae de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C, et de septem Gaudiis B. M. Virginis.

Exercitium pietatis a Via Dolorosa, sive Crucis, nuncupatum, quo reverens fidelium studium in praecipua Loca et Mysteria Dominicae Passionis magnopere nitescit, merito coaevum Ecclesiae primordiis censendum est. Exemplo namque Deiparae Virginis et Apostolorum inciti Christifideles, tum indigenae, tum advenae pie Hierosolymam peregrinantes, ea Monumenta et sacrum potissime ad Calvariam iter, divini sanguinis vestigiis purpuratum, numquam colere desiverunt. Pia tamen Ordinis Minorum industria, praecipue a saeculo decimo quinto et deinceps factum est, ut quemadmodum Hierosolymis, ita alibi sacrum illud iter a Praetorii situ ad Calvariae locum in spiritu a fidelibus conficeretur, nempe per exercitium, ut aiunt, Viae Crucis. Hoc sane pietatis exercitio, quod sensim fere ubique institutum, Sancti Leonardi a Portu Mauritio ferventi opera per Italiae regiones saeculo decimo octavo labente diffusum, viget ac floret nostra hac aetate ; depictis tabellis Mysteria Christi Dolorum, vel sacris litteris vel constanti universali traditione innixa, seorsim referentibus, quatuordecim Loca sive Stationes illius itineris (per auctores et peregrinos cuiuscumque saeculi, necnon ex locali traditione indubie designatas) velut invisimus, ipsumque Dominum patientem et Cruce oneratum devota mente subsequimur. Saluberrimum vero eiusmodi morem sive piam peregrinationem Viae Crucis Romani Pontifices multo indulgentiarum thesauro locupletarunt. Tantis rationum acti momentis Franciscales praesertim e Custodia Hierosolymitana, iamdudum concupierant, ut quae pia Mysteria hactenus privato tantum et populari velut more ubique gentium coluntur, ea ipsis in locis, ubi parta sunt, atque ab Ordine Minorum universo legitime celebrari liceret. Hisce itaque votis

libenter obsecundans Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator totius Ordinis Minorum, et nomine Reverendissimi Patris Ministri Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus rogavit, ut Festum de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi Feriae VI ante Dominicam Septuagesimae, sub ritu duplici secundae classis in Kalendario ac Breviario et Missali Ordinis affigi valeat, cum Officio ac Missa propriis, quorum schema supremae sanctioni Apostolicae Sedis demississime subiecit.

Quum insuper ad peculiarem devotionem omni antiquitatis aevo celeberrimam, Sancto Martyri Thomae Cantuariensium Antistiti valde familiarem, atque a Summis Pontificibus indulgentiarum largitionibus ditatam, qua Deiparam Virginem in gaudio non minus quam in dolore admirabilem pientissime veneramur, Minorum Ordo antiquitus vocatus dici possit, quemadmodum de Virginis ipsius Doloribus praedicandis et assidue colendis Servorum Ordini munus coelitus traditum fuit; hinc Reverendissimus idem Pater Procurator Generalis Festum quoque Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplici secundae classis, Dominica prima post Octavam Assumptionis, cum exhibitis officio ac Missa propriis, ab ipso Minorum Ordine recolendum flagitavit.

Itaque, ad iuris tramitem, quum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Relator, eiusmodi Officia cum Missis propria de utroque Festo in Ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt : *Pro gratia, et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 20 Februarii 1906.

Postmodum duobus iisdem Officiis ac Missis diligenti studio revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, benigne indulgere dignata est, ut Festum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque alterum Septem **Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis cum eiusmodi Officiis ac Missis propriis ab Ordine Fratrum Minorum quotannis expetita Feria et Dominica recoli valeant: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.**

Die 14 **Martii, eodem anno.**

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «J* S. f **D. Panici, Archiep. Laodicen..** *Secretarius.*

SAMOGITIEN.

De cantu Responsorii " Libera me Domine „ et de Absolutione post Missas de die.

Hodiernus Rmus Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus defunctorum fovendam et secundum antiquam ac vigentem in dioecesi Samogitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die et non de Requie, cantatas vel lectas, in medio ecclesiae extendi pannus niger, et, posito prope et extra illum crucifixo, cantari a sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera* cum aspersionibus et incensationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Servetur decretum n. 3780 ***Romana*** 12 **Iulii** 1892 **ad**

VIII (i); et si dicatur Officium defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum et ante Missam.

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

LINCIEN.

De celebranda Missa de SS. Trinitate pro felici Causae exitu Ven. Rudigier, loco Missae de Requie ab eodem fundatae.

Venerabilis Servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Linciensis irt ultimo suo testamento paucis ante obitum diebus scripto inter alia fundari Missam quotannis die obitus sui in ecclesia nova cathedrali celebrandam iussit.

Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est, quantum exigitur ad fundandam Missam solemnem de Requie una cum Officio Defunctorum, et haec Missa necnon Officium exinde quotannis die 29 Novembris, qui est dies obitus Venerabilis Servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

Quum vero die 6 mensis Decembris, elapsi anni 1905, Sanctissimus Dominus Noster Pius X signare dignatus sit Commissionem introductionis Causae beatificationis eiusdem Ven. Servi Dei, Rmus Dnus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit an in posterum celebranda sit

(i) Proposito enim dubio VIII: « Num Absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepulturam cantari quotidie possit, maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas », S. R. C. die 12 Iulii 1892 respondit: « Ad VIII Affirmative, exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, nunquam post Missam de die, nisi omnino independenter ab eadem » ***(N. R.).***

Missa fundata de Requie pro ipso Venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo sive pro Anniversario in levamen Episcopi defuncti **qui Ven. Servo Dei immediate successit quique Missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in Causa beatificationis et canonizationis eiusdem Venerabilis Servi Dei.**

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, declarare dignata est, pium legatum a praedicto Ven. Dei Famulo institutum esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris quotannis die obitus ipsius Ven. Servi Dei peragendi, Missa solemnis celebretur de SSma Trinitate pro felici Causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 **Aprilis** 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. ✠ S. **† D. Panici, Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Conceditur indulgentia recitantibus precem " Je vous adore „.

Beatissime Pater,

Felix Episcopus Foroiuliensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit ut dignetur S. V. tercentum dies de vera indulgentia impertire quibuslibet fidelibus recitantibus precem sequentem quam e methodo meditationis S. Francisci Salesii atque Venerabilis F. F. Olier, substantialiter deprompsit, videlicet: et quam, duobus abhinc annis, a puellis et aliis, lectiones de Religione a se Aquissextiis accurate audientibus, pie recitare iam in usu gaudebat esse, videlicet:

« Je vous adore, ô Dieu, en trois personnes; je m'anéantis devant Votre Majesté. Vous seul êtes l'Etre, la vie, vé-

rite, **beauté, bonté. Je vous glorifie, je vous loue, je vous remercie et je vous aime, tout incapable et indigne que je suis, en union avec votre Cher Fils Jésus-Christ, notre Sauveur et notre Père, dans la miséricorde de son cœur et par ses mérites infinis. Je veux vous servir, vous plaire, vous obéir et vous aimer toujours, avec Marie Immaculée, Mère de Dieu et la nôtre, aimant aussi et servant mon prochain, pour votre amour. C'est pourquoi donnez-moi votre Saint-Esprit qui m'éclaire, me corrige et me guide dans la voie de vos commandements, et en toute perfection, en attendant le bonheur du Ciel où nous vous glorifierons à jamais. Ainsi soit-il ».**

Recitantibus hanc precem ter centum dierum indulgentiam in Domino concedimus.

***Die** 28 **Feb.** 1906.*

PIUS PP. X

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 18 **Aprilis** 1906.

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentiae concessae Neerlandis orantibus pro conversione Neeriandiae extenduntur ad omnes fideles.

Beatissime Pater,

Superior Generalis Congregationis B. M. V. Matris Misericordiae, existentis Tilbergi, Dioec. Buscoducen., ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quae sequuntur:

Die II **Iunii** 1852, **per Rescriptum S. R. C, Summus Pontifex Pius IX favore christifidelium in Neerlandia degentium, qui peculiares quasdam preces pro conversione illius regionis recitaverint, benigne concessit : « ut fideles singuli**

toties, quoties orarint pro exposito fine, consequi valeant Indulgentiam ducentorum dierum, et Plenariam Indulgentiam semel in mense lucrari, dummodo per integrum mensem tali modo orarint, die qua vere poenitentes ad S. Synaxim accèdent, et aliquas etiam preces fuderint iuxta mentem Sanctitatis Suae ». Cum vero huiusmodi pia praxis, orandi scilicet pro Neerlandiae conversione, per diversas orbis regiones iam diffusa reperiatur, humilis orator enixe petit, ut S. V. praefatas Indulgentias ad omnes ex utroque sexu christifideles, ubique degentes, benigne extendere dignetur.

Et Deus etc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X, in Audientia habita die 14 **Martii** 1906 **ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.**

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 14 **Martii** 1906.

A. Card, TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. *f. S. **f D. Panici, Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

EX S. C. VISITATIONIS APOSTOLICAE

De S. Visitatione Apostolica Urbis eiusve Districtus (i).

NORME SPECIALI PER I RMI VISITATORI
E ORDINE DELLA VISITA REALE E LOCALE

IL

Ordine delia visita reale e locale nelle chiese.

Observet Visitator, ei Notarius describat, an sint, qualia sint, quae sequuntur.
Gavantus, *Praxis Visit.*

I. *Visita dei SS. Sacramento.*

1. **Pisside.** *Se la coppa non è d'argento, può tollerarsi. L'interno della coppa e del coperchio deve essere dorato. La pisside deve avere la copertura di seta, fondo bianco, ovvero di lama d'oro o di argento.*

2. **Pisside piccola** *(nelle chiese parrocchiali)* **e relativa borsa prescritta dal Rituale Romano per la Comunione agli infermi.**

3. **Scatola internamente dorata per l'ostia grande.**

4. **Ostensorio con cerchio e lunetta dorati.** *La lunetta deve essere formata in modo che possa comodamente aprirsi per purificarla.*

5. **Crocetta sui vasi Eucaristici. (S. R. C,** 11 **Sept.** 1847, **n.** 2957).

6. **Particole, ostie, loro rinnovazione ogni otto giorni.**

7. **Tabernacolo.** *La Congr. dei Vesc. e Reg. il 26 Ott. 1575* **(Cavalieri, tom.** 4, **decr.** 1007) *prescrisse-.* **«Tabernaculum regulariter debet esse ligneum extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum ».** *Nei luoghi ove occorra difenderlo dall'umidità, se fosse di stucco 0 di marmo,*

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, p. 202, 27.5 et 4C0, vol. 38, p. 172.

nell'interno va rivestito di legno. Deve pure essere ben fisso e assicurato all'altare.

8. **Corporale e addobbo interno.** *Se l'interno non è rivestito di lamina dorata, deve essere ricoperto di seta bianca o di altro tessuto prezioso* (S. R. C, 7 Aug. 1871, n. 3254, e 5 Iun. 1889, n. 3709). *// corporale deve essere ben liscio, disteso e della larghezza adatta. Il Tabernacolo deve essere benedetto* (S. R. C, 20 Giugno 1899, n. 4035).

9. **Tabernacolo, parte esterna.** *Vedere se è decente.*

10. **Tabernacolo, sportello.** *Vedere se combacia perfettamente, e non vi sia alcuna fessura che possa dar adito agli insetti.*

11. **Tabernacolo, chiave e sua custodia.** *La chiave deve essere d'argento, 0 almeno di metallo argentato 0 dorato, custodita da un sacerdote.*

12. **Conopeo.** *È prescritto dal Rituale e dalla S. Congr. dei Riti col decreto 31JO del 28 Aprile 1866. Può essere sempre bianco, oppure del colore del giorno.* « **Tabernaculum argento vel alia pretiosa materia confectum eo ipso a generali obligatione conopaei non est immune** » *(S. R. C, 7 Aug. 1880, n. 3320). Per certi casi particolari la competente autorità potrà disporre diversamente.*

13. **Baldacchino sull'altare.** *È prescritto dalla S. Congr. dei Riti, 23 Maggio 1846, n. 2912, e 23 Nov. 1880, n. 3525.*

14. **Vasetto per l'abluzione.**

15. **Tronetto pel Viatico.** *Ordinato per Roma da Innocenzo XII, citato dal Baruffaldi (tit. 26, 7ip).*

16. **Lanterne pel Viatico.**

17. **Ombrello pel Viatico.**

18. **Trono per l'esposizione del SSmo.** *Deve avere nella parte superiore una corona a foggia di piccolo baldacchino col cielo preferibilmente di stoffa* (Cf. Gardellini, *Istruz. Clementina,* § V, e Menghini pag. 22). *Non può usarsi per esporre le reliquie.*

19. **Balaustrata per la Comunione e rispettive tovaglie.**

20. **Tavoletta con pannolino stirato, uso palla, non ricamato o reticolato, pei comunicandi.** *È appena tollerato il piattino metallico, ma deve essere tenuto ben pulito e custodito dentro una borsa.*

21. **Lampada ad olio d'olivo sempre accesa.** *Almeno una decente e pulita.*

22. *Comunichino* **per le Religiose.**

23. *Disposizioni da prendersi circa le risposte ai quesiti per le chiese, n. 10.*

II. *Visita del Battistero.*

1. **Collocazione del fonte.** *Se vicino ad una delle porte.*
2. **Vasca di pietra non porosa, divisa internamente.**
3. **Acqua monda e limpida.**
4. **Coperchio o ciborio.**
5. **L'interno addobbato in bianco, se non è altrimenti bene decorato.**
6. **Sportello chiuso a chiave.**
7. **Cucchiaio d'argento o di peltro.**
8. **Vasetto del sale.** *Per gli Olii vedi § seguente, n. 6.*
9. **Pannolino da imporre come veste candida.**
10. **Stola violacea e stola bianca.** *È permessa una stola unica da una parte violacea e dall' altra bianca (S. Congr. dei Riti, decreto n. 3086 del 26 Marzo 1859).*
11. **Conopeo esterno bianco.** *È richiesto se il ciborio non è altrimenti bene ornato.*
12. **Immagine di S. Giovanni battezzante N. S.**
13. **Cancelli chiusi con chiave.**
14. **Sacrario chiuso.**
15. **Battesimi in case private.** *La Congr. dei Riti con decreto 27 Apr. i8jj, n. 3418, dispose:* **« Baptismus administrari nequit domi, sed Episcopus curet ut abusus removeantur, et infantes deferantur ad ecclesiam ».**

16. *Disposizioni da prendersi circa le risposte ai quesiti 83, 84 e 83 per le parrocchie.*

III. *Visita degli Olii Santi.*

1. **Armadietto o custodia.** *Se è scavato nel muro, l'interno va rivestito di legno per difenderlo dall'umidità.*

2. **Iscrizione esterna.**

3. **Sportello chiuso con chiave.**

4. **L'interno addobbato in violaceo;** *se non è altrimenti bene ornato.*

5. **Borsa violacea per l'Olio degli infermi.** *L'Olio degl'infermi non può tenersi in casa se non con permesso* **in casu magnae distantiae** *(S. R. C, 31 Agosto i8j2, n. 32JI).*

6. **Vasetti d'argento o di stagno, con crocetta per i sacri Olii, ciascuno segnato col nome (p. e. O. I. - CHR. - CAT.).** *Se sono di rame o di ottone devono essere almeno argentati all'esterno, e internamente muniti di un bicchierino per impedire il verde-rame.*

7. **Rinnovazione degli Olii.**

IV. *Visita delle Sante Reliquie.*

1. **Armadio a ciò riservato.** *Se è scavato nel muro, Vinterno va rivestito di legno per difenderlo dall'umidità.*

2. **Iscrizione esterna.**

3. **Sportello chiuso con chiave.**

4. **L'interno addobbato in rosso;** *se non è altrimenti bene ornato.*

5. **Teche con sigillo intatto.** *La S. C. delle Indulgenze e Reliquie, il 22 Febbraio 184], proibì che nella stessa teca, fra le Reliquie dei Santi, vi sia quella del legno della S. Croce.*

6. **Catalogo delle Reliquie, come al quesito 24 per le chiese.**

7. **Autentiche delle medesime.** *Vedere se sono regolari.*

8. **Esposizione di esse (non mai sul Tabernacolo).** *Le Re-*

liquie non devono mai restare scoperte se non vi ardano davanti almeno due lumi (S. R. C, 22 Gennaio Ijoi, n. 206 j).

9. **Espositorio per esse senza piccolo baldacchino.**

10. **Reliquie sotto gli altari o in altre parti della chiesa.**

V. *Visita degli Altari, delle sacre Immagini e Cappelle.*

1. **Materia, forma e misura degli altari.** *Non dovrebbero avere l'altezza minore di cm. pj, ne maggiore di m. 1,0J, ne la lunghezza della mensa minore di m. l,fo.*

2. **Scalini, o** *almeno* **predella di legno.**

3. **Mensa intera di una sola pietra posante su base pure di pietra, se l'altare è consacrato come fisso.**

4. **Pietra sacra di almeno cm. 33 per 25, se l'altare non è consacrato come fisso.**

5. **Sepolcrino intatto.**

6. *Crismale* **di tela di lino o canapa cerata.**

7. **Tovaglie tre di lino ; la superiore deve pendere ai lati in modo da coprirli interamente.**

Se l'altare è ben decorato anche ai lati, oppure al disotto è tutto vuoto e aperto, la tovaglia superiore per sentenza di rubricisti autorevoli (Cf. De Herdt, I, n. 179) *non può riprovarsi se è breve ai lati dell'altare come sul davanti. Non si ammette una cornice sugli orli della mensa sopra le tovaglie.*

8. **Tela** *stragula* **o copertura per difendere la mensa dell'altare dalla polvere.**

9. **Fronte dell'altare, se non è decorosamente ornata, va coperta con paliotto.** *Questo non si usa quando la fronte dell'altare è artistica 0 preziosa.*

10. **Se l'altare è chiuso da tutti i lati, non deve servire d'armadio se non per le S. Reliquie.**

n. **Tabernacolo, se vi è** *(vedi sopraparagr. i,n. J—ii). Quando il tabernacolo non contiene il SSmo non deve esser coperto di conopeo.*

12. **Croce con Crocefisso in mezzo ai candelieri, coll'asta**

maggiore lunga almeno cm. 40, **e la minore cm.** 22, **affinchè sia visibile al sacerdote e al popolo.**

13. **Candelieri.**

14. **Tavolette (Cartagloria).** *Terminate le Messe è meglio rimuoverle, almeno dall' altare del SSmo.*

15. **Se vi è sottoquadro, questo non deve basare sul Tabernacolo.**

16. **Santo Titolare, quadro o statua.** *Le statue non devono essere vestite con vesti mobili, si eccettua la pianeta, la cotta, la stola. Le statue così vestite, già in uso prima del i8jj, si tollerano.*

17. **Immagini dei Beati, proibite in chiesa o in sacristia se non si ottenne speciale indulto pontificio.** *Dei Beati però, de' quali ivi si celebra la Messa, si può esporre Vimmagine.*

18. **Se l'altare è privilegiato vederne il Breve.**

19. **Legati ivi eretti.**

20. **Presbiterio o cappella.**

21. **Pavimento e vòlto.**

22. **Balaustrata o cancellata.**

23. **Banco nel Presbiterio.** *Le sedie pel Celebrante e pei Ministri furono proibite da Pio VII con decreto /7 Settembre 1822, n. 3104.*

24. **Baldacchino sull'altare maggiore* anche se non vi si conservi il SSmo Sacramento** *(S. R. C, 21 lui. 1846, n. 2912).*

25. **Manutenzione dell'altare, a chi spetta.**

26. **Illuminazione sull'altare.** *La S. Congr. dei Riti ammette ad uso del culto la sola cera e l'olio d'olivo. Tollera la luce elettrica* **ad repellendas tenebras ecclesiasque splendidius illuminandas, cauto tamen ne modus speciem praeferat theatralem,** *4 Giugno 18pf, n. ß8jp. Proibisce le lampade ad olio imminenti sull'altare, 20 Giugno i8pp, n. 40j'f.*

27. *Disposizioni da prendersi circa le risposte ai quesiti p, II e 12 per le chiese.*

vi. *Visita dei Confessionali.*

1. **Numero di essi.**
2. **Collocazione in luogo patente della chiesa.**
3. **Forma adatta e decorosa.** *Quelli consistenti in una semplice tavola con grata, detti mezzi* **confessionali,** *sono proibiti (Editto Card. Vic. Parocchi, p Febr. l8p8).*
4. **Chiusura di essi.**
5. **Grate metalliche, con velo interno.** *Raccomandato nel citato editto.*
6. **Immagine devota.**
7. **Uso della cotta e stola.** *Prescritto dal Rituale ; e per Roma comandato ai preti secolari da Benedetto XIII.*
8. **Confessioni delle donne, oltre** 1/2 **ora dopo** *XAve Maria,* **proibite.** *Editto citato.*
9. **Tabella delle censure e dei casi riservati.**

VII. *Visita del Coro, Organo e Pulpito.*

1. **Stalli.**
2. **Libri corali.**
3. **Organo e sua manutenzione.**
4. **Cantoria con grata.**
5. **Osservanza dei decreti sul canto sacro, e sul suono dell'organo**
6. **Pulpito.** *Sua posizione.*
7. **Predicazioni solite a farsi nell'anno.** *Si vegga il n. p"j dei quesiti per le parrocchie.*

VIII. *Visita della Chiesa in generale.*

1. **Panche o sedie nella chiesa, se vi sono.**
2. **Loro numero.**
3. **Possessori delle medesime.**
4. **Cassette delle elemosine chiuse con chiavi diverse.** *Queste debbono essere tenute da due 0 tre persone incaricate a ritirare, numerare e registrare le elemosine.*

5. **Estrazione e riscontro** *(controllo)* **delle elemosine.** *Se fatto normalmente e da chi.*

6. **Pile dell'acqua santa.**

7. **Rinnovazione della stessa.** *Chieder conto della mondezza dell'acqua per ogni cautela igienica.*

8. **Navate della chiesa.**

9. **Capacità della chiesa, se è sufficiente alla popolazione della parrocchia.**

10. **Vòlte e pareti. Ritratti del Sommo Pontefice, del Cardinal Titolare.**

11. **Illuminazione della chiesa.** *E permesso l'uso del petrolio, del gas, e quindi anche dell' acetilene e della luce elettrica.*

12. **Coretti di privati.**

13. *Via Crucis, se vi è:* **Sono tollerate le immagini in carta.**

14. **Lapide in memoria della consacrazione.**

15. **Croci della consacrazione alle pareti o alle colonne, e lumi nell'anniversario di essa.**

16. **Altre iscrizioni sulle pareti.** *Vedere se taluna di esse contenga espressioni non conformi al senso della chiesa, specialmente circa il suffragio dei defunti.*

17. **Finestre, se ben difese.**

18. **Pavimento.**

19. **Se vi siano sepolture, vanno chiuse ermeticamente.**

20. **Pulizia della chiesa, delle cappelle, degli altari, del pavimento, dei mobili.**

21. **Porte, se ben sicure.**

22. **Facciata. Stemmi.** *La Congr. Cerimoniale, il 23 Maggio 1902, decise che sulle porte delle chiese di Confraternite non si può mettere lo stemma del Primicerio.*

23. **Croce sul vertice di essa.**

24. **Muri esterni.**

25. **Campanile.**

26. Chiave del medesimo.

27. Campane.

28. *Disposizioni da prendersi circa le risposte ai quesiti 3> 4> 5> 6, 7, 8, iß, iß, 16, /7, i p, 20, 21, 22, 26, 27, 28 per le chiese.*

IX. *Visita della Sagrestia.*

1. Porte ben sicure. *Vicino alla porta che mette in chiesa* pila per l'acqua benedetta.

2. Finestre ben difese.

3. Volto o soffitto. Pareti.

4. Armadi ben chiusi.

5. Mensa per appararsi in forma di altare con Crocifisso o altra immagine.

6. Armadietti su di esso banco per allogarvi esclusivamente i calici, le pissidi e altri vasi sacri. Scatola per le ostie ; *decente.*

7. Genuflessorii e tabelle per la preparazione de' sacerdoti alla Messa.

8. Acquario col manutergio esclusivamente per i Celebranti.

9. Sacrario.

10. Tabella delle funzioni in uso nella chiesa.

11. Tabella dei Legati e degli obblighi della chiesa.

12. Editti e Ordinazioni da tenersi esposti.

13. Calendario e tabella per le collette.

14. Tabella con la parola *Silenzio.*

15. Registri per le Messe avventizie.

16. Registri pei funerali di privati.

17. Registri per i Legati.

18. Confessionale per gli uomini. *Idem* per le donne sorde.

19. Quadri sacri alle pareti.

20. Esame dei chierici se sanno ben rispondere al Celebrante, ed eseguire le cerimonie nel servire alla Messa ;

idem **sul contegno degli inservienti in chiesa, sulla loro condotta e sul rispetto alle persone e alle cose sacre.**

2 **i.** *Disposizioni da prendersi circa le risposte ai quesiti* *29> 3°> 31' 32> 33> 34> 3S> 3Ó> 31 > 3S> 39> 4° > 41 > e 42 per le chiese.*

X. *Visita dei Vasi Sacri e dell' Argenteria.*

1. Calici feriali e loro patene.

2. **Calici per le solennità e loro patene.**

N. B. *La coppa dei calici necessariamente deve essere almeno d' argento, altrimenti non possono essere consacrati* **(S. R. C, ió Marzo** 1876). *La coppa dei calici deve essere di conveniente larghezza e profondità da potersi facilmente consacrare dal Vescovo e purificare dal celebrante; deve essere ben dorata internameute ; così pure la patena. Non sono commendevoli quei calici che abbiano un'altezza superiore ai cm.* 28 *e inferiore ai* 16 *; quelli che hanno la base ristretta e non proporzionata all' altezza, e quelli anche che mancano del nodo a metà del piede.*

3. **Se i laici toccano i vasi sacri, se li preparano sull'altare e con quale permesso.**

4. Reliquiario per esporre la Santa Croce,

5. **Altri Reliquiari.**

6. **Bacili vari.**

7. **Turiboli con navicelle.**

8. Custodia per ciascun vaso sacro.

9. **Immagine da far baciare per** ***la pace.***

10. **Lampada.**

11. **Altra argenteria.**

12. **Oggetti preziosi e votivi per le statue e simili.**

13. **Corone preziose » »**

14. **Secchielli per l'acqua santa e aspersorio.**

15. **Riscontro** ***(controllo)*** **di tutti i vasi sacri e delle argenterie coll'inventario.**

XI. *Visita degli Indumenti Sacri e Biancheria.*

1. **Pianete feriali.** *Lepianete e qualunque altro apparato sacro devono essere di seta. Sono ammessi quelli di gelsolino* **(S. R. C.,** 2i **Aprile** 1893, **n.** 3796) *e per le chiese povere quelli di cotone nell'interno con seta alla superficie* **(S. R. C,** 23 **Maggio** 1882, **n.** 3543); *sono proibiti quelli di lana* **(S. R. C,** 23 **Giugno** 1892, **n.** 3779). *Circa la forma e le dimensioni delle pianete conviene insistere perchè ritornino in uso quelle che usavano in Roma sulla fine del secolo Vili, delle quali molte solenni esistono ancora. Certe nuove forme in meschine dimensioni sono da riprovarsi. Il Martinucci (vol. III, pag. 200) assegna per la pianeta cm.* 77 *di larghezza con m. 1,16 di lunghezza. Le pianete e gli altri sacri apparati debbono essere nei cinque colori prescritti dalla Rubrica: bianco, rosso, verde, violaceo, e nero. La stoffa tessuta in argento dorato può servire pel bianco, pel rosso e per il verde* **ratione pretiositatis (S. R. C.,** 20 **Nov.** 1885, **n.** 3646). *Gli apparati in colore ceruleo 0 giallo, 0 finto oro non sono ammessi* **(S. R. C.,** 16 **Marzo** 1833, **n.** 2704, **e** 29 **Marzo** 1851, **n.** 2986). *Quelli a più colori servono per solo colore dominante nel fondo della stoffa* **(S. R. C,** 23 **Sett.** 1837, "* 2769). *Quelli poi di tutti i colori liturgici non sono più ammessi.* **(S. R. C.,** 12 **Nov.** 1831, **n.** 2682).

2. **Pianete festive.**
3. **Pianete solenni.**
4. **Pluviali feriali.**
5. **Pluviali festivi.**
6. **Apparati in terzo completi feriali.**
7. **Id. id. festivi.**
8. **Id. id. solenni.**

Per la forma delle tunicelle e del pluviale deve dirsi quanto si disse per le pianete.

9. **Pianete piegate nere e violacee, dove possono usarsi.**
10. **Veli omerali feriali.**

11. **Veli omerali solenni.**

12. **Camici di lino o canapa feriali.**

N. B. *Per decreto di Pio VII i camici, gli amitti, i corporali, i purißcatoi e le tovaglie d'altare devono essere di lino, o almeno di canapa. Sono proibiti quelli di cotone* **(S. R. C,** 18 **Maggio** 1819).

13. **Camici festivi.**

14. **Camici solenni.**

15. **Cingoli feriali.**

16. **Cingoli solenni.**

N. B. *// cingolo pel camice deve concordare nel colore 0 col camice, 0 colla pianeta. Può essere di lino, di canapa 0 di seta.*

i 7. **Amitti.**

18. **Palle di lino per i calici.** *Possono avere qualche ricamo nella parte superiore, purché non abbia fregi in nero e mortuari* **(S. R. C,** 17 **Luglio** 1894, **n.** 3832).

19. **Purificatoi feriali.**

20. **Id. solenni.**

21. **Corporali feriali.**

22. **Id. solenni.** *Il corporale deve essere* **ben** *liscio e stirato, senza alcun ricamo 0 ornamento emergente dalla sua superficie. È tollerata l'orlatura a ricamo, in luogo del pizzo.*

23. **Chi fa la prima lavatura dei corporali e purificatoi.**

24. **Tovaglie per altari, feriali.**

25. **Id. id. festive.**

26. **Id. id. solenni.**

27. **Sottotovaglie.**

28. Tovaglie per le balaustrate.

29. **Id. per la credenza.**

30. **Manutergii ordinari.**

31. **Id. solenni.**

32. **Id. pel** *Lavabo.*

33. **Cotte ordinarie.**

34. Cotte festive.

35. Id. solenni.

36. Berrette. ***St dovrebbe usare ogni cura per conservarle pulite e decenti.***

37. Vesti per i chierici, ecc. ***id. id.***

38. Riscontro ***(controllo)*** di tutti gli indumenti sacri e della biancheria coll'inventario.

XII. *Visita degli Arredi e delle varie Suppellettili.*

1. Messali feriali. ***Decenti, non laceri. Devono essere completi e muniti di tutte le Messe finora concesse.***

2. Messali festivi ***id. id.***

3. Messali solenni ***id. id.***

4. Id. da ***Requiem.***

5. Rituali.

6. Libro* delle benedizioni.

7. Ampolle di cristallo, feriali.

8. Id. solenni. ***Non sono più ammesse le ampolle di qualunque metallo, anche prezioso. E permesso l'ornamento metallico sulle ampolle di cristallo, purché rimangano trasparenti in modo da potersi facilmente vedere il contenuto delle medesime.***

9. Piattelli.

10. Campanelli per le Messe.

11. Leggìi per i messali, feriali.

12. Id. id. solenni.

13. Tavolette delle segrete, ***cartaglorie*** ordinarie.

14. Id. id. id. solenni.

15. Croci da altare, festive ***(della misura minima indicata al § V, n.*** *12).*

16. Candelieri d'altare, feriali.

17. Id. festivi.

18. Reliquiari per altare, feriali.

19. Id. id. solenni.

20. Busti, o erme solenni.

21. Vasi per fiori id.

22. Palme di fiori. / ***fiori finti sono tollerati quando siano in stoffa, 0 altra materia preziosa, e conservati decentemente.***

23. Paliotti d'altare, feriali.

24. Id. solenni."

25. Cornici rispettive.

26. Conopei feriali, dei colori liturgici, meno il nero.

27. Conopei solenni.

28. Baldacchino astato, bianco, semplice.

29. Id. solenne.

30. Id. rosso per la S. Croce.

31. Croce astile pel clero, semplice.

32. Id. pel clero, solenne.

33. Id. con velo per le Confraternite.

34. Stendardino per velare il SSmo esposto in trono.

35. Stendardi per le processioni.

36. Ceroferari Id.

37. Torciere astate Id.

38. Candelabro pel Cereo pasquale.

39. Candelabro triangolare per i Mattutini delle tenebre.

40. Canna delle tre candele a triangolo per il Sabato Santo.

41. Trono solenne per le Quarant'ore.

42. Ombrello bianco per il trasporto del SSriìo Sacramento.

43. Torciere per le pareti o colonne della chiesa.

44. Bussole o borse delle elemosine chiuse a chiave.

45. Ferro per far le ostie. ***Nelle chiese dove si ha la lodevole cura di fabbricarle.*** Ferro per tagliarle. Ferro per tagliare le particole.

46. Crivello per tergere le stesse dai frammenti.

47. Custodia del vino per la S. Messa. ***Chi lo provvede e ne ha cura.***

48. Addobbi per la chiesa. ***Chiedere e vedere se gli ap-***

paratori recano danno colle scale o con chiodi agli stucchi o marmi o pitture del tempio.

49. Coltri o bare mortuarie.

50. Tappeti vari.

51. Veli violacei per i Crocifissi e per le Immagini in tempo di Passione.

52. Cuscini varí.

53. Scorta di cera.

54. Cereo pasquale.

55. Riscontro *(controllo)* di tutti gli arredi coll'inventario.

XIII. *Visita dell' Amministrazione.*

1. Archivio ben chiuso e custodito.

2. Cassa a tre chiavi.

3. Registro delle deliberazioni del Consiglio.

4. Libro mastro e stato della Amministrazione.

5. Conto consuntivo dell'anno ultimo approvato dalla Autorità competente.

6. Conto preventivo dell'anno in corso approvato dall'Autorità competente.

7. Stato di cassa attuale.

8. Inventario degli atti.

9. Adunanze del Consiglio.

10. Elezioni delle cariche, e rinnovazioni.

11. Libro del riscontro *(controllo)* delle elemosine e delle offerte.

12. Registro del Cassiere.

13. Bullettario dello stesso.

14. Stipendi agli inservienti.

15. Disposizioni da prendersi circa i quesiti 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49 e 50 per le chiese.

XIV. *Visita delle Confraternite.*

1. Statuti e scopo.

2. Abito distintivo dei Confratelli e delle Consorelle.

3. Fondazione canonica.
4. Elenco dei Confratelli e delle Consorelle.
5. Funzioni proprie.
6. Resoconto delle offerte, delle rendite e delle spese.
7. Se i Confratelli sono assidui.
8. Disposizioni da prendersi circa le risposte a tutti i quesiti delle Confraternite.

XV. ***Visita dei Legati e dei Registri di Sagrestia.***

1. Denominazione di ciascun Legato.
2. A carico di chi.
3. Oneri di ciascuno di essi.
4. Se si ottennero riduzioni o sospensioni, vederne il decreto.
5. Se gli oneri sono inscritti nell'elenco di sagrestia.
6. Registro della esecuzione dei Legati.
7. Sottoscrizione regolare e in forma probatoria, come prescrive l'editto della S. Visita Apostolica del 25 Gennaio 1708, cioè da farsi in prima persona dal Celebrante stesso, ***toties quoties,*** così : ***Ego*** (nome e cognome) ***celebravi die....***
8. Registro delle Messe avventizie.
9. Come celebrate - sottoscrizione come sopra.
10. Registro dei funerali - sottoscrizione come sopra.
11. Tasse dei funerali, se osservate regolarmente.
12. Altre tasse.
13. Registro delle Messe ***pro populo.*** Sottoscrizione regolare fatta come sopra, festa per festa, e non ***cumulative*** in fine d'anno.
14. Riscontro ***(controllo)*** dei moduli per ciascun Legato.

XVI. ***Visita della Cassa delle Elemosine.***

PER IL SUFFRAGIO DEI DEFUNTI E PER ALTRI PII SCOPÌ.

1. Elemosine raccolte e loro riscontro ***(controllo).***
2. Registro delle esazioni fatte.

3. Conteggio delle medesime insieme cól fondo di cassa riscontrato nell'ultima revisione dei conti.

4. Registro delle spese e loro riscontro ***(controllo).***

5. Conteggio delle medesime.

6. Formazione dello stato attuale della Cassa, firmato dall'Amministratore, dal Visitatore e dal suo Cancelliere.

7. Conteggio e controllo delle elemosine per l'Obolo di S. Pietro.

8. Elemosine della Propagazione della Fede.

9. > della S. Infanzia.

10. » dei luoghi Santi.

11. » delle Missioni d'Africa.

12. » per....

13. » per....

XVII. ***Visita dell' Archivio e dei Libri Parrocchiali.***

1. Archivio; sua posizione sana e sicura.

2. Armadio, ben chiuso a chiave. Se incassato nel muro deve essere circonvestito di legno.

3. Iscrizione esterna : ***Archivium Parochiale.***

4. Non deve contenere alcun oggetto estraneo.

5. Cartolari o scatole, contenenti gli atti e le corrispondenze, come prescrive Benedetto XIII nel Sinodo Romano, 1725. Esaminarne il contenuto.

6. Registro dei battesimi.

7. » dei battesimi secreti.

8. » dei morti.

9. » dei matrimoni.

10. » dei matrimoni secreti.

11. Atti dei consensi, e documenti relativi a ciascun matrimonio.

N. **B.** ***// Visitatore esaminerà se tutti gli atti sono compilati nella forma voluta dalle disposizioni emanate dall' Emo Cardinal Vicario e con inchiostro nero, essendo proibito qua-***

lunque altro ; riscontrerà i documenti relativi ai matrimonii, se sono tutti regolari e si accerterà specialmente se qualche matrimonio sia slato celebrato senza che siansi fatte le richieste Pubblicazioni di esso in altre parrocchie. Il Visitatore firmerà col suo Cancelliere ciascun registro come sopra.

12. Gli atti dei consensi ricevuti, e che poi furono sospesi, devono essere conservati a parte.

13. Matrimoni solamente civili. Altri scandali in parrocchia.

14. Stato d'anime; nell'ultimo anno.

15. Adempimento del precetto pasquale.

16. Bollo parrocchiale.

i 7. Scorta di stampati, moduli per ***consensi, pubblicazioni, fedi,*** ecc.

18. Libri degli usi e delle tasse della chiesa.

19. Libro dell'Amministrazione del Beneficio parrocchiale.

20. Resoconto del Beneficio.

21. Biblioteca parrocchiale, se vi è; catalogo, farne il riscontro.

22. Disposizioni da prendersi circa le risposte a tutti i quesiti per le parrocchie dal n. 72 al 118.

XVIII. *Visita dei Capitoli.*

L'ordine da tenersi in questa visita è quello indicato nel questionario dal n. 52 al 71 ; e si noteranno le disposizioni che per avventura si dovessero prendere circa le risposte date ai quesiti. Quindi il Visitatore potrà udire, separatamente in privato, quelli del clero capitolare che volessero con lui conferire.

XIX. *Visita degli Istituti Religiosi.*

L'ordine da tenersi è parimenti quello indicato nel questionario per gli Istituti religiosi maschili e femminili. Il Visitatore sentirà poi separatamente ad uno ad uno tutti i membri della Comunità visitata, prendendo le opportune annotazioni su tutto.

XX. *Visita dei Seminari e Collegi.*

L'ordine da seguirsi in questa visita è pure quello indicato nel questionario per i Seminari e Collegi. Il Visitatore, notate le disposizioni che per avventura avrà creduto opportuno di prendere circa le risposte date ai quesiti, potrà sentire separatamente quelli dell'Istituto che vorranno con lui conferire.

XXI. *Visita personale dei Clero.*

La visita personale del Clero secolare è riservata all'Emo Cardinal Vicario.

EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

De clericis candidatis in proximis electionibus ad Deputatorum comitia in Gallia.

Ex Audientia SSmi, die 2 Aprilis 1906.

Quaesitum est ab hac S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita num clericis sive saecularibus sive regularibus in Gallia liceat, in praesentibus rerum adiunctis, candidatos se sistere in proximis electionibus ad Deputatorum comitia. Re igitur per me infrascriptum Secretarium ad SSmum D. N. Pium PP. X delata, Sanctitas Sua respondere dignata est eisdem id non licere absque consensu proprii Ordinarii, ac Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. *|» S. f Petrus, Archiep. Caesariensis, ***Secretarius.***

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Pii PP. X commend antis industriam coetus conventui U catholicorum Germaniae parando.

DILECTO FILIO
CAROLO PUSTET PRAESIDI COETUS
CONVENTUI LI CATHOLICORUM GERMANIAE PARANDO
RATISBONAM

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Conventui apparando, quem praesenti hoc anno Augustoque proximo mense catholici Germaniae viri Ratisbonae peragent, praecipuam quandam te adhibere industriam cognovimus, operam tibi in eandem rem conferente civitate omni Ratisbonensi, cuius celebratissimae laudes in fide, sollertia, comitate, hospitalitate denique sunt. Alacres labores tui, studiumque constituti in id coetus ac praecellentium tot ornamentis civium, spem profecto iubent inire lectissimam habendi egregie conventus. Qui quidem si debet e catholicis Germaniae viris coalescere, negotiaque si Ecclesiae gravissima regnis in istis perpendet, exploratum profecto iam nunc habemus quam fortunate ineundum se impertiat, quamque sit iucundo concludendus exitu. Illud enim de congressibus vestris catholicis longissima ex aetate novimus, studiose illos ac rite praeparari, feliciter fructuoseque peragi. Exempla igitur non quidem a peregrinis edita, sed a vobis splendide parta sequamini : gloria certe cum gloria cumulabitur. Et quoniam arctioribus terminatam finibus humanam esse vim intelligitis, a Numine in primis atque a Superis deprecatione potentibus recte auxilia imploratis. Sit itaque munerum conciliatrix uberum Deipara primaevae labis nescia, cuius ab edicto sine macula conceptu quinquagesima in hunc annum

anniversaria incidit dies: ope etiam et gratia Patroni vobis adsint divus' Bonifacius et divus Wolfgangus, per quos stetit ac stabit vestra in regione fides. Ad consilia vero atque ad opera accedentibus animos vobis ceterisque e cogendo conventu singulis addat, benevolentiae Nostrae pignus, Apostolica benedictio, quam universis, qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratias rependit pro volumine de Ioanna Arcensi, maius opus de universa eius historia expectans.

DILECTO FILIO

HENRICO DEBOUT, CANONICO

ATREBATUM

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Oblatum dono volumen, quod de Ioanna Arcensi deque Atrebatensi ac Tornacensi urbibus per hos dies emisisti, studia, quibus totus multa ab aetate vivis, maiorem in modum commendat, opusque longe maius auspicato portendit, quod de eadem virgine, uti nunciasti, paras. Quaedam a te admirandae vitae capita pleniore fuisse lumine illustrata, non sine laetitia conspicimus; ars enim, quam pulcre tractatio praesefert, id efficit ut exantlatae a fortissima puella aerumnae clariore virtutes eius ornamento condecorent. Quod vero prope iam fere est ut edatur amplioris molis opus, in quo universa descripta atque illustrata contineantur, quae ad historiam Ioannae Venerabilis pertinent, illud et cum iucuhdi-

ditate novimus et cum desiderio expectamus. Omnino erit id tua dignum industria, doctrina et pietate : erit etiam nobilitati sanctitatique consentaneum gestorum Ioannae, quippe ea prae ceteris decet fusiore calamo curisque impensioribus prosequi, e quibus virtuti publicae possunt splendidiora exempla manare. Auspicem divinorum munerum Nostrique grati animi testem, Apostolicam benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvin Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de felici dedicatione templi S. Patricii.

DILECTO FILIO NOSTRO
MICHAELI TIT. S. MARIAE PACIFERAE
S. R. E. PRESB. CARD. LOGUE ARCHIEPISCOPO ARMACHANO

ARMACHAM.

PIUS PP. x

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod publicus rumor iam detulerat tuae Nobis litterae confirmarunt, dedicationem videlicet novi Templi, Deo in honorem Sancti Patricii sacri, feliciter ac secundum spem omnium splendidissime cessisse. Gratulamur tibi praeclare factum catholicisque Hiberniae universis, eo praesertim quod celebritas ista novo testimonio patefecerit quam alte fides in Hibernorum animis haereat quamque ii indivulse cum Beati Petri Cathedra coniungantur. Gratias tibi praeterea de officiosis litteris peramanter agimus ; atque ut benevolentiam iterum testemur, qua Hibernorum gentem complectimur, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, tibi

ceterisque Episcopis, nec non clero ac fidelibus universis effuso corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Augusti MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex approbat consilium edendi omnia documenta ad dogma de Immaculato B. M. V. Conceptu pertinentia.

DILECTO FILIO

VINCENTIO SARDI AB EPISTOLIS NOSTRAS AD PRINCIPES CANONICO PETRIANO

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exposuisti Nobis, vixdum a benignitate Nostra ad munus evectus fuisti epistolarum Nostrarum ad Principes conscribendarum, reperisse te in Tabulario tuae curae credito documenta omnia, quae ad Definitionem Dogmatis de Immaculato Conceptu augustae Deiparentis Mariae pertinerent. Usus autem opportunitate celebritatum, quibus, Decembri proximo, quinquagesimus annus a dicta Definitione commemorabitur, consilium inivisti ea documenta omnia, si placeret Nobis, in lucem edendi, ac volumen Nostro Nomini dedicandi. Propositum, dilecte fili, quod iam probavimus, probamus iterum, et volumen dicari Nobis libentissime annuimus. Idque non eo solum quod labore a te suscipiendo Magnae Dei Matri honor accedet; verum etiam quia ex memorata documentorum editione licebit cuique agnoscere qua cunctatione, qua prudentia, quibus diuturnis consiliis Pius IX, Decessor Noster, in tanti momenti re usus fuerit. Non dubitamus quin librum omnes laeto animo sint excepturi quotquot

vel sacrae student eruditioni, vel Sanctam Dei Matrem peculiari pietate prosequuntur. Tibi interea caelestium munerum ubertatem adprecamur. Nostrae vero benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv Augusti MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex laetatur de conventu Mariano in Mexicana regione celebrando.

VENERABILI FRATRI
ATHENOGENI ARCHIEPISCOPO MECHOACANO
MORELIAM

PIUS PP. x

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuncium sane gratum accepimus, Octobri proximo ineunte totius Mexicanae nationis sacros antistites lectosque ex omni ordine catholicos viros ad te, Venerabilis Frater, conventuros esse, ut de cultu amplificando augustissimae Dei Matris consultent, simulque, Ipsa auspice, délibèrent, quibus maxime modis sociales popularium suorum rationes adducere in melius possint. Cognita vulgo quum sit singularis et eximia erga beatissimam Virginem gentis vestrae pietas, dubitandum non erat quin eadem hoc anno illustrius emineret: quum scilicet in habendis honoribus Mariae ab origine Immaculatae, ob renovatam memoriam definiti dogmatis, catholicorum hominum toto orbe certant studia. Iamvero in rebus, quibus eam vos faustitatem celebrabitis, facile principem locum tribuimus Mariano isti conventui: quippe experiendo constat, quam magna sit horum similiumque coetuum hodie

opportunitas. Etenim, quo tempore videmus fidei vitaeque christianae adversarios ubique foederatis viribus invalescere ad perniciem populorum, quid magis opus est, quam ***filios lucis,*** ne in tanta necessitate rerum ***prudentiores*** eis ***filii tenebrarum*** sint, arctioribus inter se vinculis obstringi ad salutem communem ? Huc porro mirum quantum conducit frequentes identidem congregan bonos, ducibus Episcopis, ut et lumina sui quisque iudicii et experientiae conferant, et, quae idonea visa sint, capiant consilia, et voce atque hortatione mutua incitentur. Id apud complures gentes, consequente copia optimorum fructuum, iamdudum factitatur; id ipsum nunc apud vos feliciter incipit fieri Mariano conventu: cui Nos quidem, ob spem praeclarae publice privatimque utilitatis, prosperum optamus precamurque exitum; scimus enim gravia et opportuna vobis ad disputandum esse proposita. Ceterum vestra omnium, Episcoporum in primis, actuosa sollertia, flagrans religionis patriaeque caritas, addictissima Nobis ac Sedi Apostolicae voluntas uberem laboribus studiisque vestris conciliabunt, quod caput est, divinae benignitatis opem, patrocinio praesertim Deiparae, cuius nominis gloriaeque amor causam vobis coeundi dabit. Nos vero caelestium munerum pignus sit volumus Apostolica benedictio, quam, testem pariter paternae benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, ceterisque tuis in Episcopatu collegis, et universis, qui vobiscum una convenient, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die n Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ad Episcopos qui ad dedicationem templi Cathedralis Fulginium convenerunt.

**DILECTO FILIO NOSTRO
DOMINICO TITULI SANCTI HONUPHRII IN IANICULO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SVAMPA
ARCHIEPISCOPO BONONIENSIUM
CETERISQUE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
QUI AD DEDICATIONEM TEMPLI CATHEDRALIS
FULGINIUM CONVENERUNT**

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres,
salutem et Apostolicam benedictionem.

E peractis Fulginii solemnibus convolasse vos animo ad Personam Nostram, fuit id et ab amore et a pietate laudabile. Properatum enim obsequium, quod esset in ipsis celebritatum gaudiis conceptum, declaravit perspicue vestram communicandae laetitiae voluntatem: renovata vero coniunctionis cum Apostolica Sede fides non dubitanter aperuit expetivisse vos in iis, quibus per id tempus premebamur, acerbitatum molestiis Supremo Pastori adesse, caussamque sane laetabilem consolandi Patris afferre. Gratiam unicuique vestrum intimo ex animo habemus, eamque non de persoluto tantum observantium sensuum officio, verum de allata etiam Fulginatensi templo adstantiae vestrae claritate. Illustris vetustate ac religione urbis, cui singularem plane gloriam tam multae monumentorum laudes compararurit, Fulginii decus est publice edidisse exemplum pietati, e quo haberent omnes unde et avitae colendae fidei et liberalium fovendarum artium argumentum addiscerent. Ei Nos civitati praecipuam testari benevolentiam putavimus, quum Leonis XIII Decessoris Nostri munificentiam honore insigni cumulantes, Tibi, dilecte

Fili Noster, ad dedicationem instaurati templi vicem Nostram credidimus. Rem autem feliciter fausteque evenisse gratulamur Fulginio, gratulamur et Vobis : illi quidem, quod Patrono Principi Feliciano, sacraeque cathedrali aedi dedicandae non alia censuit posse digne decerni solemnia, nisi omni nomine splendida : Vobis vero, quorum collata humane opera patuit Viterbii, Perusiae, Ameriae, Nuceriae, Aculae, Spoleti, Tuderti, Faliscoduni, Signiae, Tiferni Tiberini, Assisii ac Fulginii communem esse in Christo fraternitatem. Haec autem virtus ut Vobis fidelique populo vestro quasi sit praeclari facinoris fructus, Omnipotentem Deum adprecamur, Tibique, dilecte Fili Noster, Vobisque singulis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvn Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X gratias agentis Eugenio Archiduci Austriae pro legatis Equitibus ex Teutonico Ordine.

DILECTO FILIO
EUGENIO ARCHIDUCI AUSTRIAE
SUMMO TEUTONICI ORDINIS MAGISTRO

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Libenti omnino voluntate et eo, quo par erat, honore illustres Equités excepimus ex Teutonico Ordine, quos Imperatoria ac Regia Celsitudo Tua ad Nos nuper legandos curavit. Ab iis, Tuo totiusque Ordinis nomine, qui Tuo gaudet magisterio, fidei et obedientiae sensus confirmâtes audi-

vimus, quos in Apostolicam Sedem fovistis semper: simul vero duplex est munus oblatum, alterum petrianae stipis ad angustias Nostras levandas, alterum iconicae effigiei Tuae, mirae artis operis. Reddere quas mereris gratias, differre diutius nolumus; reddimusque cummaximas. Tibi autem et Ordini Teutonico universo benevolentiam Nostram testamur singularem. Quam ut gratiis suis foecundet Deus, enixe exoramus: atque ideo Apostolicam benedictionem Celsitudini Tuae I. ac R. singulisque Equitibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvn Octobris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X commendat Opus " L'Oeuvre des Apôtres „ editum ab Episcopo Rupellensi.

VENERABILI FRATRI

AEMILIO PAULO EPISCOPO RUPELLENSI ET **SANTONENS1**

RUPELLAM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Opportunum valde arbitramur, quod proxime edidisti, tuum Opus, ***L'Œuvre des Apôtres,*** tribus voluminibus comprehensum; quae volumina grato Nos abs te muneri accepimus. Neque enim dissimulare licet, quod apparet: Fidei morumque christianorum fastidium atque adeo invidiam misere hodie increbrescere, ut iam nimis multi dedecus vetustatis ethnicae privatim et publice revocare contendant. Quid vero ad id tantum cohibendum malum magis valeat, quam senescenti labentique saeculo speciem exorientis Ecclesiae offerre, propositisque documentis atque exemplis patrum, ani-

mos hominum ad christianam tuendam et sapientiam et vitam incendere? Huc autem plane tuus iste labor pertinet: quo quidem origines nominis christiani sic exequeris, ut non modo te doctum sollertemque virum, sed etiam prisca illa pietate penitus imbutum praebeas. At illud praecipue tibi dandum est laudi, quod eam viam explicandi sacras Litteras studiose teneas, quam in obsequium veritatis, atque in decus doctrinae catholicae omnino teneri, Ecclesia duce, oportet. Ut enim damnanda est eorum temeritas, qui, plus tribuentes novitati quam magisterio Ecclesiae, critices adhibere genus non dubitent immodice liberum; ita eorum ratio non probanda, qui nulla in re ausint ab usitata exegesi Scripturae recedere, etiam quum, salva fide, id bona studiorum incrementa postulent. Hos inter medius tu recta incedis; tuoque exemplo ostendis, nihil timendum esse divinis Libris a vera progressione artis criticae, quin commodum ex hac subinde lumen peti posse: ita nempe si prudens sincerumque iudicium huc accesserit, quale tibi suppetere videmus. Quare nec mirum est, si iam primum operis tui volumen, ubi prodiit, illico magnam tibi apud peritos gratiam conciliavit; neque dubitandum, quin iidem similiter sint integrum nunc Opus probaturi. Nos certe tibi gratulamur, Venerabilis Frater, atque, ut ex operoso labore tuo utilitates, quae iure inde expectandae sunt, quamplurimi hauriant, vehementer optamus. Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, tibi et clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Ianuarii a. MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

De Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis.

PIUS PP. X

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die xvin Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus,* Congregationem instituit *super Disciplina Regulari',* quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum,* quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die vii Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis.*

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum,illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi de-

mandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvi Maii anno millesimo noningentésimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Sanctuarium B. M. Virginis de Caravaggio ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Tempia Dei antiqua christiani populi religione celebria, quae prae caeteris vetustate, structura et artis operum splendore eniteant, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiaribus titulis honoris cohonestare pro re ac tempore satagimus. Hoc consilio nuper quinquagesimo anno a memorabili dogmatica definitione, ex quo Immaculatae Deiparae Virginis fulgentissimo diademati, novus accessit ac potissimus splendor, novos liturgicos honores, nempe Officium cum Missa proprium, in festo et per octavam Apparitionis B. M. V. de Caravaggio (addita Missa ritus etiam Ambrosiani), approbavimus et decrevimus. Nunc autem cum Venerabilis Frater Ieremias Bonomelli Episcopus Cremonen. una cum dilecto filio hodierno Sanctuarii Cara-

vagiensis Custode, Nos enixis iteratisque precibus flagitaverit, ut ipsam Sacram B. M. V. Caravagiensem Aedem primitus anno MCCCCXXXII aedificatam in amplissimum deinde templum saeculo decimosexto magnificis artis operibus conversam, quod ingentibus undique porticibus circumdatur, divite et copiosa suppellectili sacra reiectum est, ac multo indulgentiarum thesauro a Decessoribus Nostris Romanis Pontificibus locupletatum, et cui, uti par est, sufficienti numero Clerus assidue famulatur, ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaremur; Nos preces huiusmodi excipiendas peramanter existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, templum Caravagiense Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae dicatum, Basilicae Minoris titulo ac dignitate augemus, cunctis honorificentiis et privilegiis eidem attributis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die VII Maii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

L. ✠ S. A. Card. MACCHI

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

ACTA

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Monialis simpliciter professa mutare valet dispositionem reddituum cum sola superiorissae generalis licentia.

Beatissime Pater,

Sanctimonialis N..., praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium 12 Iulii 1896, quae in Collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo ***quoad votum paupertatis,*** ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet (1).

Iamvero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

I. An iuxta normas a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 28 Iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem reddituum mutare (2)?

(1) **Constitutiones enim Presbyterorum Maristarum seu Societatis Mariae, de quibus agitur, ad art.** 41 **habent: « Professi in hoc Instituto... debent ante professionem cedere, etiam private, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Instituto, si ita pro eorum libitu existimaverint. Huic vero cessioni apponi poterit conditio, quod sit quandocumque revocabilis; sed professus** hoc **iure revocandi in conscientia minime uti poterit,** ***nisi accedente Apostolicae Sedis placito » (N. R,).***

(2) ***Normae,*** **secundum quas S. Congr. EE. et RR. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium, postquam ad n.** 115 **praescripserat quod professae debent ante primam votorum emissionem cedere administrationem, usum et usumfructum reddituum vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit, quinimo apponi poterit conditio quod huiusmodi cessio sit quandocumque revocabilis, sub n.** 117 **addunt: « Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis** ***sine licentia moderatricis generalis » (N. R.).***

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur.

Pro qua gratia...

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit :

Ad I. ***Affirmative*** (i).

Ad II. ***Provisum in primo.***

Romae 2 Iunii 1905.

D. Card. FERRATA, ***Praefectus.***

L. -f* S. Philippus Giustini, ***Secretarius.***

VITERBIEN.
EXCARDINATIONIS

An sustineatur implicita seu aequipollens incardinatio sacerdotis in aliena dioecesi per beneficii provisionem.

Species facti. Salvator Mascagna, e dioecesi Civitatis Castellanae oriundus, in Seminario Viterbiensi receptus est, ibique, ut asseritur, cum dimissoriis proprii Episcopi in sacris ordinatus est, et dein a. 1872, de eiusdem Episcopi consensu, canonicatum in Collegiata Viterbiensi S. Angeli, anno autem a. 1887 paroeciam SS. Martini et Iacobi obtinuit. Verum iustis de causis huic paroeciae nuntium mittere coactus fuit, contentus menstrua pensione libell. **35** ; hinc Curia Viterbiensis, quae, tamquam suae dioecesi haud formaliter incorporatum eum retinens, ad illam originis seu Civitatis Castel-

(1) **Ex qua decisione colligi posse videtur Constitutiones Institutorum ante annum** 1901 **existentes, et in quibus edicitur professos votorum simplicium cessionem aut mutationem reddituum peragere non posse absque S. Sedis beneplacito, ad tramitem *Normarum* S. C. EE. et RR. diei 28 Iunii** 1901 **hac in re esse revocandas, adeo ut a dictis professis huiusmodi cessio vel mutatio cum sola superioris vel superiorissae generalis licentia licite fieri possit. De professis vero votorum solemnium nulla est quaestio, quum ipsi ante secundam professionem modo irrevocabili disposuerint de suis redditibus et bonis *(N. R.).***

lanae remisit. Sed quum Episcopus originis eum recipere noluisset, eo quod dioecesi Viterbiensi incardinatum habuerit, quaestio huic S. C. diluenda proponitur, cuinam videlicet dioecesi pertineat sacerdos Mascagna.

Animadversiones. Si praesens controversia diiudicanda esset ad tramitem decreti S. C. Concilii die 20 Iulii 1898 (i), quod incardinationem in scriptis sub nullitatis poena faciendam esse praescribit, cum nullum extet excardinationis aut incardinationis documentum, sacerdotem Mascagna ad dioecesim Civitatis Castellanae non est dubium pertinere. Verum in casu de re agitur decretum ipsum antecedente, ac proinde resolutio edenda esse videretur ad normam iuris antiqui, iuxta quod clericus subditus fiebat cuiusdam Episcopi nedum ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis, sed etiam aequipollentis incardinationis, dummodo constaret de voluntate utriusque Episcopi clericum perpetuo dimittentis et recipientis.

Tunc temporis si clericus in aliena dioecesi domicilium suo arbitrio acquirebat, utriusque Episcopi subditus fiebat, originis nempe et domicilii, quemadmodum docet De Luca ***(Theatrum tust, et verit., Mise, eccl., disc.*** *44,* ***n.*** *2):* « Considerando generaliter et in abstracto, quoniam recte dari potest subiectio ac respective competentia plurium Episcoporum, tam ad effectum collationis Ordinum, quam etiam cognitionis causarum aliosque effectus, quia nempe potest quis esse subditus unius Episcopi ratione originis, alterius ratione domicilii, alterius imo et plurium diversorum ratione beneficiorum ac respective bonorum, quae in singulorum dioecesibus possideat, eodem modo quo sub tit. ***de praeemin.*** habetur de civitate, quod scilicet potest quis esse civis plurium locorum pro diversitate respectuum ». Item pariter dicendum est de clerico, qui beneficium residentiale in aliena

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3 i, pag. 49.

dioecesi, absque proprii Episcopi beneplacito consequebatur; quia licet alterius Episcopi subditus ratione beneficii fieret, non ideo tamen a prioris Episcopi iurisdictione eximebatur. Hinc sequitur veteri iure excardinationem clerici ex una dioecesi et respectivam incardinationem in aliam suum effectum non sortiri, nisi simul concurrerent tum voluntas unius Episcopi perpetuo clericum dimittendi, tum voluntas alterius Episcopi illum item perpetuo acceptandi. Quae duplicis generis voluntas per se non requirebatur expressa, sed sufficiebat etiam tacita, dummodo evidenter constaret.

Iamvero in casu ex facto Episcopi Civitatis Castellanae permittentis sacerdoti Mascagna beneficium residentiale Viterbii assequendi, necnon Episcopi Viterbiensis eidem praefatum beneficium conferentis, satis clare apparere videtur voluntas utriusque Episcopi eum in perpetuum dimittendi et recipiendi, adeo ut aequipollens excardinatio et incardinatio habeatur. Nam quemadmodum non repugnat ut aliquis clericus subditus sit plurium Episcoporum etiam ratione diversorum beneficiorum in diversis dioecesibus, ratione originis, domicilii etc., tam ad effectum collationis Ordinum quam etiam ad omnes iurisdictionis effectus, ita non videtur repugnare ut Episcopus clerico sibi subdito largiatur facultatem acceptandi beneficium residentiale in aliena dioecesi, quin eum a sua iurisdictione eximat.

Aliter tamen dicendum esset si Episcopus originis litteras dimissoriales e sua dioecesi proprio clerico concessisset, et alter Episcopus beneficium perpetuum eidem contulisset; tunc enim sufficienter manifestaretur intentio Ordinarii ***a quo*** clericum in perpetuum dimittendi, necnon intentio Ordinarii ***ad quem*** illum perpetuo suae dioecesi adscribendi. Ita quum in una ***Rottemburgen.-Adscriptionis ad clerum*** (i) agitata fuerit quaestio num dioecesi Rottemburgensi pertineret quidam

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 19, **pag. 87.**

sacerdos, qui a proprio Episcopo Detroitensi dimissorias acceperat, et ab Episcopo Rottemburgensi curam animarum provisorio modo obtinuerat, S. C. Concilii die 26 Martii 1886 rescripsit ***Negative,*** ea de causa quod non constabat de voluntate Episcopi ***ad quem*** suae dioecesi presbyterum illum in perpetuum adscribendi.

Caeterum in dubio utrum incardinatio facta fuerit necne, pro negativa sententia standum esse videtur, quia excardinatio a dioecesi in iure aequiparatur alienationi, quae, cum sit odiosa, praesumi nequit, et secumfert, saltem quoad personam, limitationem episcopalis iurisdictionis, quae pariter odiosa est atque strictae interpretationis.

Hac super re exquisitum insuper fuit votum duorum Consultorum, qui in contrariam prorsus sententiam abierunt. Primus enim ratus est sacerdotem Mascagna adhuc pertinere ad. dioecesim Civitatis Castellanae, eo quod litteris dimissorialibus huius dioecesis Episcopi in Seminario Viterbiensi ordinatus fuerit, ibique eiusdem Episcopi consensu beneficium obtinuerit. Quapropter, cum nullum unquam excardinationis, verbum occurrerit, per renuntiationem beneficii in dioecesi Viterbiensi peractam, presbyter Mascagna redit sub iurisdictione illius Episcopi, a quo dimissorias habuit, cuique in ordinatione obedientiam promisit.

E contra alter Consultor contendit sacerdotem in casu ad dioecesim Viterbiensem adscriptum fuisse. Sane ipse ab Episcopo Viterbiensi ordinatus fuit per dimissorias proprii Episcopi, cuius assensu canonicatum et deinde paroeciam obtinuit. Iamvero, quamvis in hisce factis ne verbum quidem excardinationis inveniatur, in ipsis tamen realis significatio illius verbi continetur; perfecta nimirum clerici Mascagna dimissio ex parte Curiae Civitatis Castellanae ad dioecesim Viterbiensem absque ulla temporis et circumstantiarum restrictione habetur, quod revera aequivalet excardinationi. Cum praeterea excardinationi incardinatio respondere debeat, haec recte in-

ducitur per acta Curiae Viterbiensis, quae in sua dioecesi clericum Mascagna accepit, sacris ordinibus initiavit, et perpetuo ac inamovibili beneficio donavit; quae omnia verae incardinationi aequiparantur.

Dubium. ***An** sacerdos Mascagna pertineat **ad** dioecesim Viterbiensem vel ad dioecesim Civitatis Castellanae in casu.*

Responsum. S. C. Episcoporum et Regularium, post maturam deliberationem, die 14 Iulii 190**5** rescribendum censuit: *Pertinere ad dioecesim Viterbiensem.*

Colliges. i°. Vi decreti S. Congr. Concilii ***A** primis **Ec**clesiae saeculis* diei 20 Iulii 1898 excardinatio clerici ex una dioecesi et incardinatio in alteram sub nullitatis poena facienda est in scriptis, absolute et in perpetuum.

2°. At veteri iure, praeter scriptam incardinationem, etiam oralis, imo et aequipollens seu implicita incardinatio in usu erat, dummodo certe constaret de voluntate utriusque Episcopi clericum perpetuo et absolute dimittendi eumque item perpetuo et absolute recipiendi.

3°. Quae aequipollens incardinatio verificari praesumebatur, si Ordinarius ***a quo*** absolute consentirei ut proprius clericus in aliena dioecesi beneficium* residentiale et perpetuum obtineret, atque simul Ordinarius ***ad quem*** praefatum beneficium eidem clerico conferret (i).

(i) Consulto diximus *veteri iure,* nam iure novo per citatum decretum *A primis* inducto, vi cuius sub nullitatis poena praescribitur incardinatio *scripta,* nedum oralis incardinatio, verum etiam implicita seu aequipollens prohibita fuit. Quapropter illorum sententiae subscribere nequimus, qui censent sacerdotes beneficium residentiale et perpetuum seu canonicatum in aliena dioecesi obtinentes, hoc ipso eidem dioecesi saltem implicite incorporan. Hoc sane modo cum ex una parte admitteretur absoluta necessitas incardinationis scriptae, ex altera vero admitteretur simul validitas incardinationis non scriptae. Quod si quis obtinens beneficium residentiale in aliena dioecesi, habeatur etiam dictae dioecesi incorporatus, hoc quidem accidit non ratione recepti beneficii sed praecise ratione praecedentis vel subsequentis decreti incardinatorii. Utique non ignoramus clericum fieri posse subditum alterius Episcopi etiam ratione beneficii, sed ho° intelligendum est relate ad ordinationem, qua dumtaxat mediante, per-

4°. Quum igitur iu casu satis manifesta appareat utriusque Episcopi voluntas sacerdotem Mascagna absolute et perpetuo dimittendi et acceptandi, idem sacerdos dioecesi Viterbiensi adscriptus censendus est, ad quam proinde, etiam post paroeciae renuntiationem, pertinere pergit.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

THEATINA

IURIUM CAPELLANORUM CONFRATERNITATUM

Circa Missas solemnes et cantatas, funera defunctorum, triduanas et novendiales preces aliasque sacras functiones in ecclesiis confraternitatum celebrandas.

Factispecies. Nonnullis in locis Theatinae Archidioeceseos saepe contigit ut unicus capellanus confraternitatis ibidem erectae ad fere omnes functiones sacras in eiusdem ecclesia peragendas adnitatur, dum parochus continenter ex eo refragatur, quod nil vel admodum parum adventitiorum emolumentorum ipsi cedat. Ut certa proinde norma ad has controversias dirimendas habeatur, Pro-vicarius generalis, de

petuo incorporatur dioecesi Episcopi ordinantis. Sententia insuper, quam defendimus, comprobatur a praxi vigente in Urbe, ubi plures numerantur sacerdotes, qui licet beneficia residentialia obtineant et adscripti sint particulari ecclesiae cui inserviunt, ideoque intuitu beneficii subsint Summo Pontifici seu Emo Urbis Vicario, attamen de gremio cleri Romani non habentur. Quo fit ut si quis eorum proprio beneficio nuntium mitteret, hoc ipso a pristina potestate Emi Card. Vicarii se eximeret atque totaliter reincideret in iurisdictionem proprii Ordinarii, nempe illius a quo sacros ordines suscepit. Nil tamen prohibet, quominus, non obstantibus aliis causis, eiusmodi presbyter de consensu tum proprii Episcopi tum Summi Pontificis ad tempus vel etiam in perpetuum in Urbe residere pergat, quemadmodum patet ex decreto S. C. Concilii diei 22 Decembris 1894, necnon ex Litteris Apostolicis die 6 Aug. 1905 datis. Caeterum candide fatemur nos dispositionem ignorare, quae diversam praxim pro Urbe ac pro Orbe statuat *(N. R.)*.

mandato sui Archiepiscopi, libellum obtulit Sacrae Rituum Congregationi, trium dubiorum solutionem expostulans. Quum vero S. RR. Congregatio, audita Commissione liturgica, quae voto sui Consultoris inhaesit, rem Sacrae C. Concilii remisisset, quaestio resolvenda proposita fuit sub hisce dubiis :

I. ***Se la risposta al quesito X del decreto emanato da cotesta S. C. in data** 12 **gennaio** IJ04, **intorno ai diritti dei parroci e delle confraternite, riguardi soltanto lè Messe parate, quelle cioè che si celebrano con U assistenza dei ministri, come pare doversi dedurre dall' aggettivo*** solenne ***aggiunto a Messa,*** *0* ***anche le Messe cantate semplici, come pretendono i parroci?***

II. ***Se la risposta al quesito XX dello stesso decreto si riferisca indistintamente a tutti i sudditi del parroco,*** *0* ***solamente a quelli che sono ascritti alle confraternite?***

III. ***Se i cappellani possono liberamente celebrare tridui e novene nelle chiese delle confraternite, anche nei giorni non contemplati negli statuti?***

Consultor autem S. RR. C, praemisso decreto S. C. C. diei 13 Ian. 1844 in ***Reatina-S S. functionum*** in quo ad dubia : « I. An liceat capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SSmi Sacramenti explere in oratorio S. Dominici independenter a parocho in casu? II. An liceat eidem capellano Missas solemniter canere independenter a parocho in casu? »; rescriptum fuit: « Ad I et II Affirmative in omnibus ad formam decretorum ***Urbis et Orbis*** S. C. Rituum diei io Dec. 1703, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi populum solemniter cum SSmo Sacramento prout de iure », votum suum concludit ita propositis quaestionibus respondendo : « Ad I Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; Ad II Affirmative ad primam, negative ad secundam partem; Ad III Affirmative, salvo tamen etc., ut supra».

Animadversiones. Primum dubium vertitur super re-

sponsione S. RR. C. in prefato decreto ***Urbis et Orbis*** ad X dato die io Dec. 1703 et a Clemente XI die 12 Ian. 1704 approbato. Cum enim quaesitum esset: ***An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus,*** responsum fuit: ***Negative prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, ut in*** Brundusina, ***sub die i Iunii*** *1601.*

Quae responsio ex parte capellanorum videretur quod tantum respiciat Missas cum ministrorum adsistentia, cum se referat ad dubium circa ***Missas solemnes.*** Iamvero ***Ritus servandus in celebratione Missae,*** qui Missali Romano praemittitur, supponere videtur ' solemnem Missam esse, ,quae cantetur cum ministris. Quod si ad solemnitatem opus non est concursu populi et apparatu extrinseco, necessarium tamen videtur ut Missa cum diacono et subdiacono canatur, ut scribit Emus Gennari ***(Consultazioni can.,*** 77, ***n.*** *2).* Quare hoc decretum Benedictus XIV commentans ***(Inst. eccl., io f, n. iip et*** *120),* discrimen agnoscit inter Missam solemnem et Missam cum cantu, intrinseca etiam ratione allata, ipsumque decretum ad Missas cum ministris refert.

Accedit quod cum in responsione ad X videretur celebrationem ipsarum Missarum solemnium non esse per se de parochialibus iuribus, eo minus dicenda erit de parochialibus iuribus Missa, quae cum cantu ab uno sacerdote celebratur. In specie vero quoad Missas de requie cum cantu adest decretum S. RR. C. diei io Maii 1879, in quo ad dubium: « An liceat in aliena ecclesia et apud Regulares cantare Missam de requie, quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi Missa exequialis in ecclesia parochiali non celebratur », responsum prodiit : « Affirmative, servatis tamen Rubricarum regulis ».

E contra ex parochorum parte videretur quod responsum

ad X respiciat quamlibet Missam cum cantu, quia secus ipsius responsionis finis frustraretur, qui fuit confratribus limites hac in re imponere per verba: ***licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii.*** Praeterea dum Missa cum adsistentia diaconi et subdiaconi, quia maiores expensas exigit, fit rarior, quibusdam in locis frequens est usus ut sacerdos sine ministris Sacrum cum cantu conficiat; quo in casu eleemosyna ipsi celebranti fere integra cedit. Cum vero parochi onus curae animarum persentiant, congruum iustitiae non esset frequentioribus emolumentis ipsos privare, eo vel magis si, uti in themate, super eorum lucris adventitiis taxae a Gubernio imponantur.

Quod si etiam stricto iure Missa cum cantu confraternitatibus non fuerit praefato decreto interdicta, tamen id ex aequitate inducendum videretur, adiunctis saltem inspectis dioecesis de qua agitur. Ita Benedictus XIV pro Bononiensi Archidioecesi, ne paulatim parochi a Missis canendis in ecclesiis sodalium amoverentur, praecepit ***(loc. cit., n. ijo)*** « ne in posterum absque diacono et subdiacono sacra fiant in oratorio sodalium, nisi facultas nostra aut Vicarii nostri generalis intercesserit ».

Secundum autem dubium est circa responsum ad XX eiusdem decreti a. 1703; cum enim quaesitum esset: ***An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum,*** responsum fuit : ***Affirmative, quando tumulandus est subiectus parocho intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.***

Sane quoad eos qui confraternitati sunt adscripti propatula sunt verba decreti, quod ius peragendi funus in ipsa confraternitatis ecclesia competat parocho, intra cuius paroeciae fines est ecclesia confraternitatis, si tumulandus eidem parocho est subiectus; quod in aliis decisionibus SS. CC. confirmatum fuit, praesertim a S. RR. C. in ***Casertana,*** 7 Iulii 1877, et in ***Isolana,*** 20 Nov. 1885 ad IV; si vero tumulandus non

sit subditus parocho, intra cuius paroeciae limites est ecclesia confraternitatis, tunc ius funerandi pertinet ad capellanum, ut ex S. RR. C. in citata ***Casertana,*** et ex S. C. C. in ***Cassanen.,*** io Mai 1.767. Videretur autem quod responsio ad XX non referatur ad casum, in quo quis e vita functus non sit sodalitio adscriptus, quacumque alia de causa cadaver in ecclesia sodalitii exponatur. Tunc enim cum nulla iurgiorum causa inter parochum et confraternitatem adesse posset (capellanus quippe non ex iure adscriptionis in sodalitium ageret), arguendum esset quod rector ecclesiae funus peragere debeat, parocho quidem quarta funeraria reservata.

At ex adverso quod spectat ad ipsam formam qua proponitur dubium, adnotandum videtur quod si responsio ad XX valet quoad confratres e vita functos, eo magis quoad reliquos parochi subditos valere debet. Contrario quidem ordine servato alias proposita fuerunt huiusmodi dubia ad S. C. C, et responsum hoc in sensu prodiit, ut in ***Aprutina-Iuris funerandi*** 28 Ian. 1893, ubi ad dubia: « I. An confraternitates, de quibus supra, exemptae sint a parochiali iurisdictione, et ius habeant funerandi super cadaveribus illorum qui ad eorum, ecclesiam pro funere exponi elegerunt, et ab ipsis deferri ad. coemeterium voluerunt, salva tamen parocho quarta funeraria in casu? II. An confraternitates, quae Ordinibus religiosis non successerunt, ius habeant funerandi independenter a parocho solummodo super cadaveribus confratrum, salva semper eidem quarta funeraria in casu ? », rescriptum fuit : « Ad I et II Negative et amplius ». Hoc enim eruitur ex ***cap.*** *1* ***et*** *4* ***de sepult., et cap.*** *2* ***Clement.*** Dudum, ***de sepult.,*** quia parochus vi paroecialis iurisdictionis habet intentionem fundatam in iure quoad suos filíanos sepeliendos.

Quoad denique tertium dubium ex parte parochorum denegandum videretur quod capellanis triduanas et novendiales preces caeterasque functiones sacras in ecclesiis confraternitatum libere exercere possint. Et parochorum rationes in

communi iure nituntur, quia ipsi auctoritatem in omnibus ecclesiis habent, ex eo quod in ambitu paroeciae continentur, ***cap.*** Dilectus, *2* ***de capp. monach.*** ; quum e contra confraternitates non ad hoc sint institutae ut ecclesiasticas functiones obeant, sed ut, sociatis viribus, actus poenitentiae et opera misericordiae impendant.

Adde quod sacras functiones a digniori peragi convenit, et quidem ab eo qui ex officio vocatur, non vero mercenario et conductitio operario, qui auctoritatem suam a laicis recipit. Quae sententia etiam responsionibus SS. CC. comprobatur, eamque explicant Bassus ***(De sodalitiis, quaest.*** *12),* Pignatèlli ***(Consult, f, n. io; ioj, n.*** *16* ***et seqq.),*** Monacelli ***(Formul, leg. pract., tom.*** *2,* ***tit. iß, form. i, n.*** *54* ***et seqq.).*** Quod si decretum S. RR. C. a. 1703 edixerit functiones quasdam ex iuribus stricte parochialibus non esse, < non ideo eruendum est eas cuilibet sacerdoti competere. Ut enim habet Monacelli ***(loc. cit., n.*** *54),* praeter iura parochialia distinguenda sunt etiam parochialia munia, quae parocho pertinent vel saltem illi conveniunt, aut quia cum ipsis iuribus coniunguntur, aut quia cum pastorali officio necessario copulantur.

Insuper decretum a. 1703 auctoritatem Episcopi in confraternitates non imminuit, prout docet Benedictus XIV ***(loc. cit., n.*** *y4).* Hoc quidem Pontifex arguit ex quibusdam decreti responsionibus, uti ad XIV et XVII in quibus fit salva auctoritas Episcopi aliter decernendi, et confirmat sententiis S. C. C. deinde promulgatis.

At ex parte capellanorum videretur quod praefatas preces et functiones in suis ecclesiis libere peragere possint etiam diebus quae in statutis non adnumerantur; quoad enim fun-' ctiones, quae a statutis praescribuntur, nulla quaestio esse potest, cum statuta confirmata fuerint superioris auctoritate. Revera ex ***cap. uti., de officio archidiaconi*** iam eruitur ecclesias positas intra limites parochialis ecclesiae subesse ei tantum in parochialibus iuribus, non quoad alia, nisi paroecia

causas et rationes suae petitionis afferat, ut argumentatur Benedictus XIV ***(loc. cit., n.** 108).*

Examussim vero decretum a. 1703 in responsionibus ad III et IV statuit quod confraternitates erectae in ecclesiis a parochiali ecclesia seiunctis quoad functiones non parochiales parocho non subsint. Et in specie definivit complures sacras functiones de parochialibus iuribus non esse, cuiusmodi sunt benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium ; multo autem minus dici possunt de parochialibus iuribus tridui et novenae. Nec distinctione invecta inter iura parochorum et munia sustineri potest, quod nonnullae functiones, quas **S.** RR. C. declaravit non esse de parochialibus iuribus, tamen competant parochis ut ipsorum munia; iuxta enim id quod Benedictus XIV adnotat ***(loc. cit., n.** 102)* haec sententia finem S. RR. C. frustrare videtur, qui ipsius decreti initio conscribitur, vitandi nempe controversias super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis. Huc accedit quod idem discrimen in ipso decreto cognitum apparet; dicitur enim ibi ad VI et VIII quod benedictiones mulierum et fontis baptismalis, et celebratio Missae solemnis in feria V in ***Coena Domini*** non sunt de parochialibus iuribus, et tamen a parochis fieri debent.

Decisiones autem SS. CC. quae ex tunc seu post praefatum decretum datae fuerunt, huic thesi pro capellanis adstipulantur. Ita S. RR. C. in ***Nicien.,*** 30 Martii 1878 respondit: « Standum est decreto generali diei io Dec. 1703; propterea sodalitas praefata Missas tam pro vivis quam pro defunctis per proprium capellanum canere licite potest, ceterasque functiones peragere quae in memorato decreto definiuntur, nulla praemissa licentia parochi Cathedralis». Item H. S. C. praesertim in relata ***Reatina,*** 13 Ian. 1844; in ***Isolana,*** **5** Decembris 1863 et 25 Ian. 1864 ad **5;** et in una ***S. Agathae Gothorum,*** 3 Aug. 1889 ad i ; in ***Hortana,*** **5** Iulii 1788; in ***Cassanen.,*** io Maii 1767; et in ***Cuneen.,*** 16 Maii 1894. Neque

aliter tradit **S.** C. EE. et RR., ut in una ***Iurium parochialium,*** 2 Sept. 1870 et 5 Sept. 1879; et S. Rota etc.

Quibus accedit quod in praesentiarum, urgente nequitia temporum, nullo medio parcendum esset ut foveatur pietas laicorum praesertim per sacras functiones in confraternitatibus explendas.

Responsiones. Emi Patres S. Congr. Concilii, sueta sapientia et prudentia, die 24 Martii 1906 propositis dubiis respondendum mandarunt:

Ad I. ***Per se et generatim loquendo, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem, quae est, ut quoties Missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et Missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco Missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni ijoß frustretur et abusus subrepant.***

Ad II. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad III. ***Affirmative sub dependentia Episcopi.***

Colliges. i°. Inter Missas solemnes et simpliciter cantatas hoc intercedit discrimen, quod istae absque sacris ministris, illae e contra cum eorumdem adsistentia cani solent; quin populi concursus et extrinsecus apparatus ad huiusmodi solemnitatem quidquam conferant.

2°. Missae sive solemnes sive cantatae per se ad iura parochialia minime pertinent; attamen in laicorum confraternitatibus Missae solemnes nonnisi diebus solemnioribus cantari possunt ; quoad Missas vero cantatas loco solemnium mandatur Episcopis statuere pro singulis vicibus quid magis expedire iudicaverint.

3°. Spiritus autem decreti diei io Decembris 1703 in eo fuit ut, frequentibus controversiis e medio sublatis, Sodalita-

tibus laicis quidam limites imponerentur, ne praeiudicium inferrent iuribus parochorum propriis.

4°. Praeterea ex iure communi parochi ius habent peragendi funus in ecclesiis confraternitatum saecularium super omnibus defunctis, etiam sodalitio non adscriptis, qui tamen illorum parochiali iurisdictioni subiiciantur.

5°. Denique capellani confraternitatum triduanas et novendíales preces caeterasque sacras functiones non parochiales in ipsorum ecclesiis seu oratoriis independenter quidem a parochis, sed dependenter ab Ordinario, exercere valent.

AQUILANA

CATHEDRATICI ET MISSAE PRO POPULO

De Cathedratico a Vicariis curatis persolvendo, deque Missa pro populo ab iisdem applicanda.

Compendium facti. Aquilana urbs saeculo XIII ad suum fastigium surrexit opera finitimorum oppidorum, quae inibi proprium vicum cum ecclesia, platea vüsque aedifìcarunt; hinc parochi, qui antea extra urbem morabantur, in eadem residere coeperunt. Aucto dein clericorum numero, ecclesiae civitatis simpliciter parochiales ad Collegiatae dignitatem evectae fuerunt, necnon provisum animarum curae in antiqua sede per Vicarium, prius amovibilem, postea vero perpetuum.

Haec inter oppida adnumeratur Paganica, quae duplex existit, altera nempe ***ad intra,*** altera vero ***ad extra.*** Anno 1600 Episcopus tunc temporis Vicariam curatam manualem Paganicae ***ad extra*** erexit in perpetuam, ei assignans congruam ducatorum 50 a Collegiata Paganicae ***ad intra*** pensitandam. At, quum a. 1799 Capitulum illam amplius praestare non posset, Episcopus de eiusdem consensu praebendam in praedicta Collegiata vacantem Vicariae Paganicae ***ad extra*** in congruam portionem ipsius Curati perpetuo univit et assi-

gnavit. Collegiatis a Gubernio italico suppressis, etiam Vicariis curatis extra civitatem extantibus assignata sunt congrua paroecialis expensáeque pro cultu.

Porro hodiernus Archiepiscopus, cum comperisset quosdam ex praedictis Vicariis nec Cathedraticum solvere nec Missam applicare pro populo, ratus omnes ad utrumque teneri, eos admonuit ut utrique oneri satisfacerent; verum ei unus refragatus est Vicarius curatus S. Mariae de Paganica ***ad extra,*** asserens se ad neutrum teneri. Unde huius controversiae origo.

Animadversiones. Cathedraticum, seu certa pensio quotannis Episcopo solvi consueta, praescriptum fuit ab Honorio III ***(cap.*** Conquerente, ***de off. Ordin.)*** ; Cfr. Benedictus XIV ***(de Syn. dioec, lib. j, cap.*** *6,* ***n.*** *2).* Ita appellatur, quia datur propter honorem Cathedrae episcopalis et in signum subiectionis erga ecclesiam Cathedralem, cui praeest Episcopus. Quandoque etiam denominatur ***Synodaticum,*** quia exigi solet in Synodo; Cfr. Ferraris ***(verb.*** Cathedraticum, ***n. ß)*** et Fagnanus ***(in cap.*** Conquerente, ***n.*** *44).* Cathedraticum praestare tenentur omnes ecclesiae vel capellae Episcopo subiectae, etsi monasteriis exemptis unitae sint pleno iure, nec non omnes habentes beneficia ecclesiastica, servata proportione reddituum eorumdem beneficiorum; Cfr. Sebastianelli ***(Prael. can., vol. i, n.*** *192)* et Ferraris ***(loc. cit., n.*** *16,* ***et seqq.).*** Insuper Cathedraticum solvendum est singulatim ab unoquoque Beneficiato; secus vero si singuli Beneficiati ex communi massa sustentantur. Cfr. Benedictus XIV ***(loc. cit., cap. j, n. S)*** et Conc. Rom. *ij2j* ***(tit.*** *8,* ***cap.*** *4).* Item Beneficiati, qui habeant praebendas distinctas a massa communi, non tenentur pensitare Cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra Cathedraticum in communi, veluti declaratum fuit a S. C. C. in ***Firmana*** diei 29 Apr. **173**1.

Ad applicationem vero Missae pro populo omnes parochi iure divino tenentur, ex Conc. Trid. ***(Sess.*** *2ß,* ***cap. i de Re-***

form.), etiamsi redditus sint ita tenues ut inde nec congruam habeant; non enim ratione substentationi s sed officii ad hoc adstringuntur; Cfr. Ferraris ***(verb.*** Missa, ***art.*** *3,* ***n.*** *8).* Imo huic obligationi obnoxii sunt nedum parochi, sed omnes actu exercentes curam animarum, sive appellentur Vicarii perpetui vel temporanei, sive etiam Oeconomi, iuxta Const. ***Cum semper oblatas*** Benedicti XIV die 19 Aug. 1744.

Hisce in genere adnotatis, videretur in primis Vicarium curatum Paganicae ***ad extra*** non teneri ad Cathedraticum persolvendum. Ipse enim est capitularis Collegiatae S. Mariae de Paganica ***ad intra,*** cum ibi praebendam possideat et ius habeat, quoties voluerit, inter canonicos locum tenere. Porro archipresbyter eiusdem Collegiatae pro omnibus Beneficiatis Cathedraticum solvit. Quod confirmatur ex eo quod nunquam a Vicariis curatis fuit persolutum Cathedraticum, cum de hoc ne verbum quidem fiat neque in Bullis nominationis, neque in Visitationibus pastoralibus etc. ; unde in suo iure manutenendus est saltem ex immemorabili consuetudine cum praescriptione coniuncta, ad tramitem resolutionis H. S. C. in ***Albinganen.*** 3 Dec. 1644. Cfr. Richter ***(in Conc. Trid., sess.*** *24,* ***cap.*** *3,* ***n.*** *18).*

Neque secundo Vicarius curatus S. Mariae de Paganica ***ad extra*** ad Missam pro populo applicandam adstringi videtur. Etenim huic obligationi obnoxii sunt dumtaxat qui curam animarum actu exercent, sive nomen parochi sive Vicarii sive Oeconomi obtineant, dummodo sint independentes in paroecia administranda. Cfr. ***cap.*** Extirpandae *30,* ***de Praebendis.*** Quod si quis in animarum cura ab alio dependeat, qui iurisdictionem super gregem suum obtineat, ille non est parochus independens, ideoque nec tenetur Missam pro populo applicare. Cfr. ***Monitore eccl. (vol.*** *13,* ***pag.*** *82* ***et seqq.).*** In casu Vicarius curatus curam animarum exercere non videtur nomine et iure proprio sed Collegiatae de Paganica ***ad intra,*** quemadmodum hoc declaravit a. 1799 Episcopus,

qui eidem Vicariae curatae univit canonicatum in Collegiata existentem ; quodque indirecte saltem recognitum fuit ab alio Episcopo a. 1875. Quinimo cum olim exorta fuerit quaestio de applicatione Missae pro populo, haec favore Vicarii curati resoluta fuit, uti liquet ex actis S. Visitationis a. 1828 et 1876. Accedit praeterea quod ecclesia non praesumitur paroecialis, sed in dubio est plene et integre probanda ab eo, qui talem eam esse asserit. Neque demum dici potest suppressionem Collegiatae S. Mariae de Paganica a civili gubernio et assignationem congruae paroecialis ipsi Vicario curato factam statum paroecialem Paganicae ***ad extra*** immutasse.

At ex adverso ambigi posse non videtur Vicarium curatum Paganicae ***ad extra*** ad Cathedraticum praestandum teneri. Cathedraticum enim tunc solum solvitur in communi, quando nullus Beneficiatus suam possidet specialem praebendam sed sustentatur ex massa communi, prouti confirmatur ex resolutione H. S. C. in ***Viterbien.,*** 7 Apr. 1760. Cfr. Richter ***(loc. cit., cap.*** *3,* ***n.*** *21).* Hoc autem nunquam verificatur in praesentiarum, cum, suppressis a gubernio Collegiatis, quisque directe ab eodem suam congruam recipiat. Hinc citata resolutio in ***Firmana*** in casu valere non potest.

Praeterea Vicarius curatus Paganicae nedum canonicalem praebendam possidet sed alios quoque redditus ratione muneris percipit, nempe ex funeribus etc.; quare nisi teneatur ad Cathedraticum solvendum qua capitularis, adstringeretur qua Vicarius curatus perpetuus, quum Vicaria perpetua sit verum beneficium. Unde S. Congr. Concilii die 26 Febr. 1707, quum quaesitum ei fuisset: « An cathedraticum sit solvendum a parochis ratione parochiae tantum, quam possident in titulum, vel potius ratione etiam beneficiorum eisdem parochiis unitorum >, responsum dedit: «Affirmative et amplius ». Cfr. Richter ***(loc. cit., cap. ß, n. ip).***

Neque consuetudo etiam immemorabilis quidquam suffragatur, sicuti pluries declaratum est a S. H. C. praesertim in

Lavallen. - Cathedralici 6 Iun. 1693, in qua formiter ad examen revocata fuit decisio citata in ***Albinganën.y*** et ad dubium : « An cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium », responsum est: « Affirmative ad formam iuris ab ecclesiis et beneficialis ». ; necnon in ***Perusina-Cathedralia*** 19 Nov. 1735. Cfr. Benedictus XIV ***(loc. cit., lib. j, cap. j, n. j),*** Richter ***(loc. cit., n.*** *18)* et Ferraris ***(loc. cit., n. u et seqq.).***

Item Vicarius curatus Paganicae videtur teneri ad applicandam Missam pro populo. Hoc enim onere obstringuntur omnes, quibus animarum cura commissa est, inter quos recensentur Vicarii curati sive amovibiles sive inamovibiles sive etiam Oeconomi, uti declaravit Benedictus XIV in Const. ***Cum semper oblatas.*** Iamvero quod Vicarius curatus Paganicae sit dependens in suo munere parochiali ab archipresbytero S. Mariae de Paganica ***ad intra*** perfracte negat hodiernus Archiepiscopus Aquilanus, cum ille administrationem parochiae habeat cum potestate ordinaria in sacramento poenitentiae et in matrimoniis, et possideat fontem baptismalem et archivium parochiale, aliaque omnia quae sunt veri parochi. Quod si archipresbytero competit ius praesentandi Vicarium, hoc, quin officiât assertae independentiae, in illius favorem validum potius argumentum constituit, ex doctrina Fagnani (in ***cap.*** Ad audientiam, ***de eccles, aedific, n. p et ßß).***

Haec autem omnia confirmantur a fere simili causa ***Aegitanien.-Visitationis SS. LL.*** a S. H. C. resoluta die 18 Iulii 1789, in qua declarantur adstricti ad Missam pro populo applicandam Curiones electi ab archipresbyteris ecclesiarum matricium ; cuius proinde responsionis ratio ex eo desumitur quod divisio, non ita dismembratio, ecclesiarum filialium a matricibus facile ex variis indiciis praesumi potest. Indicia autem sequentia assignantur : nimirum tum distantia ab ecclesia principali et difficultas itineris (Cfr. Barbosa, ***De paroch., cap. i, n. 2j),*** tum congruae assignatio pro sustentatione

Curati (Cfr. Monacelli, ***part. i, tit.*** *2,* ***form.*** *3,* ***n. f),*** tum si parochi aliquando obligatione Missam pro populo applicandi se oneratos senserint. Iamvero haec indicia fere omnia in casu reperiuntur; nam ecclesia 'Paganicae ***ad extra*** distat a Collegiata per 13 km., Vicarius curatus Paganicae perfruitur congrua parochiali, necnon quidam ex Vicariis curatis iam huic obligationi satisfaciunt. Quibus accedit quod Vicarius curatus Paganicae eligendus sit per concursum ad tramitem iuris canonici; quod non requiritur quando agitur de coadiutoria simplici. Insuper a. 1875, cum peracta fuisset divisio territorialis parochiarum succursalium extra moenia, inter parochias dependentes a Collegiata de Paganica ***ad intra*** non recensetur ecclesia de Paganica ***ad extra.***

Resolutio. S. Congr. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 24 Martii 1906 rescribendum censuit:

Ad utrumque teneri.

Colliges. 1°. Beneficiati omnes tenentur Cathedraticum quotannis Episcopo solvere, et quidem singulatim si specialem et distinctam possident praebendam, solummodo in communi, si ex una eademque massa sustentantur.

2°. Pariter omnes animarum curam actu et independenter exercentes, quocumque nuncupentur nomine, ad Missam pro ovibus sibi commissis applicandam adstringuntur.

3°. Utraque insuper obligatio, Missae nempe pro populo et Cathedratici, adeo est privilegiata, ut ne per contrariam quidem consuetudinem etiam immemorabilem praescribi possit; illa enim in iure divino, ista autem in continua subiectione et reverentia Episcopo debita fundatur.

4°. In themate proinde, quum Vicarius curatus de Paganica ***ad extra*** canonicalem praebendam ac congruam parochialem possideat, quumque actu et independenter ab archipresbytero Collegiatae de Paganica ***ad intra*** curam animarum exerceat, tenetur tum ad Cathedraticum Episcopo persolvendum, tum ad Sacrum pro populo sibi commisso applicandum.

ANNECIEN.

SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

Quandonam parochi, ex indulto Missam cantatam celebrantes festis suppressis favore pii Operis, solum stipendium Missae lectae Episcopo tradere possint.

Dubia. Rescripto H. S. C. diei 9 Iunii 1903 Episcopus Anniciensis prorogatam obtinuit facultatem, ut cum parochis suae dioecesis super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis, pro suo arbitrio et conscientia, gratis dispensare possit et valeat; ad effectum, accedente eorumdem parochorum consensu, deponendi et erogandi in sustentationem minorum Seminariorum dioecesis, eleemosynas ex enunciatis Missis obventuras. Nunc idem Episcopus supplici oblato libello duplex petit resolvi dubium, videlicet:

I. *Quando parochi diebus festis suppressis celebrant Missam- cantatam, sive manualem sive fundatam, quae in Dominica praecedenti praenuntiata fuerit cum indictione diei et horae, licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium Missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesanas pro huiusmodi Missis praestitutum f*

II. *Si Missam exequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciuntne suae obligationi, mittendo stipendium Missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium Missae cantatae iuxta praedictam taxam, salvis iuribus stolae?*

Animadversiones. Indubii iuris est parochum teneri pro ovibus suis sacrificium offerre omnibus diebus festis etiam abrogatis, quicumque sint paroeciae redditus, uti patet ex Conc. Trid. *(sess. 23, cap. i, de Reform.),* Brevi *Nuper* Innocentii XII, Const. Benedicti XIV *Cum super oblatas* 19 Augusti 1744, et Const. *Amantissimi* Pii IX 3 Maii 1848. Post quam Pianam dispositionem, ut refert Lucidi *(De visi-*

latione SS. LL., vol. i, n. Jjo), nonnisi ex benignitate S. Sedis factum est, quod « si aliquibus in casibus iustae ac rationabiles causae ad sensum earum litterarum impedimento erant, ne aliqui animarum curatores huic praecepto ***(litandi nempe Sacrum pro populo diebus festis suppressis)*** satisfacere possent; re ad S. C. diligenter exposita, accedente commendatione illorum Antistitum, ac specialiter ad Sanctitatem Suam relatione facta, peculiarem veniam ad certum tempus duraturam assecuti sunt, ac etiam nunc assequi solent ».

Verum ne ex hac concessione suspicio oriretur indultum concessum fuisse in parochi commodum et lucrum, eidem concessioni imposita fuit lex tradendi Ordinariis seu impendendi illorum arbitrio in usum pium eleemosynam ex dictae Missae obligatione perceptam. Unde sequeretur parochos in casu teneri integrum omnino stipendium Episcopo tradere, etiamsi Missam cum cantu celebrent, quaecumque illa sit, manualis seu fundata, salvis tamen iuribus stolae pro Missa exequiali. Cum enim indultum expresse et inconditionate datum sit favore Seminarii, quaecumque fieret subtractio, vergeret in praeiudicium seu damnum ipsius Seminarii. Quod insuper cum in vim dictae clausulae iam acquisiverit ius quoddam ad dictas eleemosynas, eidem integrum stipendium, quin aliquid sibi retineant parochi, tradere debent, ad normam Const. Urbani VIII ***Cum saepe,*** die 2 Iunii 1625 aliorumque iuris textuum.

Nec praetereundum quod, nisi tenerentur parochi integrum perceptum stipendium in pium opus determinatum refundere, abusibus aperiretur via, sive in quaerendis titulis ad retinendam stipendii partem, sive in quaeritandis Missis cum cantu. Hinc nuper etiam die 27 Febr. 1905 (i) H. S. C. Episcopo S. Deodati, quaerenti utrum concessio ab eo facta parochis suis, qui cum indulto diebus festis abrogatis cele-

(1) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 524.**

brabant, mittendi ad cancellariam episcopalem nonnisi synodalem eleemosynam, respondit: ***Negative.***

Verum quia in themate peculiares tituli invocari possunt favore parochorum ad retinendam sibi eleemosynae partem, videndum est quo pretio hi haberi debent. Nam inter hos titulos accensetur intentio dantis eleemosynam et ratio maioris incommodi seu laboris ex parte recipientis; quod quidem valet tum si agatur de Missis beneficio aut capellaniae inhaerentibus (S. Alph., ***lib.*** *4,* ***tract.*** *3,* ***de Euchar., dub. i, n.*** *321),* tum de Missis perpetuis alicui sacerdoti demandatis, tum etiam de Legatis alicui factis cum onere Missarum, tum de Missis adventitiis (Cfr. ***Acta S. Sedis, vol.*** *8,* ***pag. jj).*** Quamvis dicti tituli non valeant, nisi saltem morali certitudine constet propter eosdem maius stipendium fuisse collatum ; uti evincitur sive ex auctoritate scriptorum (S. Alph., /. ***c),*** sive ex decisionibus H. S. C. in ***Lugdunen.*** 31 Ian. 1880, et ***Bambergen.*** 17 Iunii 1905 (i).

Atqui in casu sive attendatur intentio eleemosynam conferendum sive ratio maioris incommodi et laboris parochorum, qui Missam celebrant, non videtur posse concludi moraliter certo constare pinguius stipendium propter dictos titulos datum fuisse. Nam maius collatum stipendium pro Missa cum cantu, sive fundata sive manuali vel exequiali, non censetur datum intuitu personae, sed potius quia fideles vel fundatores rati sunt ex sacrificio cum cantu maiorem reportare fructum : hinc stipendium scindi non debet. Quin negotium facesset, quod dictae Missae celebrandae sint hora et die fixo; nam ex communi intentione fidelium, non duo putantur data stipendia unum pro Missa et alterum pro incommodo, sed unicum tantum pro Missae applicatione.

Ex altera vero parte favore parochorum animadverti potest, quod clausulae in rescripto adhibitae benignam quoque

(i) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 38, pag.** 211.

interpretationem admittunt. Sane non prohibet indultum ne, iusto extante titulo, possint partem dictorum emolumentorum parochi sibi reservare ; clausulae enim non sunt absolutae et exclusivae. Et hunc titulum adesse in casu videtur erui posse ex peculiari ratione, qua Missae celebrandae committuntur ab oblatoribus, ut nempe statuatur specialis dies et determinetur hora, atque ab offerentibus exigatur Missa cum cantu.

Insuper agitur in themate de parochis, quibus dictae Missarum celebrationes a suis parochianis committuntur, qui forte maius stipendium offerunt propriis pastoribus intuitu personarum, quasi grati animi ergo, propterea quod labores suos et propemodum vitam spirituali eorum utilitati devoveant. Neque officere videtur allata responsio H. S. C. Episcopo S. Deodati ; eatenus enim concessio ab Episcopo oratore facta declarata fuit illegitima quia illius potestatem excedebat, et quia revera plena periculis evadebat: nam iuxta factam expositionem non constabat de titulis extrinsecis ad retinendam eleemosynae partem, uti constat in praesenti casu.

Decisio. S. Congr. Concilii, duobus propositis dubiis rite perpensis, die 24 Martii 1906 rescribendum censuit:

Ad utrumque, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde parochus obligatus non sit.

Colliges. i°. Indubii iuris est parochos, qui vi peculiaris indulti Missam cantatam licet exequialem celebrant diebus festis suppressis favore pii Operis, de regula generali teneri integrum stipendium Episcopo tradere.

2°. Ideoque stipendium taxam dioecesanam Missae lectae excedens tunc tantum sibi retinere iidem parochi valent, quum praesto sint tituli celebrationi extrinseci, qui, utpote quid Missae accessorii, praetio aestimabiles merito habentur.

3°. Huiusmodi autem tituli extrinseci in casu accensentur maior labor aut incommodum, ad quae sustinenda parochi

vi proprii muneris non adstringerentur, e. g. si secus ad Missam dumtaxat lectam per se obligati essent.

4°. Caeterum in themate tutam normam desumi posse ex eo censemus, iuxta quod praefati parochi sese gerere solent quando, iisdem occurrentibus adiunctis, Missam cantatam pro populo diebus festivis non suppressis applicare tenentur.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS S. BENEDICTI

Decretum confirmationis cultus praestiti Placido Martyri et Sigisberto Abbati, Monasterii Desertinen. fundatoribus, Beatis et Sanctis nuncupatis, seu casus excepti a Decretis s. m. Urbani Papae VIH.

Ad humillimas preces Rmi Dñi Benedicti Prévost, Ordinis S. Benedicti, Abbatis monasterii Desertinensis, intra fines Curien, dioeceseos, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X per decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 7 Iulii, hoc labente anno 1905, dispensare dignatus est a forma consueta Inquisitionis Ordinariae super cultu praedictis Beatis et Sanctis nuncupatis Placido M. et Sigisberto Abb. exhibito seu super casu excepto a decretis Urbanianis ; dummodo huiusmodi cultus seu casus exceptus rite comprobetur. Perhibent autem Actores S. Sigisberti Abbatis an. 636 defuncti corpus in sepulchro S. Placidi quadriennio vel sexennio antea interempti depositum fuisse, ut, qui in vita, religione et virtute erant coniuncti, post mortem tumulo et veneratione haud forent separati. Exinde incoepit cultus simultaneus qui asseritur utrique sancto per ultra duodecim saecula praestitus. Fama prodigiorum ad tumulum increbrescente, veneranda corpora ab Abbate Adalberone an. 663 in S. Martini templum translatait an. 670, ob belli periculum, in oppidum

Thuregum traducta, paulo post Desertinensi monasterio restituta fuerunt. Haec sacrorum pignorum translatio, die 30 Iulii, peculiari festo immemoriali ibidem recolitur. Tello autem Abb. Desertin. et Episcopus Curien, pro sacris illis exuviis custodiendis novum sarcophagum an. 760 extrui curavit, ex cupro inaurato, figuris Placidi et Sigisberti gesta referentibus decoratum. Hic sarcophagus cum reliquiis ab Uldarico Abbate an. 1048, securitatis causa, ita terra obrutus fuit, ut, lapsu temporis, ab hominum memoria pene exciderit. Instaurata a Ioanne VII Brugger Abbate ecclesia S. Martini, thesaurus ille an. 1498 die 14 Februarii inventus est. Inde sacrarum reliquiarum translationis festo alterum quoque inventionis adiectum fuit, praedicta die quotannis recolendum, atque utrumque festum respectivo Officio proprio ab Apostolica Sede an. 1896 adprobato condecoratum est. Praeter haec festa secundaria quorum origines antiquissimae descriptae sunt, festum primarium statutum et die 11 Iulii affixum in synopsi Annal. Desertin. ad an. 784 ita exhibetur: « Moritur Tello, qui creditur B. Placidum martyrem et Sigisbertum confessorem in numero sanctorum retulisse, facultate eo tempore Ordinariis locorum competente, eorumdemque festum ut annua solemnitate et publico cultu recolatur ad V Idus Iulii instituisse ». Ad probationem casus excepti conficiendam alia quoque in medium producta sunt argumenta desumpta ex antiquis et recentibus Kalendariis Librisque liturgicis Curien., Beronen. et Einsiedeln., ex ecclesiis, altaribus et simulacris honori horum sanctorum dicatis, ex fidelium peregrinationibus ad sacras eorum exuvias, quas etiam cum pietatis affectu et venerationis signis visitarunt inter alios praestantissimos viros Carolus Magnus, Lotarius postea Imperator, Otto I Imp. et S. Carolus Card. Borromaeus; praesertim vero ex Bulla Callisti Papae III d. d. xvn Kalend. Augusti an. 1456, in qua Placidus et Sigisbertus vocantur sancti et monasterii Desertinen. patroni aeque praecipui cum Sancto Martino et

conceditur indulgentia unius anni omnibus vere poenitentibus et confessis qui ecclesiam eiusdem monasterii devote visitaverint annuatim ***in eorumdem sanctorum Martini, Placidi et Sigisberti patronorum solemnitate.*** Quibus caeterisque documentis authenticis Sacrorum Rituum Congregationis examini subiectis, ad enixas iteratasque preces praelaudati Rmi P. D. Benedicti Prévost, monasterii Desertinen. Abbatis, attentisque obsequentissimis litteris commendatitiis plurium Rmorum Helvetiae Episcoporum et Abbatum Benedictinorum una cum Rmo P. D. Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Steinhuber huius Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrae eiusdem Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An constet de casu excepto a decretis s. m. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum, de quo agitur » ? Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: ***Affirmative se?4 constare.*** Die 5 Decembris 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Rituum Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit die **6,** eisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. «$• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

LINCIEN.

Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier, Episcopi Linciensis.

Inter apostolicos sacerdotes pro Christo legatione fungentes, Dei miseratione et Sanctae Sedis auctoritate Episcopos constitutos qui postremis hisce temporibus sacri ministerii operibus cum fama sanctitatis vitae inclaruerunt, merito recensetur Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Linciensis. In oppido Parthenen., dioeceseos Brixinensis, ortum duxit die 6 Aprilis anno 1811, eaque ipsa die in sacro fonte regenerata est. Minor ex octo filiis piorum parentum Ioannis Christiani et Iosephae Tschofen, Francisculus honestate et pietate omnium optimus existimabatur. Aetate succrescens, ipsorum parentum cura, studiorum elementa in scholis didicit, specimina ingenii ac diligentiae satis praeclara ostendens. Humanioribus litteris apud fratrem natu maiorem, in pago Schruns, biennio navavit operam. Oeniponte tertium gymnasii cursum prosecutus est, ibique transitu facto ad ulteriora studia in Universitate ita profecit, ut principem obtinuerit locum et praemium cum annuo subsidio. Vigesimum aetatis annum agens, absolutis disciplinis philosophicis et, divino lumine implorato, se in sortem Domini vocatum sentiens, statim Brixinam se contulit, ut in seminario episcopali theologicis studiis incumberet. Scientia et pietate dignus et idoneus repertus, per gradus inferiores ad sacerdotalem dignitatem evectus est die 12 Aprilis anno 1835. Tunc illuxit Servus Dei haud amplius sub modio sed super candelabrum in domo Dei, charitate, prudentia, zelo et doctrina. Ad parochum oppidi Vandars missus, inibi vicarii munus diligenter exercuit. Ad pagum Biirs translatus et in adiutorem parocho senio confecto datus, cum impensiore studio et incolarum admiratione atque utilitate spiritualis moderatoris officium peregit. Parocho e vivis erepto, Servus Dei Vindobonense

Collegium ad presbyteros ampliori scientia sacra excolendos ingressus est: in quo summa cum laude de theologia dogmatica periculum fecit. In Brixinense seminarium arcessitis per triennium historiam ecclesiasticam et ius canonicum et postea per quadriennium theologiam tradidit, doctrina, eloquio et perspicuitate praestans. Quaedam etiam conscripsit opera inter quae illud praecipuum de ecclesia catholica a doctis viris commendatum. Anno 1845 in memorato Vindobonensi instituto moderator spiritualis deputatus, obtenta venia a suo Episcopo, Brixinam reliquit, et Vindobonae novum officium alacriter suscepit. Vertente autem anno 1848, Inticam traductus et collegiali illi ecclesiae praepositus sacrum ministerium praedicatione aliisque dotibus illustravit. Interea Brixinensis Praesul de recta cleri educatione, a qua bonum populi praecipue pendet, valde sollicitus, Franciscum Iosephum inter canonicos suae cathedralis ecclesiae cooptavit et maiori seminario regendo praefecit cum maxima capituli et seminarii gratulatione et laetitia. Quibus muneribus dignissimus canonicus et rector ita functus est, ut etsi in confessionibus, concionibus aliisque ministerii laboribus esset occupatus, tamen statuta et regulas pro seminarii regimine exaraverit eidemque seminario illustre nomen prae ceteris acquisierit. Episcopatum Linciensem ex obedientia suscepit et die **5** Iunii anno 1853 Viennae consecratus, post quinque dies ad sedem Linciensem se transtulit. Bonus pastor non sua sed quae Dei sunt quaerens, ad gregis sibi commissi bonum sollicitudinem omnem impendebat, ***in omnibus seipsum praebens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate ;*** sicuti Titum monebat Apostolus. Alumnorum utriusque seminarii studia, pietatem atque ecclesiasticam disciplinam singulari industria provehebat. Sacerdotes pro uniuscuiusque indole, viribus et ingenio ad varia officia obeunda destinabat et per sacros recessus ad maiora virtutum incrementa dirigebat. Pia et religiosa sodalitia tam virorum quam mulierum pecu-

liari affectu prosequebatur, probe sciens per huiusmodi coetus et virium coniunctionem, verum societatis bonum promoveri. Religionis studio incensus, semper et praesertim in pastorali visitatione gregem suum salutariter pascebat, et ab haeretica lue praeservabat. Ecclesiae libertatis et iurium strenuus vindex et assertor extitit. Aetate iam gravis laboribusque fractus Dei Famulus dum civitatem Ried visitât, infirmitate correptus, exitum suum properare sentiens, Lincium redire vult. Morbo ingravescente, extrema morientium sacramenta enixe postulat devoteque recipit, coram capitulo et clero prius professione fidei emissa operibusque a se incoeptis ipsi capitulo commendatis. Iesu et Mariae imagines frequenter osculatur et sanctissima nomina repetit, illa quoque verba ingeminans : « Christe cum sit hinc exire, da per matrem me venire, ad palmam victoriae ». Demum postremo vitae momento iam urgente, Famulus Dei cum caelum suspexerit caelestiaque contemplatus fuerit, placidissime de hac vita migravit, collacrymantibus omnibus qui aderant quique testabantur sanctam vitam beatamque mortem amatissimi defuncti Episcopi Rudigier. Evulgato huius transitus nuncio, innumera hominum cuiusvis ordinis multitudo ad Servi Dei cadaver invisendum et venerandum convenit, oblatis etiam liberalibus largitionibus pro ecclesia cathedrali in honorem Immaculatae Conceptionis B.M.V, ab ipso defuncto Episcopo aedificata. Postquam vero die **3** Decembris, eius die onomastica, funus triumpho simile solemni pompa et cum magna fidelium frequentia et devotione persolutum fuerit, venerabile corpus in arca metallica inclusum, in crypta ecclesiae cathedralis tumulatum est; apposita lapide cum inscriptione: f ***Franciscus Iosephus Rudigier, Episcopus Linciensis, natus 6 Aprilis*** *1811,* ***presb. ord.*** *12* ***Aprilis*** *i8ßj,* ***Episcopus consecr. ß Iunii*** *i8ßß,* ***defunctus*** *2****p*** ***Novembris*** *1884.* ***R. I. P.*** Opinio sanctitatis quam Servus Dei in vita et post mortem adeptus fuerat, magis in dies diffusa et usque in praesens perseverans, viam

aperuit Processui Ordinario Informativo in ecclesiastica curia Linciensi instituto aliisque processibus Rogatorialibus Romano et Brixinensi. Quibus adornarás, penes Sacrorum Rituum Congregationem exhibitis riteque recognitis, instante Rmo **Dno** Georgio Jacquemin Antistite urbano et huius Causae postulatore, quum petita et obtenta dispensatione Apostolica a lapsu decennii et ab interventu et voto Consultorum, omnia in promptu essent, attentis litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum ac praesertim Rmi Dñi Francisci Salesii Mariae Doppelbauer Episcopi Linciensis una cum capitulo, clero et populo illius dioecesis, necnon aliorum capitulorum cathedralium, Ordinum religiosorum et Facultatum theologicarum in Universitatibus Vindobonen., Salisburgen. et Oenipontana, cum quibus consociantur nobilissimi viri et mulieres ad imperiales vel regias familias pertinentes, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: ***An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*** Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: ***Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.*** Die 5 Decembris 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et probavit; atque insuper Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Francisci Iosephi Rudigier, Episcopi Linciensis, propria manu signare dignata est, die **6,** iisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. «J». S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

ORDINIS S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

Tertiariis Regularibus conceditur usus Kalendarii, Missalis et Martyrologii Capuccinorum.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri Generalis eiusdem Ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat pro gratia ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI (Const. ***Religiosos Ordines*** diei 6 Septembris 1785) Ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 8 Augusti 1835 ***(Decret, authen. S. R. C,*** n. 2735 ad VI), et 15 Aprilis 1904 (1) editarum, non solum Moniales Capuccinae secundi et tertii Ordinis Regularis, quae iam vigore privilegii Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 Ianuarii 1688 ***(Decret, authen.,*** n. 1790 ad II) hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus Tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui sint Instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum Ordine Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Augusti 1903 (2) et Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 18 Novembris 1905 (3), eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum Officium quotidie recitent, sed Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolvant in suis ecclesiis et Oratoriis, ut valeant Kalendario, Missali ac Martyrologio ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 Decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint sacerdotes, ecclesiae sive simplici sive parochiali canonice mancipati, in

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 36, pag.** 691.
(2) **Cfr. » » vol. 36, pag.** 377.
(3) **Cfr. » » vol.** 39, **pag.** 153.

festis Patroni principalis tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus Missam applicare debent pro populo teneantur in Officio et Missa sequi Kalendarium dioecesis prouti Fratres primi Ordinis, ac deinde recurrente iuxta Kalendarium primi Ordinis aliquo Officio secundum Ordinem dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere.

Et Deus etc.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne precibus annuit : exceptis tamen Tertiariis Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus, qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. «£• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius***

EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

AESIN.

CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICORUM

Decretum quo Canonicis Cathedralis Aesinae datur facultas gestandi vestem talarem violacei coloris cum zona eiusdem coloris.

Cum R. P. D. Ioannes Baptista Ricci, Aesinae dioecesis Episcopus, canonicis suae ecclesiae Cathedralis ob iamdiu probatum eorum erga se studium, sedulamque quam in muneribus ipsis commissis obeundis navant operam, aliquod

benevolentiae suae testimonium praebere cuperet, SSmo Dno Nostro Pio PP. X, litteris die 2 Maii hoc anno datis, humiles porrexit preces ut iisdem facultatem induendi vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris eiusdem sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus Episcopus sacra in pontificalibus facit, vel divinis officiis sacris vestibus aut cappa magna indutus interest, benigne concedere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congrñis rebus Consistorialibus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, ad splendorem divini cultus augendum, atque in propensae Suae erga Aesinae Cathedralis ecclesiae canonicos voluntatis testimonium, quo ipsi animarum saluti curandae, aliisque muneribus obeundis alacriori in dies studio dent operam, oblatas preces benigne excipere dignata est.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Beatitudo Sua, omnes ac singulos Cathedralis ecclesiae Aesinae canonicos actu exsistentes, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis et censuris, sive a iure sive ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis si quas fortasse incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem, eorumque in perpetuum legitimis successoribus, facultatem benigne concedere dignata est ut sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus Episcopus sacra in pontificalibus peragit, vel sacris vestibus aut cappa magna indutus divinis officiis adstat, intra limites Aesinae dioecesis, vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris eiusdem licite ac valide gestare possint ac valeant, servatis de iure servandis, praesertim ritualibus dispositionibus, et in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus idem SSmus Dnus Noster prae-

sens edi iussit consistoriale decretum, perinde valiturum ac **si** Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cuius exsecutionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi in eumdem finem quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, committi voluit eidem R. P. D. Aésino Antistiti, et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae, hac die 19 Maii anno Dñi 1905.

Pro R. P. D. Secretario

L. S. Iulius Grazioli

S. C. Consistorialis et S. Collegii ***Substitutus.***

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

SUMMARIUM

Indulgentiarum Archisodalitati SS. Cordis Iesu Eucharistici in ecclesia S. Ioachim de Urbe existenti tributarum (i).

INDULGENTIAE PLENARIAE

I. Omnibus ex utroque sexu Sodalibus die eorum ingressus in Archisodalitatem, praeviis confessione et communione.

II. Iisdem quovis anni die, si, uti supra dispositi, in ecclesia Archisodalitatis, vel in ecclesiis seu publicis oratoriis ubi aliqua Sodalitas Archisodalitati legitime aggregata reperitur, SS. Sacramentum publice expositum, vel etiam in tabernaculo reclusum saltem per horae dimidium adoraverint.

III. Iisdem Sodalibus, confessis ac S. Synaxi refectis, qui

(i) HOC **Summarium non est nisi ampliatio Summarii praecedentis, quod relatum invenitur in** ***Actis S. Sedis,*** **vol. 36, pag.** 004, **facta per rescriptum eiusdem S. C. diei** 22 **Nov.** 1905 ***-(N. R.).***

ecclesiam Sodalitatis, vel aliam quamcumque seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus infra descriptis, videlicet:

i°. Prima dominica, vel prima feria V cuiuslibet mensis;

Mense Ianuario

2°. die 6, festo Epiphaniae D. N. I. C.;

3°. die 22, anniversaria erectionis primae Sodalitatis SSmi Cordis Iesu Eucharistici;

4°. die 27, festo S. Tarsicii M.;

Mense Februario

5°, die 2, festo Purificationis B. M. V.;

6°. a primis vesperis ad occasum solis diei 16, anniversariae erectionis Archisodalitatis in pontificali ecclesia S. Ioachim de Urbe (visitatio peragenda est in respectiva ecclesia parochiali);

Mense Martio

7°. die 7, festo S. Thomae Aquinatis Conf. Doct.;

8°. die 19, festo S. Ioseph, Sponsi B. M. V.;

Mense Martio vel Aprili

9°. a primis vesperis ad occasum solis feriae V in Coena Domini;

Mense Aprili

10°. die 16, festo S. Benedicti Ioseph Labre, Conf.;

Mense Maio

II°, die 17, festo S. Paschalis Baylon, Conf.;

Mense Iunio

12°. die 13, S. Antonii Pat, Conf.;

13°. dominica ante diem 24, in festo B. M. V. de Perpetuo Succursu;

14°. a primis vesperis ad occasum solis feriae VI post octavam Corporis Christi, in festo SSmi Cordis Iesu;

Mense Iulio

15°. prima dominica, in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.;

16°. tertia dominica, in solemnitate SSmi Redemptoris ;

Mense Augusto

17°. die 2, festo S. Alphonsi M. de Ligorio C. P. et D.;

18°. dominica infra octavam Assumptionis B. M. V., in festo S. Ioachim, Patris eiusdem B. V. ;

Mense Septembri

19°. die 8, festo Nativitatis B. M. V.;

Mense Octobri

20°. die 15, festo S. Theresiae V.;

21°. die 16, festo S. Gerardi Majella, C;

Mense Novembri

22°. die i, festo Omnium Sanctorum ;

23°. die 2, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum ;

Mense Decembri

24°. die 8, festo immaculatae Conceptionis B. M. V.;

25°. die 27, festo S. Ioannis Ap. et Ev.

IV. Iisdem Sodalibus qui semel saltem in hebdomada per dimidium horae SSmum Sacramentum adorare consueverint et confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint :

i°. Quatuor anni diebus semel tantum ab Ordinario designandis ;

2°. a primis vesperis ad occasum solis dierum infra descriptorum, dummodo insuper ecclesiam Sodalitatis, vel aliam quamcumque seu etiam publicum oratorium visitaverint, videlicet :

d) Nativitatis D. N. I. C. ;

b) Paschatis Resurrectionis;

c) Adscensionis ;

d) Pentecostes;

e) Corporis Domini;

y) Assumptionis B. M. V. ;

g) prima feria V Aprilis.

INDULGENTIAE PARTIALES

I. ***Ducentorum dierum,*** semel in die, Sodalibus, qui corde contrito ac devote SSmum Eucharistiae Sacramentum per dimidium horae adoraverint.

II. ***Centum dierum,*** semel in die, Sodalibus corde item contrito recitantibus iaculatoriam precem ***Cor Iesu Eucharisticum, in nostro exsilio solatium, da pacem Ecclesiae.***

III. ***Quinquaginta dierum,*** semel in die, si corde pariter contrito Sodales precem iaculatoriam recitaverint: ***Cor Iesu Eucharisticum, miserere nobis.***

Omnes et singulae indulgentiae superius memoratae sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in igne purgatorio detentis.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, praesens Summarium, denuo ad examen revocatum, authenticum declaravit, illudque typis mandari benigne permisit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 15 Maii 1906.

L. «J* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia pro iaculatoria " Notre Dame des Bonnes Etudes,,.

Cunctis invocantibus Bmam Virginem per iaculatoriam ***Notre Dame des Bonnes Etudes, priez pour nous*** semel in die Indulgentiam Tercentörum dierum in Domino concedimus.

Die 16 Maii 1906.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 22 Maii 1906.

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicert., ***Secretarius.***

EX VICARIATU URBIS

DECRETUM

Quo in Urbe damnatur liber " La question biblique au XX siè-cle par A. Houtin,,.

Cum Nobis constet de consilio proxime evulgandi in hac Urbe Roma librum cui titulus ***La question biblique au XX siè-cle*** par ***Albert Houtin,*** Paris, Libraire E. Nourry, 14 ***Rue N. D. De Lorette,*** *1906 ;*

Audita sententia aliquorum doctorum virorum, praedictum librum, auctoritate Nostra ordinaria, proscribimus atque pro-scriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae iurisdictioni subiecto librum proscriptum aut vendere aut le-gere vel retinere liceat sub culpa lethali (i).

Datum Romae, die 14 Maii 1906.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

L. «J* S. Franciscus Can. Faberi, ***Secretarius.***

(i) Ad rem meminisse iuvent decretum S. Congregationis Indicis editum Feria vi, die 6 **Decembris** 1895, **quod relatum habetur in** ***Actis S. Sedis,*** **vol. 3o, pag. 38**4 ***(N. R.).***

APPENDIX

MATRIMONIALIS - DE PAROCHO PROPRIO (I)

II.

An, et quibus de causis, expediat dictam iurisprudentiam moderare.

35. Non agitur, ut ex se liquet, de causa finali dictae moderationis, quae nullum alium potest habere scopum nisi ut, hinc sarta tecta servetur providissima lex Tridentina, illinc vero tutius ac plenius praecaveantur invaliditates connubiorum, advenarum scilicet qui contrahunt haud semel coram parocho loci, qui secundum hodiernam iurisprudentiam nullo modo vel insufficienter ipsorum est *proprius*. Agitur e contra de causis motivis, id est de rationibus quae talem immutationem seu moderationem, si non absolute necessariam, ad minus summopere opportunam esse evincunt.

Immutationes, probe scio, sedulo devitentur oportet. Verum huic obiectioni praeoccupativae, iam penes ipsum Tridentinum, et praecise quoad legem clandestinitatis, satisfactum fuit. His enim, qui contra propositum Schema gnaviter dimicabant, allegantes decretum istud quatenus irritativum reiiciendum fore, tamquam reprobabilem innovationem, replicavit *il Granatese* (id est Petrus Guerrero Granatensis Archiepiscopus), qui demonstravit non obstare « che ciò fosse nuovo. Se una tal obbiezione valesse, diceva, seguirebbe che niuna ordinazione di nuovo dovesse mai statuirsi ; il che troppo ripugna a quel che richiede la vicissitudine degli umani accidenti » *(Pallavicini,* lib. xxir, cap. 4, n. 9). Coeterum non omnis immutatio censeri debet perturbatio. Si perfecerit et ampliaveris, mutavisti quidem sed nullatenus perturbavisti. Potissima ergo, ne dixerim unica, difficultas erit in seligendis huius perfectivae immutationis seu moderationis conditionibus, ut in paragrafo III innuetur.

Pluribus e rationibus quae iurisprudentiae moderationem suadent, eas tantum (ne vere nimius fiam et intolerabilis) sapientissimis Patrum Emorum deliberationibus submittam quae cardinem quaestionis, meo tenui iudicio, propinquius attingunt.

36. *Prima* desumitur ex ipsamet indole matrimonii, nempe: matrimonium est, in Ecclesia sancta Dei, factum externum, publicum ac iuridicum quo scilicet christifideles assumunt statum coniugatorum; participesque fiunt gratiarum sacramentalium dicto statui propriarum. Age

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 244. et 3o5.

vero, secundum hodiernam iurisprudentiam, factum istud externum, publicum, legale saepissime solidatur in ultima analysi super existentia animi commorandi, id est super facto mere interno, secreto ac legibus humanis prorsus impervio ; item ex adverso deficit factum istud (externum ac publicum) propter inexistentiam praefati animi; nam matrimonium importat consensum; consensus parochum proprium ; parochus proprius quasi-domicilium (de illo agitur); quasi-domicilium *intentionem* commorandi, per sex menses videlicet ut supra dictum est, ultimatim factum mere internum et secretum. Et in hoc incohaerentia, ni fallor, non modica nec innoxia quoad tres vel quatuor e quinque partibus quae per orbem terrarum legi proprii parochi subduntur. In aliis sacramentis requiritur utique intentio suscipiendi, quae in ipsomet susceptionis actu sufficienter hoc illove modo exprimitur; in solo sacramento matrimonii, praeter intentionem (per mutuum consensum expresse prolatam), qua fit sacramentum, requiritur insuper (iuxta legislationem nunc vigentem) alia quaedam intentio subsidiaria, nempe intentio commorandi qua sacramentum fit validum, sine qua invalidum permanet: unde creberrime validitas aut invaliditas istius sacramenti non ex materia, neque ex forma, uno verbo non ex proprio et *intrinseco esse sacramentali,* sed ex aliquo mere extrinseco, quod insuper ad forum mere internum pertinet, desumitur !

37. Sed, inquis indignabunde, argumentum istud, si quid probaret, etiam contra domicilium aeque urgeret ; et ideo non solum iurisprudentia de quasi-domicilio, sed etiam tota legislatio Tridentina contra clandestinitatem pessumdari deberet.

Gravis certe pronaque obiectio ; sed etiam perfacilis, ut reor, confutatio. Sane domicilium acquisitum (praetermisso domicilio origine aut canonibus praestabilito quo fruuntur quamplures nupturientes, praesertim sponsae) requirit, non aliter ac quasi-domicilium, intentionem seu animum commorandi; sed in acquisitione domicilii animus iste, absque ulla quacumque declaratione, factis externis, patentibus, perspicuis conclamatur, adeo ut in propatulo sit non solum factum commorationis sed etiam animus ibidem perpetuo vel indefinite commorandi : si v. g. Romam advenio, iudex aut officialis militaris, aut stationis viae ferratae director renuntiatus; si villam emo cum praediis excolendis, aut opifícíüm industriale negotiationisve domum aperio etc., certa fit eo ipso sufficienterque comprobatur intentio sedem meam ibi vel in perpetuum vel indefinite statuendi, mihique postea onus incumbet adaequate demonstrandi defuisse animum, quem adfuisse, velim nolim, ipsae circumstantiae factaque luculenter evincunt.

Atvero longe aliter pro quasi-domicilio; sicut commoratio quasi-domiciliaris de se nonnisi precaria est ac transitoria, ita precariae sunt et inconsistentes omnes circumstantiae *de facto*, quibus praeter declarationem inferri potest animus commorandi. Parisios v. g. seu melius Berolinum confluunt, ut refert Emus Kopp, e diversis Germaniae regionibus homines qui, si res fauste contingant, ibi sedem figent, secus secedent. Undenam desumi poterit animus commorandi? Forte ex supellectili quam post se trahunt? At saepe saepius homunciones huiusmodi, v. g. murarii, gypsoplastae, baiulatores, agasones et famuli nec non sartrices et abrae etc. etc., nihil prorsus secum habent nisi quaedam (et non semper) laboritii utensilia: non domicilium vel quasi quaerunt sed laboritium; et ibi sedem statuere intendunt ubi et quamdiu opus suum durante hyemali vernaque periodo locare poterunt, ad lares paternos tempore messis aut vindemiae reversuri.

Et interim degunt Parisios aut Berolinum aut Mediolanum etc., partim in hanc partim in istam paroeciam, duo vel tria quasi-domicilia, pro laboritii mutationibus, successive acquirunt et amittunt. Quodsi sese praebuerit interdum occasio nubendi, quamplures parocho commorationis actualis declarabunt aut cavillose, aut inscie, vere intentionem adfuisse in paroecia per sex vel septem menses habitandi, quum reapse in ista determinata paroecia non sint nisi a paucis diebus, et paucos post alios dies alibi secedere iam statuerint. Et hinc parochus non proprius et matrimonia non valida! Ad rem Concilium plenarium Amer. Lat.: « Argumenta, queis de praedicto nupturientium animo constare possit, nonnunquam praesto minime sunt. Ad indicia tunc recurrendum est: *quae res est deceptionum periculis plena* » (n. 956).

Audiatur etiam saepecitata Instructio S. O. ad Episcopos Angliae et Amer. foed.: « In re autem occulta et interna difficile est huiusmodi indicia habere quae iudicem securum faciant ». Sed si iudex securus fieri debet quoad matrimonii *contracti* validitatem aut invaliditatem edicendam, parochus ipse securus esse debet ne matrimonii *contrahendi* validitas periclitetur: et securus,fiet, amabo, per indicia quae in re occulta et interna *difficile habentur;* in re, inquam, *deceptionum periculis plena?* Quaestio igitur ad hosce reducitur terminos:

Animus commorandi per maiorem anni partem est quid essentiale ac potissimum in acquisitione quasi-domicilii; de isto animo proinde constare debet, sive per declarationem quae non imponitur nec regulatur a iure hucusque constituto, sive per indicia quae, in re occulta et interna, semper difficilia et saepe saepius inconcludentia dignoscuntur, e quibus ultimatim habebitur, si tamen habeatur, mera quaedam praesumptio qua-

si-domicilii sufficienter adepti. Et häec, Patres Eminentissimi, saepe saepius basis est unica, qua solidari debet sanctum et indissolubile sacramentum !

Compendiatim : domicilium et quasi-dom. conveniunt in hoc quod! utrumque factum et animum requirit, et inde confert ad contrahendum* iuridicam habilitatem; disconveniunt autem in hoc (et quidem sustantiali) quod in domicilio manifestatur animus per facta externa,, patenti* et ut plurimum irrefragabilia; dum in quasi-domicilio idem animus innuitur tantum per verba quae volant aut indicia quae volitant. Quare,, sicut superius animadversum est (n. 17) quasi-domicilium non posse-considerari tanquam logicam ex intrinsecis ipsius domicilii evolutionem, sed tanquam positivam ab extrinseco determinationem, ad *parochialitatis* adeptionem sufficientem ; ita nunc concludendum videtur disparia, longe: disparia esse, domicilium et quasi-domicilium quantum ad animi practicam determinationem : ideoque obiectio supra relata, nedum infirmer argumentum de labili fundamento canonico quasi-domicilii et consequenter validitatis plurium matrimoniorum, illud potius confirmat.

38. Sed, subsumi potest, ex facto commorationis in paroecia necnon ex debita animi exploratione cum indiciis necessario comitantibus, nonageties novies de centum resultat non solum probabilitas sed etiam certitudo moralis de quasi-domicilio sufficienter aut insufficienter adepto r vanum est igitur, aut saltem valde inflatum, periculum frequentis invaliditatis in matrimoniis quasi-domiciliatorum.

Respondeo: i°. per ipsamet verba Emi Oratoris supratranscripta r « Cum facile inquisitio de animo permanendi *omittatur,* neque nupturientes sponte ullum hac de re verbum dicant... ». Ast, inquis, interrogari debent! Optime dictum: certe non laudo parochos praetermittentes interrogationem seu explorationem ; sed in factis esse video, teste Emo-Kopp cum hac Sacra Congregatione in plurimis suis Resolutionibus,, quod reapse omittitur. Coeterum nupturientes, si formiter interrogarentur a parochis, saepissime responsionem sat concludentem respectu domicilii, sed indecisam et flaccidam respectu quasi-domicilii dare possentr « Demandez en effet à un Parisien (aut à un Berlinois, etc.) s'il a l'intention de rester définitivement à Paris, il vous répondra qu'à moins de circonstances imprévues, il entend bien y demeurer toujours ». Et haec voluntas perpetuo manendi sufficit, ut patet, pro domicilio sufficienter acquirendo tum in paroecia qua nunc degit, tum in alia qua proximo mense forte deget. Ast « demandez-lui s'il veut rester toujours dans le même appartement, dans la,même paroisse; il se montrera, en règle; générale, infiniment moins affirmatif; il ne lui faut qu'une raison biea

légère pour changer d'appartement, de rue et même de quartier. Il veut se rapprocher de son travail, de son bureau, de sa maison de commerce; il cherche un appartement moins cher ou mieux situé et cent autres raisons semblables... ». *(Boudinhon,* Quelques Rèflex, sur le domic. et le quasi-dom. - *Le Canoniste,* vol. xxn, p. 211). Hae vero mutationes, si cum diversis domiciliis successive acquisitis sunt ut plurimum compatibiles, cum quasi-domicilio, prout in hodierna legislatione praefinitur, saepe saepius erunt prorsus- incompatibiles, ut superius adnotatum est.

Et hinc 2°. legislatio matrimonialis non solum ea, quae fieri debent, statuat oportet (et hucusque nihil, quod sciam, statutum est circa voluntatis commorandi explorationem), sed etiam ea quae iuxta contingentas humanas negliguntur aut posthabentur, sedulo quantum fas erit praevidere ac devitare debet, ne tantoties invalide contrahantur matrimonia.

39. *Secunda* ratio desumi posse videtur ex ipsis inter auctores hac de re dissensionibus, quas idcirco paulo supra fuse specificandas autumavi. Sane plura'nunc in tuto compertoque ponuntur circa parochum proprium respectu matrimonii (et generalius circa Tridentinum decretum) quae prius incerta controversaque remanebant. Attamen non sufficit, meo tenui sensu, varias congerere SS. CC. RR. decisiones et resolutiones, ut dein ex illis inferatur quod haec illave sententia non amplius sit probabilis sed potius improbabilis et obsoleta; quia praecise dissensio versatur haud semel circa genuinam harum resolutionum seu decisionum exegesim et ambitum.

In exemplum : nota certe fuit Instructio S. O. anni 1867 praeclaris theologis et canonistis qui saltem post annum 1884 hac de re scripserunt aut scripta sua reediderunt (ut supra n. 22, sub litt. C, D, E), quique profecto suam abiecissent sententiam, si tantisper suspicati fuissent eam ab Instructione explicite vel implicite reprobari. Nulla perdurat amplius dissensio, v. g. de duplici Tridentinae legis indole, videlicet locali simul et personali, quia alia S. O. Instructio (14 Decembris 1859) duplicem illam efficaciam seu comprehensionem, id est in territorium et personas clare et asseveranter adsignat. Item nemo dubitat amplius quod parochus quasi-domicilii sit proprius (si non in littera saltem in mente Tridentini), et haec evolutio legis de clandestinitate iam fauste et irrefragabiliter stat inconcussa. Sed a contrario saepe dubitatur etiam nunc utrum parochus *ille* sit sufficienter proprius, quia saepe dubia, valde dubia videtur acquisitio quasi-domicilii sufficiens ; et acquisitio vicissim dubia remanet, quia prout iam animadversum est non satis fixae et perspicuae

sunt nec in omnibus dioecesibus conformes, nec praesentium temporum exigentiis satis accommodantur, paucae conditiones illae, quae de quasi-domicilio canonice adipiscendo documentis in authenticis reperiuntur. Rectius forte dixissem in *documento authentico,* quia praeter Instructionem S. O. an. 1867 ad Episc. Angliae et Amer. Sept. saepelaudatam nullum aliud, ni fallor, - invenire est, quo ius hac de re statuatur vel auctoritative declaretur. Age vero dicta Instructio : *primo* non est universalis sed particularis, id est Episcopis Angliae tantum et Americae directa; *secundo* quemdam peculiarem nupturientium coetum respicit, eos nempe qui a loco subdito ad locum non subditum transeunt; *tertio* matrimonia contemplatur contracta, non vero directe saltem contrahenda; *quarto* criterium specificat quo praesumi possit sufficienter adquisitum fuisse in dictis locis quasi-domicilium, quin normae benedictinae quodpiam superaddàt; *quinto* (et illud in praesenti themate nostro maioris est momenti) conditionem essentialem adquirendi quasi-domicilii delineat (id est... : cum intentione manendi per maiorem anni partem), quin praecludat aditum dissonis commentariis circa dictam maioritatem aut circa factum perdurantis commorationis, quin etiam indicia specificet practica quibus animus habitandi recte ac tute praesumi valeat. Talem iurisprudentiam seu legislationem nunc longe perfectiorem quam ante Bened. XIV ac praecisiorem lubentissime profiteor; nihilo tamen minus irreverentiae nequaquam insimulandus videtur qui censeat eam adhucdum deficientem, intricatam in praxi proindeque perfectibilem ac perficiendam. Nec afferantur in medium resolutiones SS. *CC.,* quae secundum hodiernam legislationem validum aut invalidum edixerunt tale taleve matrimonium ; siquidem sententiae iudiciales *ius constitutum* illudque tantum sequuntur ac sequi debent; nullatenus autem de *iure constituendo,* de quo nunc agitur, praeiudicant nec praeiudicare valent.

40. Legislationem praefatam esse moderandam (et haec *es%Jertia* rar tio) censuere quamplures Concilii Vaticani Patres. Inter Postulata, quaedam leguntur in quibus proponitur vel petitur mutatio tum generice circa impedimenta, tum peculiarius circa clandestinitatem.

Sic complures Germaniae Episcopi : «... Hodierno autem tempore, quo iam plurimis locis matrimonium, quod vocant civile, per leges civiles praescriptum est, atque impedimenta canonica *formaque a Conc. Trid. pro matrimonio contrahendo praescripta,* per easdem leges civiles non amplius agnoscuntur, plurima connubia ubique fere contrahuntur, quae ex iure canonico nulla sunt censenda, et exinde peccata... », etc.

«Praeterea commercium hominum atque nationum etiam maxime inter se dissitarum, necnon *domicilii sive commorationis immutatio* fre-

quentissima, quae moderno tempore ubique fere pristinae immobilitatis et stabilitatis locum obtinuerunt, impedimentorum matrimonii indagationem valde difficilem eorumque imminutionem valde necessariam reddant... ». *{Collect. Lacensis,* Gol. 873, vol. VII, Conc. Vatic).

41. Item in Postulatis complurium Galliae Episcoporum legitur: *« De modificando clandestinitatis impedimento.* Si hoc impedimentum dirimens servandum iudicetur, saltem ita attemperetur conditio, quae exigit sub poena nullitatis praesentiam *proprii* sacerdotis exclusive ad alium, ut in posterum gravissimi huius contractus et sacramenti validitas non dependeat ex tam facilibus erroribus, qui circa quaestiones *domicilii* ac consequenter circa qualitatem *proprii sacerdotis,* oriri et subrepere possunt: unde fit ut multa matrimonia, etiam in facie Ecclesiae contracta, nulla sint. Sufficiat ergo exigere sub peccati et censurae poena non autem cum matrimonii irritatione, ut nullus sacerdos nisi *proprius,* aut ab eo delegatus, matrimonium praesumat celebrare » *(Collect. Lacen.,* vol. vii, col. 842).

Praetermissa singularitate talis postulati (de quo- infra) negari non potest nunc, sicut et tunc, errores esse faciles ac etiam faciliores propter frequentiores domicilii mutationes, quibus validitas plurium matrimoniorum in discrimen adducitur.

42. Hisce Postulatis accedunt animadversiones nuperorum auctorum qui legislationis matrimonialis in hoc istove puncto moderationem exoptant. Inter eos quidam heic citantur qui dictam legislationem oculatissime perpenderunt:

Feiie: « Coeterum, valde optandum foret ut magis specifica determinatione obstaculum poni posset coniunctionibus, quae in dispendium animarum et familiarum a iuvenibus, e loco ubi viget impedimentum clandestinitatis, cum muliere discedentibus in loco ubi illud non viget post brevem ibi moram contrahuntur, et de quarum validitate vel invaliditate quaestio deinde oritur ». *(De Imped. et Dispens, matrim.,* n. 228, edit. iv. pag. 147). Si non plene similis saltem assimilabilis est conditio etiam nupturientium, qui in locis subditis quidem sed nondum acquisito domicilio vel quasi-domicilio inaniter contrahunt.

Wernz reiicit, et quidem meritissime secundum ius constitutum, quasi-domicilium dioecesanum aut urbanum, sed tamen discrete adiungit : « Num Ecclesia velit et prudenter possit mutare suum ius constitutum, est quaestio de *lege ferenda* ». Sufficeret in casu, prout infra dicetur, paulo amplior circa legem latam auctoritativa interpretatio. Et iterum : « Non paucae disceptationes iudiciales de domicilio in *una* ex compluribus parochiis eiusdem civitatis nullum habuissent scopum et serium du-

bium, si intentio generalis manendi perpetuo vel per maiorem anni partem in civitate, ad constituendum verum vel quasi-domicilium in hac vel illa. determinata parochia sufficeret ». *(Votum* in una Parisien. 1898, n. 13, et 1.5).

Item, egregius I. *De Becker* (De sponsal. et matrim.), memoratis in genere Postulatis Conc. Vat. de quibus supra, scitissime ait:'« Sane differendum non est graves diversis in regionibus oboriri difficultates in applicanda legislatione Tridentina prouti ante tria saecula fuit promulgata » (pag. 89, ed. II). Rectius certe diceretur difficultates oriri ex posterioribus circa legem Tridentinam interpretationibus. Et speciatim de quasi-domicilii controversiis, quas iure merito retinet exsolvendas iuxta legislationem vigentem non autem iuxta plus minusve singulares auctorum exégèses, superaddit: « Unde, quamvis cuique liceat modeste exprimere *votum de modificatione afferenda legislationi communi circa quasi-domicilium,* nefas est partes assumere legislatoris et indubias conclusiones in dubium adhuc revocare » (pag. 95). Rev. Boudinhon in commentariis praecitatis *(Sur le dómic. et le quasi-domicile)* vigentem legislationem applicat quibusdam casibus (speculativis) matrimonialibus in civitate Parisiensi, eosque rectissime resolvit pro validitate vel invaliditate propter quasi-domicilium sufficienter vel insufficienter adeptum; deinde: « Il est dur, subiungit, d'avoir à conclure ainsi (id est pro invaliditate) ; mais jé ne vois pas possibilité d'échapper à la rigueur de la jurisprudence. Il ne m' appartient pas de suggérer une modification à la loi ; mais on ne verra, je l'espère, aucune intention malveillante de ma part, si *je constate qu'une modification s'impose;* car des conséquences aussi extrêmes, aussi gênantes pour les mariages à contracter, ne peuvent que rendre fréquentes les nullités de mariage, ce que 1* Eglise ne saurait se proposer. Ajoutez à cela que ces nullités, conséquences de faits aussi insignifiants en apparence que l'habitation d'un côté ou de l'autre d'une rue, sont très difficilement comprises par les fidèles et leur causent un véritable scandale. Je ne mentionne que pour mémoire les anxiétés de Tofficialité et des premiers vicaires (in Parisiis, uniuscuiusque paroeciae sic dictus primus Vicarius matrimoniis contrahendis deputatur), placés en face d'inextricables complications et ne pouvant pas toujours obtenir des indications exactes ». (Le *Canon. Cont.,* vol. xxn, an. 1899, p. 282).

43. Quinimo legislationem speciatim de quasi-domicilio perfectibilem esse ac perficiendam satis aperte innuitur in ipsissima, de qua saepe dictum est, Instructione S. O., non quidem in prima parte, quae sola fuit inserta penes *Collectan. S. C. de P. F.* (et superius fere ex integro in-

seritur), sed in secunda (quam quidam referunt auctores, y. g. Zitelli, *De dispensation. matrimon.,* **Appendix iv tum in i tum in** 2 **edit.). Cardinales Inquisitores Generales inter alia mandant Episcopis destinatariis ut délibèrent circa modum opportuniorem praecavendi simulationes nupturientium qui fraudulenter transeuntes ibidem fictum effutiebant sibi quasi-domicilium et invalide contrahebant. Atvero, si quaeritandi sunt modi falsa quasi-domicilia praecavendi respectu sic transeuntium, eaedem pariter cautiones haud abs re certe forent respectu eorum qui intra loca Tridentinae subdita, de una v. g. transeunt ad aliam paroeciam, ibique domicilio vero vel quasi nondum acquisito pariter invalide, etsi forsan bona fide, contrahunt.**

44. **Indirecta quidem, non tamen infirma,** *quarta* **ratio, quae desumitur ex facto scilicet ex consuetudine, pluribus in provinciis ecclesiasticis vigenti, cuius virtute genuinae legislationi de quasi-domicilio iure vel iniurie iam in praxi derogatum est. Re vera plures in Collectione Lacensi reperire est provinciales synodos quae conditiones quasi-domicilii seu** *parochialitatis* **adipiscendae statuunt, a conditionibus iuris constituti supramemoratis haud parum diversas. Quasdam tantum afferò iuxta chronologicum ordinem: Syn. Prov. Rhemen, an.** 1849 **(revisa per S. C. Conc.) de parocho proprio statuit: « Est autem parochus proprius is cuius in paroecia vir aut mulier habet domicilium aut residentiam** *habitationemve sex mensium* **». Et explicitius: « Ad vitanda de sponsorum domicilio dubia statuimus ut ad matrimonii celebrationem** *requiratur et sufficiat residentia sex mensium;* **ita ut modo vir aut mulier** *a sex mensibus resideat* **in uno loco, coram huius** loci **parocho matrimonium contrahere possit, ex quacumque dioecesi venerint contracturi ». Ne vero supponi possit residentiam illam sex mensium intelligendam esse tantum de his qui forte domicilium suum definitive dereliquerunt, additur: « Volumus insuper ut ipsi qui praedictam habent residentiam ubi loci nunc versantur,** *serpent ius contrahendi* **coram parocho loci, ubi suum retinuerint domicilium, sive minores sint sive maiores ». Et cohaerenter cum hisce statutis bannorum publicationes fieri debent « in paroecia ex qua veniunt (nupturientes),** *nisi* **habeant domicilium sex mensium in paroecia in qua versantur ».** *(Collect. Lacen.,* **vol. iv, col.** 126-127),

Syn. Rothomagen, an. i85o (rite revisa) plene consonat: « Illi, qui domicilium retinentes in quadam parochia, in altera ad tempus resident, possunt matrimonium contrahere sive coram parocho domicilii, sive coram parocho loci in quo residentiam habent, si tamen spatio saltem sex mensium ibi iam commorati fuerint ». *(Ibid.,* **col.** 531).

Syn. Senonen. i85o (rite revisa), quoad banna et parochialitatem propter commorationem sex mensium, iisdem fere verbis ac in supracitata Rhemensi.

Syn. Albien. i85o nihil directe, sed tantum de bannis, ut in praecedenti.

Syn. Bituricén. i85o (rite revisa) incunctanter edicit: « *Proprius* parochus quoad matrimonium est: i.° parochus domicilii; 2.° parochus quasi-domicilii...; 3.° parochus simplicis habitationis, dummodo contrahens *unum saltem mensem* in paroecia commoratus fuerit ». Heic de *vagis* quaestionem non esse satis infertur eo solo quod vagi nullatenus nominentur; et secundo praeviam habitationem per unum mensem requiri, pro vagis coniungendis a nullo iure, ni fallor, statuitur. Quoad bannorum publicationes, ut in praecedentibus. *(Ibid.,* col. 1118-1119).

Syn. Auscitana 1851 (rite revisa) pariter admittit parochum *proprium* domicilii et quasi-domicilii quod confundere videtur cum parocho simplicis habitationis post unum mensem : « sive domicilii, sive quasi-domicilii *seu* simplicis habitationis, modo ista per mensem integrum perseveraverit » *(Ibid.,* col. 1191); ibique, in nota marginali io, ad rem invocatur praelaudata Benedictina *Paucis abhinc,* perinde ac si dicta Benedictina statuat quasi-domicilium sufficienter acquiri per solam habitationem mensilem. Plures aliae Synodi eamdem interpretationem de plano invehunt. Et hinc est quod superius (n. 26) innuerim quosdam auctores durius forsan damnare interpretationem Benedictinae, quam (etsi satis arbitrariam) Sacra Congregatio Concilii dictas Synodos revisens minime damnavit, nec corrigendam edixit (i). His addi possent pro Gallia quamplura Statuta dioecesana, v. g. *Cameracensia* (pag. 175, n. 193) in quibus expresse: « Illi, qui domicilium retinentes in quadam paroecia, in altera.... possunt contrahere.... coram parocho loci in quo residentiam habent, si tamen spatio saltem unius mensis ibi iam commorati fuerint » ; *Nannetensia:* « ... Par domicile actuel, on entend ici le domicile proprement dit, le quasi-domicile *et même* la simple habitation, si elle dure depuis plus d'un mois », etc. etc.

Synod. Quebecen. II. 1854 (rite revisa) banna statuit publicanda esse in paroecia ex qua veniunt nupturientes, nisi per sex menses, etc., ut in praecedentibus. *(Coli. Lacen.,* vol. in, col. 648).

(i) Caeterae Synodi Provinciales Galliarum (dum Synodos celebrare non pertimescebant Episcopi) v. g. Parisien., Avenionen., Turonen., Tolosan., Lugdun., Aquen., Burdigalenses quatuor, aut nihil habent, aut legem Tridentinam servandam generice commendant.

Syn. Ultraiecten. 1865, ut in praecedenti. (Ibid., vol. v, col. 839).

Syn. Smyrnen. 1869 in Actis, per modum Appendicis, inserit textum Angeli Lucidi (De Visit. sacr. Lim., vol. in, in fine) qui summarie dicit quaestiones de quasi-domicilio matrimoniali resolvendas esse praesertim iuxta Benedictum XIV in Instructione 33 saepedicta, et *Paucis abhinc.*

Conventus Episcopor. Austriae an. 1856, unde celebris illa Instructio quae nuncupatur *Austriaca.* Ibi nova videtur induci, quamquam subobscure, conditio circa quasi-domicilium sufficienter adquirendum : « Si quis, extra locum domicilii veri, in aliis adhuc parochiis, domus ipsius usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi-domicilium habet ubi vel quovis anno per notabile tempus commorari solet vel tempore, quo locum sibi domicilium asserit, per *sex* ad minimum *septimanas* habitat ». *{Instr. Austr.,* n. 44 penes Collect. Lacen., vol. v, col. 293).

Tandem haud abs re est indultum recolere Foederatis Amer. Sept. Statibus concessum, necnon sic dictum privilegium Parisiense, de quibus supra.

45. Ex his autem omnibus attente collatis logice fluunt sequentes conclusiones, videlicet:

a) Plurimae sunt ecclesiasticae Provinciae, in quibus, respectu matrimoniorum ineundorum omittitur exploratio intentionis ad brevius longiusve tempus commorandi.

b) Plurimae pariter, in quibus per statutum sive explicitum sive implicitum (propter bannorum publicationem, ut supra notatur) commoratio de facto per semestre nupturienti parochialitatem et proinde parocho titulum *proprii* respectu matrimonii contrahendi de se confert.

c) Plures etiam sunt in quibus pârochialitas adnectitur effectivae commorationi per unum mensem aut per sex septimanas.

Agevero : haec omnia (praetermissis sedis Apostolicae concessionibus aut indultis) esse iuri constituto dissona, ne dixerim contraria, meritissime conclamarent canonistae. Quis autem eorum autumaret praxim in istis Provinciis a dimidio iam saeculo et ultra vigentem abolendam esse, aut matrimoniorum sic initorum validitatem ediceret esse dubiam ? In dicta praxi, percipienda potius est necessaria quaedam accommodatio, qua parocho domicilii familiaris, maxime stabilis prout antiquitus erat, paulatim adiungi debuit (intuitu validitatis matrimoniorum) parochus addititii illius quasi-domicilii, quod ius canonicum prius oscitanter ac dein incunctanter invexit; postea vero parochus commorationis semestralis; denique parochus commorationis mensilis, qui pluribus iam in

Provinciis expresse *proprius* **dicitur, aut saltem parocho quasi-domicilii aequiparatur.**

Quodsi in Provinciis, in quibus praelibata vigent Statuta, non paucae praecaventur practicae difficultates, quin matrimonia clandestinitatis impedimento videntur plusquam in aliis Provinciis, non amplius perspicitur qua de causa, quave ratione, eadem similiave temperamenta practica, Provinciis aliis, nociva vel tutandae coniugiorum validitati minus apta forent.

(Sequitur).

Fr. Pius a Langonio, O. M. C, *Consultor.*

Diarium Curiae Romanae

Sanctitas Sua litteris Secretariae Status nominavit:

i°. Rev. D. Aloysium Capotosti inter Magistros supranumerarios. Caeremoniarum Pontificiarum.

2°. Rmum P. Ioannem Hägen, S. I., Directorem Speculae Vaticanae.

3°. Rmum D. Iulium Malvezzi, canonicum Lateranensem, inter Praelatos Consultores pro examine relationum super ecclesiarum statu.

4°. **Emum et Rfñum D. Card. Vincentium Vannutelli in Praesidem honoris Comitatus Permanentis pro Eucharisticis conventibus.**

5°. Rmum D. Albertum Battendier et P. Iosephum Hauffmann, O. M., inter Consultores S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Occidentalis.

6". **Rfhum D. Umbertum Benigni in Pro-Secretarium S. C. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.**

7°. **Emum ac Rmum D. Card. Franciscum Desideratum Mathieu in Protectorem Sororum a S. Iosepho Bellicensium.**

8°. **Emum ac Rmum D. Card. Iosephum Calasanctium Vives y Tuto in Protectorem Ven. Archiconfraternitatis S.** Michaelis **Archangeli de Urbe.**

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Pii PP. X ad Praesidem conventus Sodalitatum Marialium ex Hispania et America.

DILECTO FILIO
BENEDICTO DE POMES EQUITI
PRAESIDI CONVENTUS SODALITATUM MARIALIUM
EX HISPANIA ET AMERICA

BARCINONEM.

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Barcinonem conventuris propemodum ex Hispania et America filiis ad solemnem habendum coetum Sodalitatum Marialium, Noster iucundissime fertur animus non ad expectationem modo, quam positam in eorum consiliis fovemus, aperiendam, sed ad gratulationem quoque significandam. Placet enim praeeuntem coetui, qui Romae proxime cogetur, celebrari istic honori Deiparae Immaculatae congressum, in quo, apud nobiles Hispaniae et Americae gentes, religionis provehantur commoda, Marialium Sodalitatum amplificetur decus, earumque incrementis rerum apte consulatur, quae ad instaurandam, christiane vitam et ad popularem catholici nominis actionem commendandam conducant. Nobis certe dubium non est plurimum vos utilitatis ex hac tali congressione laturos; cuius quidem referendi copiose fructus non solum Nobis spes firma affulget ex propositi consiliique vestri gravitate, aut e vestri sollertia operis, sed ex illibata quoque voluntate ac fide, qua, Ignatii Loiolaei symbolum secuti, maiorem in dies gloriam Supremo Numini quaeritis. Benignissimum propterea Deum eiusque magnam sine labe Matrem, uti studia laboresque coetus fortunent, adprecamur, testemque animi Nostri

tibi et omnibus, qui e conventu erunt, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Nov. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex laudat Sodalitatem Filiarum Fidei, observantiae sacrorum officiorum suadendae.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
ELISAE O' BRIEN LUMMIS
SOCIETATIS FILIARUM FIDEI MODERATRICI
NEO-EBORACUM.

PIUS PP. x

Dilecta in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae de istius Societatis a te institutae rationibus, deque optimis ex ea perceptis fructibus significasti, Nos quidem cum suavi consolationis sensu cognovimus. Sane non possumus quin valde laetemur, quum videmus probatissimas foeminas, nominatim quae vel gratia, vel facultatibus, vel commendatione nominis plurimum in civitate valeant, consociatas inter se ob eam causam, ut, maxime in suo ipsarum ordine, laus christianorum morum reviviscat integra; easque, pro viribus opibusque suis, obniti contra invalescentem hodie ***naturalismum,*** qui, deliciarum voluptatumque amorem spirans, mollit atque enervat animos, sensimque officiorum vel sanctissimorum in ipsis catholicis conscientiam delet. De quibus officiis haec praecipue memoramus: prohibere a matrimonio christiano divortiorum labem ac dedecus; institutioni liberorum intra domesticos parietes atque in litterariis ludis recte consulere ; illas cohibere convictus humani pestes, probrosam spectaculorum licentiam, librorum obscenitatem, colloquiorum

ac coetuum mollitiem futilem, inverecundam in ornatu cultuque corporis luxuriam. — Itaque quod opus tu, dilecta in Christo filia, non sine caelesti consilio auspicioque inivisti, quodque, probante dioecesis Antistite, persequuta adhuc es, id ipsum volumus ut posthac, praesidio auctoritatis Nostrae freta, pergas animosior. Simul confidimus fore, ut tuis tuarumque sociarum exemplis excitatae, multo plures inducant animum instituto vestro dare nomen ; ac pia ista Societas, te duce, ad alias quoque dioeceses diffundatur, atque etiam viris catholicis incitamento sit ut, simili pacto inter se coeuntes, ad simile propositum contendant. Interea divinorum munerum auspicem, ac paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecta in Christo filia, Societati tuae universae, iisque omnibus, qui eandem quoquo modo iuverint, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxn Novembris, festo S. Caeciliae Virginis Martyris, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X laudibus ornat editorem Bullarii Gregorii XVI.

DILECTO FILIO
ANTONIO MARIAE BERNASCONI
CATHEDRALIS TEMPLI SABINENSIS CANONICO POENITENTIARIO.

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nobile profecto munus Nostroque humane dicatum nomini, versatur Nobis ob oculos quartum, quod de Actis Gregorii XVI Decessoris Nostri, emisisti volumen. Recens vero est, mense quippe Novembri superioris anni in id habuisti

apud Nos admissionem, ex quo prioribus tribus eiusdem scripti voluminibus laudem Nostram tribuimus. Nunc autem, vix brevi post, corona feliciter totius operis prodit, mirum quanta cum probatione doctorum, eorum in primis, qui historiae sunt dediti. Nam, quae Romanorum Pontificum congesta Bullaria extant, unius Gregorii XVI documenta desiderabant, cui quidem devexata illa nec brevia tempora maximi negotia ponderis iussere credi, non alio certe administranda atque expedienda subsidio, quam eius firmitate prudentiaque animi. Quod si curarum plurimum, annorum spatio duodecim, sollerti tibi industrioque viro haec studia fecerunt, illud liceat ad laetitiam recolere, magnum quidquam aut illustre aut cum singulari nominis decore sociatum, nisi gravi comitante opera, non perfici. Esse tamen abunde existimamus, unde suscepti memoriam laboris iucunditati vertas et gaudio, si quidem et ob expletam provectamque gestarum rerum historiam, et ob praestitam Apostolicae Sedi operam, et ob comparata carissimae Venetorum Regioni monumenta gloriae domesticae, praeclare meruisti. Praemium vero, illudque ingenio consentaneum alacritatique tuae, non esse a Deo defuturum certo confidimus, a quo meriti de Religione ac de Pontificatu fideles non vacui a mercede aliquando erunt. Nostro interea laetare eodemque publice ad honorem delato testimonio laudis, testemque Nostrae erga te voluntatis, Apostolicam benedictionem excipias, quam tibi studiisque tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxni Nov. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X laetissima nuncupandis vota pro solemnibus saecularibus ecclesiae Cathedralis Baltimorensis.

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TITULI S. MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESB. CARD. GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIUM
BALTIMORAM.

PIUS PP. X

Dilecie Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum centum ante annos primus Baltimorensium Archiepiscopus primum statuebat lapidem aedi isti Cathedrali aedificandae, lapidem enimvero locasse dicendus est, quo super, in fastigium et in gloriam, deberet America sacra consurgere. Nam sive ad efHorescentem eorum propaginem intendamus animum, qui aucti sacerdotio sunt aut Episcopi consecrati, sive coacta apud vos ad haec usque tempora concilia cogitemus, sive habita istic splendidissima quaeque sollemnia recolamus, haec videmus omnia in Cathedrali Baltimorensi templo nativum quasi locum fortunate reperisse. Fortunate, dicimus, et cum omine meliorum quotidie rerum ; quarum quidem argumento sunt et prolata apud gentem vestram hierarchia, et auctus catholicorum numerus, et tranquilla religionis conditio, et firma cum Romana Sede necessitudo, et solatia omne genus quae praebita cordi Nostro virtutibus vestris fuere. Quapropter plurima dignum commendatione consilium arbitramur agendi communibus laetitiis auspicatam praeclari facinoris memoriam. Harum vero celebritatem non equidem opus est enarrare quam libenti Nos animo, quantis cum votis partem capiamus. Nostis enim omnes quaecumque maxime valerent ad decus Religionis nostrae in Americano populo provehendum, ea Nos et praecipuo semper desiderio

quaesiisse, et velle nunc eodem ardenti studio complecti. Conplectimur autem idcirco cupidius, quia compertum exploratumque habemus responsuros fore vos invitationi Nostrae, una et eadem consensione voluntatum, si per opportunam hanc iucundamque tempestatem, eiusmodi impulsi sacrorum progressuum memoria, cohortentur Americanum populum ad maiora etiam quam usque adhuc comparandae rei catholicae incrementa. Id quidem instantissime facimus, eo vel magis quod non modo ad amplificandam Religionem, sed ad exaugenda etiam rei civilis commoda sciamus verba Nostra debere conducere. Vobis propterea universis, de sacris patrum memoras ac de fidei illustrandae gloria sollicitis, intimo ex corde gratulamur, laudemque vere meritam, et pro studio unde laetitias publicas paratis, et pro eo qui inde elucet habitu animorum, tribuimus. Tali sane animo vos esse demonstratis, qualem in catholicis omnibus valde expeteremus; tali nimirum, qui firmam fecundamque contineat futuri temporis spem. Pro vestrarum felicitate ecclesiarum, itemque pro sollemnium saecularium exitu laetissima nuncupamus vota, auspicemque coelestium munerum ac testem praegrandis dilectionis Nostrae Apostolicam benedictionem tibi, Episcopis, clero universoque populo Americae Septentrionalis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Martii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Breve solemnis Beatificationis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, parochi in oppido Genestario.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Euge serve bone et fidelis quia super pauca fuisti fidelis, supra w,ulta te constituant : intra in gaudium Domini tui. Quae verba evangelicus ille dominus peregre proficiscens loquutus erat servo bono et fideli, qui totidem atque acceperat talenta superlucratus erat, eodem ipsa iure meritoque attribuì possunt Stephano Bellesini parocho Genestano, cuius singulares virtutes resque praeclare gestas hodierno die commemorandas suscipimus. Quod quidem Nos eo libentius facimus quo magis opportunum et salutare scimus proponi exemplar non solum quibusque parochis vel etiam omnibus sacerdotibus in religiosas familias cooptatis qui in Bellesini vita et moribus habent non pauca quae facile possint imitari. Neque enim de homine agitur claritate generis vel bonorum amplitudine, vel ingenii doctrinaeque laudibus commendabili; sed de eo res est qui communem in coenobiis aut in parochiali aede vitam perpetuo traduxit, de homine simplici, non de alio studio sollicito nisi pauperum iuvandorum deque aeterna proximorum salute flagrante. Atqui talis vir extitit omnibus numeris absoluta perfectaque virtute, tanta in pauperes caritate est inflammatus, tam constanti patientique animo adversae valetudinis molestias pertulit, ut vere ille apparuerit *spectaculum factus mundo et angelis et hominibus.* Tridenti in oppido oecumenico concilio celeberrimo honestum iam ab avis et proavis locum obtinuit gens Bellesini, quae partum a maioribus decus studuit semper non tam amplitudine bonorum quam pietatis laude retinere. Ex*hac gente

exeunte anno MDCCLXXIV post duos fratres et unicam sororem quartus natus est Aloisius, Iosephus, Ioachimus, qui postea in solemni votorum nuncupationé in alterum nomen Stephani commutavit. Iosephus pater non ille quidem in fiorente fortuna publici Tabellam munus Tridenti in patria nitide exercuit. Mater pari genere Maria Ursula Meinchembek e suburbio Valsugana: ambo filiorum diligentissimi , qui facile nollent ab optima natura seiungi disciplinam. De prima Aloisii pueritia id constat nihil unquam pueriliter fecisse: nugas enim ineptiasque, quibus illa aetas plerumque maxime delectan solet, fastidivit, et supra aetatem saepius iam tum opportune quaerebat sanctum aliquod exemplar imitandum proponeret. Parentibus ita esse obsequens ut ex eorum nutu omnino penderet, periculosis coetibus et ludis abstinere; templorum cultor frequens sacris adstare concionibus, pias preces flexis genibus fundere ad modestiam sic compositus ut fratribus -suis et aequalibus exemplo esset. Quamobrem non mirum est si Tridentinus Curio, rogata prius optimae genitricis sententia, Aloisium peridoneum iudicaverit qui etiamsi aetate minusculus esset quam frater, cum eo tamen ad sacram Synaxim accederet. Quo facto incredibile fere est, quanto quam infiammato studio sese ad omnia pietatis opera contulerit quantaque contentione animo virtutibus excolendo se dederit. Quare Aloisium hunc prout alterum Aloisium Gonzaga populares sui susciperent et praedicarent, multaque et magna ex iis, quae tunc apparebant, praeludiis futurae sanctitatis vaticinarentur. Neque eorum spem fefellit eventus. Vix enim e pueris excesserat steteratque illi annus sextus supra decimum cum Dei quodam instinctu ad claustralem vitam sese sensit impelli. Erat eo tempore Tridenti coenobium quoddam S. Marci dictum Ordinis Eremitani S. Augustini, cui praeerat vir non communis prudentiae et sanctitatis, Fulgentius de Meinchembek germanus Mariae Ursulae matris Aloisii. Qui quidem in re tam gravi tantique momenti ne

temere quicquam aut inconsulto faceret mentem suam cum matre communicavit. Haec autem, nulla interposita mora, percontatum ivit fratrem remque omnem exponit et sententiam eius rogavit. Homo prudens et conscientiae nepotis non ignarus, post aliquod temporis spatium concepta a nepote suo vota a Deo esse clare perspiciens, eumdem in -sancto propositó confirmavit utque adhuc ignari genitoris assensum consequerentur ad parochum adiit, exoravitque ab eo ne gravaretur, Iosephi patris, apud quem ipse erat admodum gratiosus, animum flectere et patri filium conciliare. Pater qui possimus erat, et divinae voluntatis observantissimus, nuntio audito, primum obstupuit novitate, postea in memoriam revocans anteactam Aloisii vitam et singularem pietatem, non solum exoptatum assensum dedit et reclamitantis naturae voces oppressit, sed acquievit omnino voluntati Dei et prae gaudio lacrimans et animo gratias egit quod ex familiola sua Deus hostiam optavisset. Post aliquot dies avunculus ipse cum Bononiam proficisceretur, Aloisium recentem Eremitam iam tunica indutum, in Bononiae coenobium S. Iacobi Maioris secum adduxit, ubi ille tirocinium posuit alacritate tanta, quanta deinceps'eius sanctitas declaravit. Nam Eremitanae vitae studio, orationis amore, sui ipsius neglectu et abnegatione, agendi diligentia, obediendi celeritate, morum denique gravitate, candore, suavitate tirunculus ille tamquam veteranus miles caeteris omnibus praestitit. Exacto iam probationis anno, cum iam ita esset probatus, ut bene sperare de eo et confidere omnes praepositi possent, ad solemnem votorum nuncupationem Aloisium cunctis suffragiis admittendum decreverunt. Recens Eremita Stephanus philosophicis studiis operam daturus Romam missus est. Quum animum suum ditare studiis sacris, unde magnam sibi obventuram sperabat utilitatem proximis iuvandis, statuisset, tanto incubuit fervore ut magna cum laude Prodefendentis honorem adeptus sit. Res ita se habebant cursumque suum Stephanus tam bene

initum conficere statuerat, cum repente exorta est foeda illa atque atrox tempestas quae Europam fere totam iactare et pene absorbere visa est. Non solum enim in legitima imperia, sed in Romanum etiam Principatum, in ipsum Summum Pontificem Pium VI, qui per magnum dedecus exulatum abiit, saevitum est. Inter iniqua scita et nefaria privilegia quae nefastis illis diebus lata et promulgata sunt, prodiit illud etiam ut quisque vir religiosus peregre consistens terram repeteret natalem. Quapropter Stephanus emensus theologiae curriculum in coenobio Bononiensi, nondum sacerdotio initiatus in patriam remigrare coactus est, et" ad coenobium S. Marci rediit invitus. Illud etiam inauspicatum obtigit atque inopportunum, ut ad sacram ordinationem suscipiendam et a loci Ordinario ad eandem cum admitteretur, gravi correptus jmorbo domi suae cubaret. Verum cum par esset in Stephano atque in superioribus desiderium sacerdotii, vix a lectulo excitatus est, nondum firmata valetudine in Cathedralem invectus lectica est, et sacerdos evasit. Sacris sic admotus, apud se reputans non amplius se sui iuris, sed divinae maiestati perpetuo nexu obligatus enitendum esse sibi vigilantius ut aeterna proximorum salus et Dei gloria in maius proveheretur. At vero cum ad vitam recte instituendam plus intelligeret sacerdotum mores quam mera praecepta valere sancteque exemplo populum multo plus quam verbo tribuere, ita se impertire studuit, ut intuentium animos vel externo corporis habitu ad modestiam alliceret, provocaret. Saeviente interea procella, Stephanus de sempiterna proximorum salute nullo non tempore sollicitus, contra novos ludos litterarios, qui Normales vocabantur, domi suae magno animi ardore et ingenti caritate proprio sumptu et industria regendas nonnullas scholas aperuit, in quibus pueri puellaeque tenuioris nominatim plebis ad prima litteraturae elementa et ad christianae praecepta doctrinae erudirentur, remissa impensa. Quam quidem provinciam satis arduam et duram, quam ille

ob eximium iuvandorum animorum studium et fervorem in divina confidens providentia coeperat, quadriennium totum tenuit et invicta constantia sustentavit. In illas omne peculium, licet tenue, omne suum minerval, omnem suam, quam ex aere publico recipiebat, exiguam pensionem et quidquid a suis vel propinquis vel amicis vel liberalibus suis popularibus stipis corrogabat, libenter impendebat. Non semel in gravi annonae caritate sanctus vir visus est cum famulo panibus onusto scholas circumire et egentioribus discipulis propriis manibus dispensare panem, verba adiiciens quae charitatem ornant. Tandem tranquillatis Europae rebus et Pio VII Pontifice Maximo, Stephanus, cuius singulares virtutes eum apud superiores iam claraverant, Romam arcessitus est et Tironum Collegio, quod tunc in Generalitio S. Augustini de Urbe coenobio erat, regundo prudentibus Eremitis omnibus praeficitur. Ibi in huiusmodi prudentiae et vigilantiae officio velut speculum religiosae vitae praelucidum, in quo Ordinis candidati inspicerent, se impertivit, omnesque in eo admirati sunt patris benignitatem, fratris familiaritatem, servi officia, amici consilia, Angeli consolationem omniumque virtutum compendium. Quintum post annum ex quo Stephanus tanto suae vitae splendore et magno eorum, quibus praeerat, emolumento munus suae fidei commissum integre explebat naviterque, accidit ut Tirocinii Collegium ex illo coenobio auferretur et institueretur in alio Umbriae apud Civitatem Plebis. Ibi dum more modoque solito omnes explebat delati muneris partes non sine magna sua tironumque utilitate, factum est Dei providentis consilio ut ob sublimions etiam vitae et perfectionis amorem incenderet hominem desiderium absolutae vitae communis, prout ea quae proxima erat et quasi compendiaria a S. P. Augustino in Eremitana regula praescripta. Pari desiderio non solum tirones suos suscepit, sed ut eadem in aliquo Ordinis coenobio ubi exerceri posset instauraretur suppliciter Deo preces effundere non cessa-

ret. Occurrit benigne Deus in precibus eorum, et quod poscebant exaudivit et largitus est. Nam per id tempus Leone XII Pont. Max. prope celebre Sanctuarium Genestanum B. Mariae Virginis a Bono Consilio cum continens coenobium Eremitarum S. Augustini reficeretur, Moderator summus, eiusdem Ordinis Iosephus Maria Mistretta eiusmodi vitam restituendam curavit anno MDCCCXVI. Postquam inibi in hoc ipso ministerio aliud quadriennium exegerat, Sacrario illius Genestani B. Mariae Virginis a Bono Consilio delubri dirigendo a superioribus est applicitus et cum paucos post menses parochialis eiusdem templi Curia ob mortem parochi vacaverit, Stephanus Curio creatus est, approbante Praenestino Episcopo et eum confirmante. Tum quidem ampliorem atque uberiorem campum nactus est ubi eius industria magis elaboraret et ubi pietas eius et ingens animarum studium eluceret. Ac proinde nullum sane est onus quod Dei causa sibi recens parochus non suscipiendum existimet, nullum sacri muneris officium quod ille non naviter exequatur. Propterea de catholicae fidei veritatibus crebras ad populum habere conciones, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta, quibus nihil est humano generi salutarius, ministrare, visere domum aegrotos etsi magno saepe sui incommodo aut periculo; solari miseros, calamitosos opitulari, eosque consilio, opera aut re, prout poterat adiuvare. Facultatum atque opum in tuitionem sui tantum addixit, quantum superfuit egenorum. At ubi caritas Stephani maxime elucebat, erat in cura infirmorum: ubicumque enim audivisset homines aegrotare gravius, praesertim pauperes, celer, etiamsi gravi hernia laboraret, illuc Stephanus advolabat subsidium miseris duplicaturus solatur corporum et animorum. Magna quidem haec omnia, quae Stephanus pro insigni suo divinae gloriae studio et singulari in proximum caritate patrabat; non tamen nova sunt neque inusitata. Director enim scholarum in patria et magister tironum in claustris semper dederat praeclarae huius

virtutis testimonia, ita ut de eo dici possit quod de Xaverio dictum fuit ***quasi sidus matutinum praecipue resplenduerat caritas.*** Sed Deus voluit ut ille huius praeclarissimae virtutis praemium ferret et caritatis victima occumberet. Nam anno **MDCccxL** saeviente epidemia ataxicae febris, dum cum aliis confratribus ad chorum accedit, ita aliquibus **saxis in** medio prostantibus pedem inscius offendit. Procubuit et vulnus non leve tibia infracta suscepit. Cum tamen nonnullos infirmos pauperes visum iverit ipse hernia laborans et vulnere ataxicum morbum facile contraxit. Quare paucos post dies, compos mentis suae die festo Purificationis, hora quam ipse praedixerat placidissimo exitu animam efflavit. Magna cum iam esset virtutum commendatio tum post eius obitum aucta magis est ac latius diffusa. Quapropter fe. me. Leone XIII Decessore Nostro absolutis omnibus quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris ritibus praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus Venerabilis Stephanus Bellesini Ordinis Eremitarum S. Augustini, parochus in oppido Genestano, inclaruit easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen ipse Leo PP. XIII declaravit pridie Idus Maias anni MDCCCXCVI. Postea quaestio agitata est de miraculis quae Venerabili Stephano Bellesini deprecante a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, duo miracula vera et explorata sunt habita: ideoque Nos, ponderatis de utroque miraculo diligenti inquisitione instituta confectis Apostolicis tabulis, decretum edidimus octavo kalen. Iulias anno **MCMiv** de eorumdem miraculorum veritate atque ad ulteriora procedi concessimus. Illud supererai ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur num tuto procedi censerent ad Beatorum honores Venerabili Stephano Bellesini decernendos, et in generali conventu coram Nobis habito septimo kal. Augustas vertentis anni tum ii cum omnes qui aderant Consultores unanimi consensu tuto id fieri posse responderunt.

Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium nosceremus. Quo facto tandem decimo octavo kalend. Septembris huius anni aceito dilecto filio Aloisio S. R. E. Card. Tripepi S. Rituum Congregationi Pro-Praefecto, loco etiam Venerabilis Fratris Nostri Vincentii S. R. E. Card. Vannutelli Episcopi Praenestini Causae Relatoris, nec non Revñdo Dno Alexandro Verde Praesule S. Fidei Promotore, Eucharistico Sacro per Nos litato, sollemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini Ordinis Eremitarum S. Augustini Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universi Ordinis Eremitarum S. Augustini, auctoritate Nostra Apostolica ut idem Venerabilis Dei famulus Stephanus Bellesini Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur, decrevimus. Praeterea eadem auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesibus Tridentina et Praenestina templisque omnibus et oratoriis Ordinis Eremitarum S. Augustini ab omnibus christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus ad ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis n. 3862 ***Urbis et Orbis*** ix Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini in templis supra dictis celebrentur ad normam seu instructionem S. Rituum Congregationis die xvi Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando

cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario disignando postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationi hisce Uteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die i Novembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. «$* S. ALOIS. Card. MACCHI

EX SECRETARIA STATUS

Epistola ad Card. Kopp, circa doctrinam christianam tradendam.

Eme ac Rme Dñe mi Obme,

Communes litteras Episcoporum Borussiae, quibus pro Magnoducatu Hassiae Episcopus Moguntinus accessit, Beatissimus Pater accepit, eaque qua par erat diligentia perlegit. Iamvero iucundum Sanctitati Suae est idemque multae erga vos causa gratulationi, quod per receptas istic consuetudines et per piam sacerdotum optimorumque laicorum sedulitatem abunde satisfiat postulatis quorum mentio ac iussio in Encyclicis litteris ***Acerbo nimis*** habetur. Equidem si quid summopere Sanctitas Sua exoptabat ac praecipiebat, id erat procul dubio ut christiana catechesis omni ex parte et cum omnimoda fidelium utilitate traderetur. Quoniam vero haec tanta commoda iam sunt apud vos comparata ac provisa,

hisce certe contentus Beatissimus Pater est, qui ea omnia unde melius et opportunius praeceptis eius obsecundetur, conscientiae et iudicio vestris committit (i).

Dum Eminentiam Tuam ac Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem ceterosque in episcopatu Borussico et Hassiae collegas de eiusmodi Pontificis Summi mente certiores efficio, altissimae existimationis sensus tibi aperio ac manus tuas humillime deosculatus, permaneo.

Eminentiae Tuae,

humillimus et addictissimus vere famulus
R. Card. MERRY DEL VAL

Romae, die 21 Augusti 1905.

Commendatur Sodalitas Parisiensis, cui titulus " Opus a Catechismis „.

Ex Audientia SSmi, die 29 Novembris ic/oj.

Beatissimus Pater, libentissimo animo attendens florere in urbe Parisiensi egregiam Sodalitatem, cui nomen Opus a catechismis a s. m. Leone XIII, Decessore, probatam, et archiconfraternitatis titulo ac privilegiis ornatam, talemque Sodalitatem cohaerere intelligens cum sensu ac spiritu legis quartae litterarum Encyclicarum ***Acerbo nimis,*** archiconfraternitatem eadem laude et probatione Sua augere dignatus est, eamque in omnibus privilegiis ac iuribus ipsi antea collatis benigna voluntate confirmavit, ita quidem ut qui nomen

(i) Vi praescriptionum, quae in litteris Encyclicis *Acerbo nimis* diei 15 Aprilis iqo5 sub n. 4 continentur (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *"ij,* pag. 623), in omnibus et singulis paroeciis institui debent consociationes doctrinae christianae tradendae. In casu tamen, quum iis in locis alia iam extent catechismi opera, quae proprio muneri satisfacere valent, Pontifex concedit ut eadem conserventur, committens Episcopis Borussiae et Hassiae ea moderari iuxta S. Sedis praecepta *(N. R.).*

eidem Sodalitio dederint, praescriptis laudatae epistolae Encyclicae plenissime satisfacere censeantur (i).

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

DECRETUM

Quo determinatur forma brevis administrandae Extremae Unctionis in casu necessitatis.

***Feria IV, die** 25 **Aprilis** 1906.*

Cum huic Supremae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Emi ac Revmi Patres Generales Inquisitores, maturrime re perpensa, praehabitoque Rmorum Consultorum voto, decreverunt:

In casu verae necessitatis sufficere formam : ***Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen*** (2).

(1) **Aggregatio congregationum doctrinae christianae ad romanam archisodalitatem doctrinae christianae quae instituta existit in ecclesia vulgo *del Pianto*, et de qua loquitur Pius X in Breve diei** ,5 **Oec.** igo5 **(Cfr. *Acta S. Sedis*, vol.** 39, **pag.** 35), **non praecipitur sed maxime consulitur ad hoc ut communicari possint indulgentiae, bona spiritualia ac privilegia eidem archisodalitati a Romanis Pontificibus concessa. Congregationes vero in Gallus extantes aggregari valent etiam Sodalitati Parisiensi, cui nomen *Opus a catechismis*, quae titulo et privilegiis archisodalitatis gaudet *(N. R.)*.**

(2) **Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib. 8, cap.* 2, *n.* 2) docet quod : « Formam sacramenti Extermae Unctionis non esse a Christo Domino institutam**

Sequenti vero feria V, die 26 eiusdem mensis et anni, in audientia a SSmo D. N. Pio div. providentia PP. X, R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. decretum Emorum et Rmorum Patrum adprobavit.

L. «J* S. Petrus Palombelli, .S. ***R. et U. I. Notarius.***

in *specie infima,* ut aiunt, hoc est certis verbis praescriptam, theologi omnes admittunt, atque ex diversis formulis, etiam in Ecclesia latina in illius administratione usurpatis, evidenter demonstratur. Quae nunc in Ecclesia latina sit adhibenda, iam a Tridentino accepimus, et clarius in Rituali Romano explicatur ». Quapropter omnes quidem fatentur integram Extremae Unctionis formam, quae cum expressione cuiusque sensus qui inungitur, profertur, necessariam esse de necessitate praecepti ; at controvertitur num ipsa sit etiam necessaria de necessitate sacramenti. Probabilior tamen et inter recentiores theologos communior sententia tenet, unicam formam generalem, quae singulos sensus exprimat, cum unica saltem unius sensus unctione, sufficere ad validam huius sacramenti administrationem. Cui opinioni validissimum argumentum praebet, ut ait Benedictus XIV *(loc. cit., cap. 3, n. 3),* « diversa in unctionum numero disciplina, quae in diversis ecclesiis sua aetate viguit ». Favet etiam Concilium Trid. *(Sess. r4> cap. i de extr. unci.),* quod nedum multiplices unctiones non commemorat aut innuit, sed etiam aperte docet, materiam proximam huius sacramenti esse reponendam in actione ungendi, « nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat »; quae autem repraesentatio in unica infirmi unctione cum unicae formulae prolatione sat sufficienter verificatur. Dum e contra ad licitam dumtaxat sacramenti confectionem referenda est quintuplex illa vel etiam septula corporis unctio cum peculiari forma, prout praecipitur a Synodo Florentina in decreto pro Armenis et a Rituali Romano *(tit. 5, cap. i, n. i5).* Praeterea inter eosdem auctores recensentur qui ad essentiam formae huius sacramenti, praeter verba : *per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti,* pertinere censent etiam particularem singulorum sensuum, vel saltem generalem omnium sensuum expressionem cum unctione singulorum vel saltem unius sensus ; videlicet addenda esse verba putant: *per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum,* vel saltem *per sensus.* Ex hodierno autem decreto, quo determinatur forma omnino necessaria ad validum conficiendum sacramentum , clare eruitur ad essentiam formae non requiri huiusmodi sensuum expressionem, atque ad materiam proximam constituendam unicam sufficere unctionem. In casu proinde verae necessitatis, nempe quum mors ita immineat ut periculum sit, ne moribundus ante omnes sensuum unctiones decedat et sic salutari hoc sacramento privetur, unica statuta forma cum unica unctione in aliquo sensu vel in pectore vel consultáis in fronte, tamquam in summa omnium sensuum sede, licite et valide

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Indultum conceditur Monialibus Conceptionistis circa recitationem Divini Officii.

Abbatissae Monasteriorum Monialium Conceptionistarum nuncupatarum in parochiis Iamedensi et Bastionensi, dioecesis Namurcensis, sub iurisdictione Ordinarii constitutorum, Rmo D. Episcopo Namurcensi approbante, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutae, humillime exponunt et postulant ut sequitur :

In praefatarum Monialium Regula, a Iulio PP. II, an. **1511** approbata, circa recitationem Divini Officii in choro sic praescribitur, nempe : « Sorores, quae recipiuntur ad chorum, teneantur dicere Divinum Officium, quoad sollemnes festivitates in quibus non laboratur et octavas earum, et Dominicas primo ponendas et necessario recitandas, secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Octava Seraphici S. Patris Francisci celebretur et nulla alia Ordinis eiusdem. Omnibus autem festis simplicibus et Dominicis non primo ponendis, dicent Officium Conceptionis cum commemoratione Dominicae secundum formam Breviarii ad hoc illis deputati ».

Porro, ut ea quae dubia erant et incerta declararentur, prodiit, die 8 Iulii anni 1893, a S. Congregatione Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Rescriptum, quo vi-

adhiberi potest imo et debet. Cfr. Benedictus XIV *(loc. cit., cap. 3, n. 5).* Sed, cessante periculo, praesertim si aegrotus alia sacramenta secure suscipere non potuit, sub conditione repetendae sunt singulae unctiones in singulis sensibus sub suis particularibus formis, atque addendae simul sunt omnes orationes omissae. Quae norma apprime congruit praescriptionibus Ritualis Romani, et, quatenus melior fiat dispositio suscipientis sacramentum, ad maius gratiae augmentum obtinendum concurrit *(N. R.).*

gore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, de modo ordinandi Officium in choro statuebatur:

i°. Ut quotidie per annum legatur Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V., exceptis scilicet: prima Dominica Adventus; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. I. C; Vigilia, Festo et octava Epiphaniae Domini; Feria IV Cinerum; prima Dominica Quadragesimae; Dominica Passionis; Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; Festo et octava Ascensionis Domini; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SSmae Trinitatis; Festo et octava SS. Corporis Domini; Festo Sacratissimi Cordis Iesu; Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum eius octava; Festo SS. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum; Dedicatione omnium Ecclesiarum cum eius octava; Festo S. Ioseph patroni Belgici regni; Festo S. Albani Martyris Patroni civitatis et dioecesis Namurcensis, Festo S. Symphoriani Mart. Patroni Iamedensis parochiae; Festo S. Patris Seraphici Francisci cum eius octava; ceteris quibuslibet festis primae vel secundae classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; quibus omnibus diebus et festis idem Officium recitatur quod Fratres Minores recitant;

2°. Ut illud Officium assumatur, quod a SSmo D. N. Pio PP. IX anno 1863 praescriptum fuit;

3°. Ut sub eodem ritu celebretur, quo Officium huius diei apud Fratres Minores, cum commemorationibus de iure.

Animadvertendum est praedictum Rescriptum, expresse iuxta vigentem in Monastario usum, postulatum fuisse, ac porro secundum eumdem usum ab initio interpretatum fuisse, nimirum ita ut si festum duplex non tamen classicum inter octavas ex praedictis non privilegiatas incideret, Officium Immaculatae Conceptionis per se non impediret.

Animadvertendum etiam est, Dominicas quae in Regula primo ponendae et necessario recitandae nuncupantur, posse

iure merito recenseri non modo Dominicas primae classis, sed omnes Dominicas classicas, cum praesertim festa omnia classica, licet minus exclusiva quam Dominica, in Rescripto recenseantur ut celebranda. Et revera contraria dispositio anomaliam inducit, quam videre est cum v. gr. festum Purificationis incidit in Dominicam secundae classis.

Praeterea, Beatissime Pater, Moniales Conceptionistae, quo sua erga B. M. V. pietas et devotio novum inde sumat alimentum, valde cupiunt posse a se celebrari festa particularia B. M. V. quae Kalendario Franciscano inscribuntur, ut festum Septem Dolorum B. M. V., S. Nominis Mariae, Patrocinii eiusdem B. M. V., et similia.

Ac porro, congrua ratione, postulant ut ipsis etiam concedantur Officia festorum D. N. I. C. sub ritu duplici maiori in eodem Kalendario assignata.

Tandem nonnulla necessario statuenda videntur, ne quis deinceps anceps dubiusque haereat in divino Conceptionistarum Officio ordinando.

Quae cum ita sint, praefatae Abbatissae et Moniales Beatitudini Vestrae humillime ac instantissime supplicant ut, de speciali gratia, fausto recurrente quinquagenario a dogmatica Immaculatae Conceptionis B. M. V. Definitione Iubilaei anno, indulgere, concedere ac declarare dignetur quemadmodum sequitur :

1°. Moniales Conceptionistae quotidie per annum legant Officium Immaculatae Conceptionis a SS. D. N. Pio PP. IX anno 1863 approbatum — exceptis scilicet omnibus diebus Dominicis primae et secundae classis; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. I. C.; Vigilia, Festo et octava Epiphaniae Domini; Feria IV Cinerum; tota Hebdomada Sancta et tota octava Festi Resurrectionis D. N. I. C. cum Dominica in Albis; Festo et octava Ascensionis Dñi; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SSmae Trinitatis; Festo et octava Festi Corporis Christi; Festo Sacratissimi Cordis Iesu; Festo

Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum eius octava; Festo SS. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum, Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum cum eius octava (quod festum sumatur proprium Ordinis); Festis S. Patroni dioecesis et S. Patroni loci; Festo Seraphici S. Patris Francisci cum eius octava; quibuslibet festis ritus duplicis primae aut secundae classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; Festis D. N. I. C. aut B. M. V. quae in eodem Kalendario sub ritu duplici maiori recoluntur. Quibus dominicis, feriis, festis, octavisque privilegiatis, et etiam diebus infra octavas, ex supradictis non privilegiatis, modo in istis fiat Officium de octava, recitetur Officium diei secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Si vero infra octavam non privilegiatam recolatur festum cuius Officium a Conceptionistis non est celebrandum, non impediat Officium de Immaculata Conceptione;

2°. Kalendarii Universalis Ecclesiae octavae non omittantur; Ordinis autem Fratrum Minorum, S. Patris Seraphici Francisci octava celebretur, et nulla alia;

3°. Immaculatae Conceptionis Officium, diebus indultis sub eodem ritu celebretur quo apud Fratres Minores festum seu Officium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici;

4°. Fiat commemoratio Officii occurrentis, ceteraeque de iure, non omissa commemoratione de octava, de feria, de vigilia etc., iuxta Rubricas generales Breviarii.

Insuper ad praescindendas suborientes difficultates, dignetur Sanctitas Vestra declarare et concedere ut sequitur, pro Conceptionistis:

i°. Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicitur cum ***Gloria*** et ***Credo.*** In secreta dicitur: ***quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis ***

2°. Die 14 Augusti et die 7 Decembris, si sinit occurrens festum, Officium fit de Immaculata, sed Missa erit de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus;

3°. Per octavam Assumptionis et Nativitatis B. M. V., Officium octavae fiat loco Officii Immaculatae Conceptionis, cum pari privilegio;

4°. Lectiones primi Nocturni, etiam in ritu duplici maiori, erunt de Scriptura occurrente; qua deficiente, erunt de libro Genesis, ***Serpens ;***

5°. Cum successivis diebus fit de Immaculata Conceptione, secundae usque aguntur Vesperae; quando vero post aliud recitatum Officium, resumitur Officium Immaculatae Conceptionis, locus fit primis ipsius Vesperis ;

6°. Festa quae non Officio, sed sola semper a Conceptionistis commemoratione recoluntur, dummodo propria die commemorari possint, non sunt transferenda, si accidentaliter impediantur ; sed neque important translationem alterius Officii, licet inferioris qualitatis, cuius recitatio ex Indulto concessa est ;

7°. In concurrentia cum aliis Officiis, Immaculatae Conceptionis Officium ut primarium habeatur. Cesset tamen privilegium recitandi de Immaculata Conceptione, ubi concurreret hoc Officium cum alio festo B. M. V. vel cum die octava festi eiusdem B. M. V., cuius saltem commemoratio facienda sit.

Et velit Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, facultatem benigne tribuit Episcopo Namurcen, indulgendi ut Moniales oratrices Officium Divinum in omnibus iuxta preces recitare valeant. Quo vero ad celebrationem Missae, eadem S. Congregatio

mandavit rescribi : ***Recurrendum esse ad S. Congregationem Rituum*** (i).

Romae, 13 Martii 1905.

D. Card. FERRATA, ***Praefectus.***

L. ✠ S. Philippus Giustini, ***Secretarius.***

ORDINIS S. BENEDICTI

Extinctio et unio quarumdam Abbatiarum in Brasilia.

Beatissime Pater,

Abbates et monachi Capitulares Congr. Brasiliensis Ord. S. B. in Abbatia Bahiensi ad S, Sebastianum capitulariter congregati, humiliter exponunt Sanctitati Vestrae ad restaurationem Congregationis suae plurimum referre ut duae antiquae Abbatiae, scilicet B. M. V. de Gratia in civitate Bahiensi et B. M. V. ad locum denominatum Brotas, in eodem Statu Bahiensi, nunc temporis redditibus ferme destitutae necnon de facto extinctae, iure etiam quoad ipsarum titulum abbatialem extinguantur et Abbatiae Bahiensi ad S. Sebastianum quoad temporalia incorporentur. Ad pedes igitur S. V. prostrati iidem Abbates et Patres Capitulares unanimiter petunt ut Sedes Apostolica, auctoritate sua suprema, Abbatias de Gratia et de Brotas denominatas, extinctas quoad titulum et Abbatiae S. Sebastiani Bahiae incorporatas quoad temporalia declarare dignetur. Insuper iidem Capitulares opportunum censent ut duae aliae eiusdem Congregationis Abbatiae, scilicet Abbatia S. P. Benedicti de Olinda et Abbatia B. M. V. de Parahyba sub eodem uniantur Abbate, ita ut Abbas Olindensis ipso facto sit etiam Abbas Parahybanus, et uterque titulus in eadem persona coniungatur. Ideo humiliter petunt ut Sanctitas Vestra Abbatiam Parahybanam

(i) Cfr. infra ***Acta S. Sedis,*** **pag.** 3o3.

Abbatiae Olindensi unitam declarare velit, ita ut uterque titulus in eodem permaneat Abbate, qui in utraque Abbatia iurisdictionem exerceat.

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito voto D. Abbatis Primatis, attentisque expositis rerum adiunctis, eidem D. Abbati Primati facultatem benigne tribuit ad extinctionem enunciatarum Abbatiarum deveniendi, facta etiam potestate Abbatiam Parahybanam Abbatiae Olindensi unitam declarandi in omnibus iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 20 Ianuarii 1906.

D. Card. FERRATA, ***Praefectus.***

L. S. Philippus Giustini, ***Secretarius.***

AGENNEN.

SOLUTIONIS

De exemptione a solutione debiti aliena pecunia peracti.

Expositio facti. De hac quaestione iam actum fuit in generalibus comitiis diei 5 Maii 1905, in quibus Emi Patres ad dubium ***« an Curia Agennensis solvere teneatur arcae presbyterorum pauperum dioecesis Albiensis summam libellarum*** *62.000* ***in casu »,*** respondendum censuerunt: ***«Negative»*** (1). Verum cum societas sacerdotum pauperum Albiensium beneficium novae audientiae (2) expostulasset atque obtinuisset, causa reproposita fuit sub infrascripta dubitationis forma.

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 38, pag.** 264-269.

(2) **Apud plures hodie mos invaluit utendi** ***appellationis*** **verbo ad novam audientiam a S. Sede concessam significandam ; sed denominatio haec, praeterquam quod impropria est, ambiguitatem quoque ingerere potest. Nam appellatio datur tantum a tribunali inferiori ad superius, non autem ad unum**

Animadversiones novae. Advocatus praefatae adsociationis, argumentis iam pridem adductis recensitis et illustratis, addit Curiam Agennensem, quemadmodum ex documento nuper exhibito constat, pro devenditis publicis titulis ad aream eiusdem societatis pertinentibus, loco libellarum 65.000, uti antea censebatur, libellas e contra 67.464,88 percepisse. Quapropter, quum eadem Curia nonnisi libellas 3.000 Archiepiscopo Fonteneau restituent, saltem excessum libellarum 2.464,88 ipsae adsociationi adhuc tradere tenetur.

Ex adverso defensor Curiae Agennensis, parum vel nihil immorans in exceptionibus contrariis refellendis, contendit in themate locum esse praescriptioni triennali a Codice gallico sub art. 2279 inductae, vi cuius dominus rei deperditae vel furtivae adversus actualem earum detentorem amittit actionem spatio trium annorum (i).

Dubium. ***An et*** ***quomodo confirmanda*** ***sit*** ***decisio huius S. C. Episcoporum et Regularium diei j Maii ipoy in casu.***

Resolutio. Emi Patres in Congregatione plenaria diei 12 Ianuarii 1906 rescribendum mandarunt:

In decisis, et ad mentem. Mens est: super exc es su libellarum *62.000* ***placere de concordia*** (2).

idemque et quidem supremum tribunal, uti sunt supremae Congregationes Romanae, quae omnes Summum Pontificem repraesentant ***(N. R.).***

(1) **Iuxta praescriptionem art.** 2i46_ **Codicis civilis italici huiusmodi actio per duorum tantum annorum spatium perimitur** ***(N. R.).***

(2) **Quoad conclusiones ex hodierna decisione deducendas remittimus lectores ad eas, quas subiicimus in vol. 38, pag.** 269. **Modo dumtaxat addimus ius canonicum nihil decernere relate ad praescriptionem rerum mobilium, inter quas merito recensetur numerata pecunia, inducendam; ideoque hac in re confugere nobis licet, servatis servandis, ad ius civile in singulis nationibus receptum. Animadvertendum tamen est quod in hodiernis Codicibus civilibus generatim non attenduntur bona fides et iustus titulus, quae e contra in iure canonico semper requiruntur ad hoc ut praescribi possit. In themate vero non est dubium Curiam Agennensem nedum in bona fide extitisse, sed etiam iustum titulum, in restitutione debiti contracti positum, habuisse. — Mandat praeterea S. Congregatio ut excessus ex bono et aequo inter partes contendentes dividatur** ***(N. R.).***

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

S. SALVATORIS IN BRASILIA

DISPENSATIONIS MATRIMONII

In dubio de nullitate matrimonii dispensatur ad cautelam super rato et non consummato.

Species facti. Mense Martio anni 1888 in quadam paroecia dioecesis Bahiensis in Brasilia Titius N... matrimonium contraxit cum Caia N... quae undecimum aetatis suae annum vix aut ne vix quidem expleverat. Hae autem nuptiae, quamvis libenter ex parte sponsae initae fuerint, infauste cesserunt ; siquidem uxoris mater, cum suspicasset Titium propriam filiam violasse, ut ipsam in uxorem ducendam adigeret, bis in carcerem eum coniicere curavit.

Tali modo celebrato coniugio, iidem sponsi, tribus comitantibus viris, Titii domum petierunt, sed ipsa nuptiarum die vir, qui invito animo contraxisse videtur, relicta sponsa, immediate abiit alioque se confugit, ita ut ne prima quidem nocte cum ea manserit nec cibum cum ipsa sumere voluerit. Paucos post dies Titius in longinquam regionem se contulit, ex qua quinque post annos regressus, ut suam ipsius matrem inviseret, iterum discessit non amplius reversurus, quin usque in praesens sciri possit, num ipse vivat aut ab hac vita migraverit. Modo autem Caia, quae haud parvam ab aliis viris suscepit prolem, et in praesentiarum cum quodam consanguineo in secundo gradu incestuose vivit, humiliter petit dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

Votum Consultoris. Electus vir in primis haud parum dubitari posse ait de validitate matrimonii in casu, tum ob impedimentum aetatis ex parte mulieris, tum ex parte viri ob impedimentum vis et metus.

Ad primum quod attinet, patentissime ex actis liquet, ait ipse, Caiam nondum explevisse, imo fortasse nec attigisse

duodecimum aetatis suae annum, cum contraxit cum Titio, quin in praesenti casu, saltem certo, illud adduci possit, quod videlicet malitia suppleat aetatem, quia ex confessione ipsius matris, eo tempore Caia nondum menstruationem passa fuerat. Ex sacris Canonibus impedimentum aetatis cessare potest, si comperiatur in casu aliquo speciali malitiam supplere aetatem. Malitia vero consistit in actuali potentia generandi, una cum iudicii maturitate necessaria iure naturae. Hinc si in alterutra contrahentium parte deest haec iudicii maturitas, quamvis adsit actualis potentia generandi (i), matrimonium est nullum iure naturae: si deest in alterutra parte actualis potentia est nullum iure ecclesiastico, cum nondum ad pubertatem pervenerit. Ita DD. unanimiter. In themate nostro, an adfuerit necne talis iudicii maturitas in Caia cum matrimonium inierit in pupillari aetate, ex actis non constat, sed post initum matrimonium, cum hoc possideat, praesumitur. Quoad actualem potentiam generandi, unum matris testimonium in actis habemus, quod eandem excludere videtur in propria filióla ex defectu menstrui, vix post annum ab inito matrimonio, prima vice ab ea experti.

Quoad secundum, prosequitur Consultor, videlicet impedimentum vis et metus, pater ipse oratricis disertis verbis affirmat quod ut Titium compelleret ad spondendum cum filia, saltem bis in carcerem ipsum coniicere fecit. Idem asserit ipsa oratrix, adiungens, quod tempore ipso bannorum Titius in, carcerem iacebat, ubi mater oratricis ipsum iussit detrudi, ut eum adstringeret ad contrahendum cum filia, quam per errorem existimabat ab eo defloratam. Ex quibus iam liquido apparet vim Titio illatam ad extorquendum consensum, haud levem quidem, sed gravem revera fuisse, quae, dum ab extrinseco et iniuste infertur, ut in praesenti casu, matrimonium dirimit.

(i) Seu rectius *coeundi* *(N. R.).*

Verum, quidquid sit de nullitate ex parte mulieris ex capite defectus aetatis et ex parte viri ex capite defectus liberi consensus pro certo habendum, ait Consultor, saltem esse locum dispensationi, tum quia evidentissime ex unanimi mulieris et testium depositionibus constat nunquam sponsos in ea conditione fuisset versatos, quod rei maritali operam dare valerent; tum quia certo certius quoque constat de dispensationis causis. Quapropter, concludit, cum constet: primo quod de validitate matrimonii serio dubitari possit ob impedimenta probabilia sive aetatis sive vis et metus; secundo quod matrimonium minime fuit consummatum ; ac tertio tandem sufficientes causas non deesse, locum est dispensationi in casu, saltem ad cautelam, unde pro gratia consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati.

Animadversiones Defensoris vinculi. Cum primum causa haec act ipsum transmissa fuit, ratus est eam tradi posse alicui Consultori ***pro voto, in statu et terminis.*** Ratio est, addit, quia tum Archiepiscopus tum Defensor localis rotunde affirmant matrimonium non fuisse consummatum. Et quamvis non possit in casu haberi probatio physica virginitatis mulieris, quum haec filios ex aliis genuerit, tamen sufficienter videtur haberi probatio inconsummationis ex confessione mulieris et attestationibus testium (i). Idque tanto magis opportunum ipsi videtur; sive quia matrimonium fuit forsan nullum ex defectu aetatis in muliere ; sive quia ignoratur num maritus vivat, et, posito quod vivat, ignoratur ubi degat.

Verum Defensor vinculi, quum per alteram vicem eadem causa remissa eidem fuerit, pure et simpliciter acceptare non posse censuit, quod fieret locus responso, ut proponitur a Consultore, seu : ***consilium praestandum SSmo pro dispensatione,*** sine addito.

(i) Ecclesia enim in foro externo inconsummationem matrimonii probatam habet non solum argumentis quae physicam, sed etiam quae moralem certitudinem pariunt *(N. R.).*

Duplex enim mihi additum videtur necessarium, prosequitur ipse, seu ***consilium praestandum SSmo,*** at primum cum addito: ***praevia sanatione actorum:*** secundo vero cum alio addito, seu ***consilium praestandum pro dispensatione,*** attamen ***ad cautelam.*** Ratio prioris additi, seu ***praevia sanatione actorum ad cautelam,*** est quia Curia S. Salvatoris in Brasilia processum conficiendum mandavit, servata quidem forma sueta ***de iudice quaesitore procedente adstantibus actuario et Defensore vinculi,*** at haec omnia praestitit marte suo, seu quin praecesserit debita delegatio ex parte S. C. C. Notum quippe est posse Episcopos procedere in causis nullitatis coniugii iure proprio, at egere auctoritate SSmi ut procedant in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato (i). Ratio vero secundi additi est, ne quasi videatur tacite firmare, quae minus recte scripsit Consultor quoad impedimentum aetatis. In primis ipse ponit ex actis patentissime liquere Caiam nondum explevisse, imo forsan nec attigisse aetatis annum duodecimum tempore celebrationis, et tamen supponit fieri posse in casu locum dispensationi super matrimonio rato. Verum hoc pugnat in terminis, quum dispensationi super matrimonio rato tunc solum certo certius fieri possit locus, quando matrimonium ad summum est dubie validum. Profecto nescio quomodo haec componantur seu componi possint: ***ex actis evidentissime constat matrimonium fuisse contractum a persona inhabili ob defectum aetatis...., tamen supplicandum SSmo pro dispensatione.***

Verum in egregii Consultoris mente, prosequitur Defensor sacri vinculi, haec quidem conciliari posse videntur attentis

(i) Attamen Episcopis licet, absque speciali S. Sedis delegatione, processum instituere super nullitate matrimonii, si una simul cum instantia de nullitate matrimonii cumuletur etiam instantia de eiusdem inconsummatione. Tunc enim absoluto processu ex capite nullitatis eaque iuridice non probata, acta processus ad S. C. C. transmittuntur in ordine ad dispensationem SSmi efflagitandam super matrimonio rato et non consummato *(N. R.).*

theoriis canonicis de malitia supplente aetatem necnon de iudicio ferendo pro matrimonio in casu dubii. Theoriae enim canonicae de malitia supplente aetatem necnon de stando in dubio pro valore coniugii aliquantisper aliae ab expositis sunt

In primis theoria de malitia supplente aetatem intelligenda est hoc sensu, seu quod valeat matrimonium quod forsan ante pubertatem celebrari contigerit, quando certo constet, virum vel mulierem etiam ante pubertatem fuisse idoneos copulae. Nam quum tunc certo constet de potentia secundum naturam, minus congruum videretur eos repellere quasi impotentes. Verum certo constare debet v. g. ex eo quod puella ab alio iam viro oppressa intumescere coeperit etc. Et quatenus certo de hoc non constet, standum absolute pro incapacitate et hinc pro impedimento. Verum in casu non solum non constat de malitia seu de potentia ante expletam pubertatem, sed potius constat de contrario, quum validum argumentum ad concludendum pro non capacitate tempore celebrationis nobis suppeditet mater sponsae, ut notavit vel ipse Consultor.

Secundo itidem theoria de iudicio proferendo in dubio pro valore coniugii, proprie non est ipsissima, quam profert Consultor. Nam Canones iubent standum pro valore coniugii proprie in dubio, seu quando proprie habentur hinc inde argumenta, at minime quando dubium resolvitur in merum phantasma, ut est verum in casu praesenti. Quum enim Canones reddant impuberes inhabiles ad contrahendum, nisi forsan malitia suppleverit aetatem, at in casu non solum non constet, quod malitia suppleverit aetatem, sed potius habeamus argumenta in contrarium, non licet recurrere ad theoriam de iudicio ferendo favore coniugii, nisi subvertendo omnem theoriam canonicam de praesumptionibus. Semel enim admisso tempore celebrationis Caiam fortasse fuisse capacem coeundi, et hinc fortasse matrimonium fuisse validum, et hinc ob dubium standum esse pro coniugio, praesumptionum tam

saluberrime ac sapientissime in iure receptarum vis et efficacia frustraneae redderentur. Nam ideo factus est locus, praesumptionibus, ut incertitudinibus, quae ex dubiis saepe nascuntur, obviam fiat.

Potest autem universa haec verissima theoria canonica a me propugnata, addit ipse, per analogum exemplum illustrari corrivatum ex materia de affinitate. Omnes norunt ex qualibet copula perfecta et consummata, posita inter personas quaslibet vere ad coeundum apta, nasci affinitatem cum consequenti impedimento. Iamvero Titius opprimit Caiam, puellulam iam iam puberem, sed nondum puberem sensu iuris, quum deficiat v. g. dies ad implendum annum duodecimum. Dicemus nos exinde natum fuisse impedimentum affinitatis? Minime gentium, quamvis forsan sit probabile Caiam tempore oppressionis iam fuisse idoneam copulae, nam quis potest haec mysteria naturae reserare, et dicere certo aut probabiliter potentem vel non eam mulierem, quae post 24 horas habebitur ut pubes, et hinc ut capax coeundi? E contra Sempronius opprimit Mariam puellam annorum duodecim ab uno instanti expletorum. Dicemus nos exinde non fuisse natum impedimentum affinitatis ? Minime gentium, quamvis forsan sit probabile momento oppressionis Mariam nondum fuisse aptam coeundo. Quaenam ratio discriminis inter utrumque casum, nisi quia in his, quae incerta sunt, utimur opera praesumptionum? Est autem ipsissimus casus (in via analogiae) de quo sumus solliciti. Nam quousque non fuerit probatum Caiam tempore celebrationis fuisse vere idoneam copulae, praesumendum est pro impedimento, et hinc pro vinculi nullitate.

Quo autem hunc scopulum vitemus de dispensatione quae tribuatur super matrimonio, quod debet haberi ut invalidum, proposui ego supra et nunc iterum propono, ut dispensatio detur ad cautelam. Locutio enim ***ad cautelam*** locum sinit pluribus suppositionibus, quae, firmo manente principio, casui in concreto consulunt. Sic v. g. poterit esse locus sup-

positioni, quod S. C. non plene probatum habuerit defectum aetatis. Quum enim non habeamus certum documentum ad probandam aetatem Caiae, et forsan contingere potuerit, quod sive mater sive pater, sive alia testis adducta non bene recordati fuerint de hoc adiuncto (seu anno, quo contigit nativitas) iam omnia sat salva sunt, seu et reverentia debita theoriae canonicae, et existimatio, quam omnes debent notissimae prudentiae S. C. in exsolvendis negotiis.

Et haec quidem fuit vera causa, ait, propter quam ego in superius citata mea responsione ad interrogationem R. P. D. a Secretis posui congruum esse, ut res in statu et terminis proponeretur, ea quoque de causa, quod matrimonium fuit forsan nullum ex defectu aetatis. Forsan dixi, non in sensu Consultoris, seu quasi possit ambigi, num in muliere malitia suppleverit aetatem, sed eo in sensu, quod fortasse ambigere possumus, num saltem iuridice sit probatus defectus aetatis.

Equidem scio contra me asserentem, matrimonium manere dubium ratione dubii impedimenti aetatis, videri allegari posse, quae in actis habentur de impubertate mulieris tempore celebrati coniugii, quaeque causa fuerunt ut Consultor diceret ex actis evidenter constare de impubertate. Verum, praeter iam notata, duo subiungere opportunum videtur ad melius probandum rem manere dubiam. Etenim non videtur verosimile, quod parochus vel alius pro eo assistentiam praestiterit matrimonium puellulae huiuscemodi ; idque eo magis quod duae denunciationes factae fuerunt. Parochus vero quaesitor in sua scripta relatione 25 Aug. 1904, postquam innixus testimonio matris puellae dicit hanc natam fuisse a. 1877, subiungit tamen : « Testimonium nativitatis et baptismi non est inventum in libris parochialibus». Certo, omnibus perpensis, quaestio de nativitatis tempore mihi videtur (si quid tamen exiguitati meae opinari licet) hucusque inabsoluta. Unde praeferrem quod procedatur per viam dispensationis, ea etiam de causa, quod: ***a)*** si proceditur per viam nullitatis, opus erit

sententia duplici cum temporis iactura, necnon cum periculo animae tum sponsae, tum viri quocum illegitime cohabitat; ***b)*** casu vero forsan contingente, ut postea detegatur matrimonium reapse non fuisse nullum ob defectum aetatis, at validum, esset intimanda separatio etc. etc.: quod periculum avertatur, data ad cautelam dispensatione super matrimonio rato.

Dubium. ***An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, in casu.***

Resolutio. Emi Patres S. C. Concilii, praehabita matura deliberatione, die 24. Martii 1906 respondendum mandarunt:

Affirmative ad cautelam.

Colliges. i°. Quum in casu plene constet tum de matrimonii inconsummatione ex probatione, quam ***coarctatam*** appellant, tum de iustis et rationabilibus dispensationis causis, conceditur dispensatio a matrimonio rato et non consummato.

2°. Haec tamen dispensatio non datur absolute sed ***ad cautelam,*** eo quod dubium adhuc superest num coniugium fuerit etiam nullum ex defectu aetatis mulieris.

3°. Omissa praeterea fuit inquisitio super vi et metu viro incussis, utpote quae nedum superflua sed difficilis quoque probationis evadit.

4°. Quando actiones nullitatis matrimonii et eiusdem inconsummationis simul cumulantur, ex hodierna praxi proceditur potius super sola inconsummatione, quippe quae plerumque est facilioris probationis.

POTENTINA

IURIUM

Circa congruam parochialem, summam pro coadiutoribus elargitam, electionem viceparochorum, incerta utriusque stolae aliaque emolumenta adventitia.

Factispecies. In oppido *Avigliano,* Potentinae dioecesis, extat paroecialis ecclesia receptitia B. M. V. e Carmelo, cuius

archipresbytero in animarum cura et spirituali paroeciae administratione vicissim per hebdomadas vicariam operam usque praebuit totus eiusdem ecclesiae clerus, qui proinde e communi massa congruam parochi efformante, aequalem cum ipso partem percepisse videtur. Item vi consuetudinis incerta stolae nigrae aliaque adventitia dividuntur partibus aequalibus inter parochum et Participantes, exceptis dumtaxat iuribus stolae albae, quae soli parocho cedunt. Verum archipresbyter Pace, qui nunc parochiam obtinet, summam 200 ducatorum (libell. 850) pro congrua a Gubernio relictam, in. communem massam, prouti antea a suo decessore factum fuerat, contulisse videtur spatio 18 vel 19 annorum, donec anno 1904 obtentis pro congruae augmento a Gubernio libellis 1000, motu proprio, nempe quin prius edoceret Episco pum, omnem congruam sibi retinuit, totum clerum receptitium a cura et administratione spirituali paroeciae dimisit, atque sibi elegit quatuor novos coadiutores, quibus libellas 1000 a Gubernio acceptas impendit.

Quare idem Episcopus die 18 Oct. 1904 decrevit ac mandavit, « nihil esse immutandum tum quoad redditus, tum quoad servitium et administrationem spiritualem dictae paroeciae, usque dum responsum auctoritativum non habeatur... Ideoque qui e clero receptitio usque nunc servitium ecclesiae et curam animarum praestiterunt, praestare perseverent ; et omnes reditus eo modo quo nunc distributi fuerunt, distribui debere... ». Exinde archipresbyter ad S. C. C. appellationem instituit, simul significans citatum decretum nullum robur habere. Episcopus autem, occasione abrepta, petit ut status ecclesiae receptitiae immutatus maneat, necnon libellae 1000 nuper obtentae pro duabus in Avilianensi agro perpetuis Vicariis erigendis impendantur, quae propter distantiam a paroeciali ecclesia necessariae videntur.

Deductiones archipresbyteri. Patronus, nonnullis praemissis de natura atque origine congruae parochialis iuxta ea

quae tradit Van Espen ***(Ius eccl. univ., part.*** *2,* ***sect.*** *4,* ***tit.*** *3* ***de port, congr. paroch.),*** concludit portionem congruam, quae antea tantum pro paroeciis unitis constituta fuerat, pro liberis quoque post saec. xi statutam fuisse, in quibus communis massa erat, et insuper beneficii proprie dicti naturam sumpsit cum omnibus dotibus requisitis. Deinde orator gressum facit ad naturam declarandam ecclesiarum receptitiarum quae in Italiae inferioribus provinciis praecipue reperiuntur, quaeque per concursus et examinis institutionem, servata aliquatenus antiqua natura, ad actuales ecclesiasticae disciplinae necessitates redactae fuerunt. Qua de re bonorum laicitas cessavit et post decreta ab Episcoporum Commissione edita, ex portionibus massae communis, quas presbyteri omnes servitio ecclesiae addicti ius habebant percipiendi, totidem sacrae ordinationis tituli constituti sunt naturam induentes quasi-beneficiorum, ac omnes receptitiae numeratae evaserunt. Quapropter concludit etiam in receptitiis ecclesiis parochiale institutum iuxta commune ius moderatum esse.

Advocatus praeterea contra adversarios appellantes ad consuetudinem, vi cuius praedictae leges nunquam in receptitia Avilianensi ecclesia viguisse videntur, nullam consuetudinem praescriptionemve contra parochialia iura, praesertim ius congruae, valere contendit. In facto autem admittit quidem archipresbyterum ante a. 1828 propriam congruam non habuisse, sed hanc statutam fuisse sustinet in ducatis 200 ab Episcopo Potentino per ***Planum*** a. 1828, quod Episcoporum Commissionis decreta diligenter exsequitur, necnon per eiusdem ***Plani*** supplementum a. 1852. Quamvis postea duo parochi praedecessores, contra ius suum, congruam inter omnes dividere permiserint, hoc tamen ex mera et voluntaria concessione factum fuisse affirmat. Siquidem documentum extat ex S. Visitatione a. 1851 depromptum, in quo legitur ea occasione archipresbyterum suam congruam ab Episcopo reclamasse, qui parochi ius agnovit; sed deinde archipresbyter

distributionem concedere pergit, ut efficacius a Participantibus in animarum cura coadiuvaretur. Idem praestiterunt archipresbyter immediate successor necnon actualis, qui coeteroquin declaravit, quod, obtento a Gubernio subsidio pro coadiucoria, illud inter Participantes dividerei, sibi integra parochiali congrua retenta. Ex hac proinde archipresbyterorum largitate patronus, innixus auctoritate Van Espen ***(loc. cit., cap. j),*** nullum perpetuum ius exoriri posse ait. Ad suam vero thesim firmandam affert S. C. C. decisionem in ***Triventina - A dedicationis redituum*** die 18 Martii 1905, quae huic causae fere similis favore parochi resoluta fuit (i).

Quoad secundam quaestionem orator adnotat illas libellas 1000 a Gubernio solutas pro coadiutoria, ad statutarios Participantes, veluti ad nativos parochi coadiutores, natura sua pertinere; ceteris enim Participantibus, pensione fruentibus, Gubernium ipsum propterea mercedem solvit.

Quoad tertium dubium advocatus observat quod omnes Participantes iure parochi coadiutores sunt, cumque in praxi hunc vel illum Participantem delegare utile sit, qui efficacius parochum coadiuvet, opportune factum est, ut parochus Participantes Episcopo indicaret, quos magis idoneos putaret.

Quoad quartum et quintum dubium patronus ducit ea revocanda quae supra dicta sunt de praescriptione, de consuetudine etc. In specie quoad quartum recolit legis dispositiones in nova disciplina ; quoad quintum subiicit factum, nempe archipresbyteros semper adventitiorum portionem vel parvam massam percepisse.

Deductiones cleri receptitii. Patroni ostendere satagunt ius commune ab adversa parte allatum non fuisse ibi receptum sed ius quoddam particulare viguisse ac vigere ; hoc autem desumunt tum ex eo quod clerus receptitius innumeratus manserit, tum quia Breve ***Impensa,*** gratuitum pro-

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 38, pag.** 81.

hibens neo-sacerdotibus servitium, non fuerit observatum. Sane ex diuturna consuetudine patere aiunt sive animarum curam sive quoscumque reditus inter cunctos Participantes distribui, adeo ut parochialis congrua de facto non existat. Quae consuetudo per 70 fere annos vigentem confirmari probant ex unanimi declaratione Procuratorum cleri, Vicarii foranei et ipsius Episcopi. Congruunt Statuta eiusdem ecclesiae receptitiae fundamentalia, quae, cum iubeant omnes sacerdotes eodem gradu debere curam animarum gerere, iam patet etiam implicite congruae divisionem admittere. Caeterum notum est parochum Avilianensem, a tempore quo Statuta condita sunt usque in praesens (i832-1904), de facto eidem congruae nuncium misisse.

Advocati, aliis argumentis prolatis ad dictam consuetudinem corroborandam, eam etiam uti laudabilem exhibent, sive quia ipsa in animarum salutem vertitur quum omnes Participantes praesto esse teneantur adsistentiae spirituali, sive quia minuit onus parochi in cura animarum ; sive quia congruit iuri communi, quod ad tramitem Conc. Trid. ***(Sess.** 21, **cap.** 4 **de Reform.)*** praecipit ut parochi in vastis paroeciis coadiutores sibi adsciscant. Accedit quod, cum clerus receptitius per annos plurimos simul cum parocho proventus omnes divisisset, iam sequitur non licere eum e pacifica possessione disturbare.

Pergentes deinde ad difficultates diluendas, negant imprimis paritatem huius quaestionis cum alia ***Potentina - Iurium*** diei 21 Maii 1904 (i), in qua S. C. C. iussit applicationem Brevis ***Impensae*** animadvertunt enim merito tunc illam fuisse reprobatam consuetudinem, cum esset contra quaedam inviolabilia Episcopi iura. Neque oggeratur consuetudinem in casu sustineri posse, cum Breve ***Impensa*** ad hoc datum fuerit ut tolleret quascumque consuetudines in ecclesiis receptitiis; nam

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* **vol.** 37, **pag.** 326.

idem Breve reprobavit dumtaxat consuetudines reprobandas, id est iniquas et irrationabiles. Ad rem afferunt quae habet Reiffenstuel ***(lib. i, tit.** 4, **n.** 18J **et seqq.).***

Nec pariter invocari potest mutatio rerum inducta a Gubernio per leges eversivas assis ecclesiastici, nam iuxta iuris canonici principium, quidquid a laica potestate imcompetenter circa res ecclesiasticas disponitur, tamquam irritum retinendum est. Hac super re adest Decretum ***Ad dirimendas*** diei 22 Febr. 1876 a S. C. C. datum (i). Unica proinde in praxi superest quaestio, an scilicet revera bona a Fisco pro congrua parocho adsignata, fuerint ex massa communi desumpta; quod quidem cum ab archipresbytero, a clero atque ab Archiepiscopo fuerit confirmatum, extra controversiam manet. Quapropter cum congrua parochialis non aliud sit quam antiqua massa communis, super quam omnes Participantes ius habebant, iam sequitur eam inter omnes dividi debere.

Ad alteram quaestionem devenientes patroni, an scilicet elargitio 1.000 libellarum facta a Gubernio impendenda sit pro quatuor vice-parochis, vel potius eroganda sit iuxta mentem Episcopi in casu, reponunt eamdem summam non pertinere parocho ut deinde illa utatur pro quatuor vice-parochis, sed omnibus sacerdotibus Participantibus, qui tamen huic elargitioni renuntiantes, secundum Episcopi mentem distribuendam sinunt. Dictae enim 1000 libellae nihil aliud sunt nisi restitutio quaedam bonorum, quae in supprimenda Collegiata Fiscus arripuit ex massa communi totius cleri.

Quod ad tertium dubium attinet, ius vice-parochos nominandi respiciens, praeterquam quod haec quaestio patronis videtur otiosa, cum iidem Participantes habeant curam animarum per turnum hebdomadarium, discordiam et animarum etiam damnum parere adnotant. Iura autem Episcopi circa coadiutorum electionem salva esse debent, ad tramitem iuris

(i) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 36, pag. 684.**

particularis per Breve ***Impenso,*** inducti, vi cuius potestas nominandi Participantes Episcopis competit.

De quarto denique ac quinto dubio disserentes, quae respiciunt sic dicta iura minora parochi, contendunt oratores consuetudinem, quae valet pro aequali congruae divisione inter omnes Participantes et archipresbyterum, valere etiam pro incertis stolae albae et nigrae aliisque adventitiis. Idque fortius quia parochus Pace cuncta stolae albae incerta sibi assumit, quae recensentur in art. 6 ***Plani*** 1828; dum e contra iuxta Instr. 18 Nov. 1828, art. 18, iura stolae albae quoad dimidiam partem inter Participantes distribuenda essent. Huic accedit conventio die 24 Oct. 1900 parochum inter et clerum inita, adstante Episcopo, qua neo-sacerdotes per triennium tenentur servitium semi-gratuitum parocho offerre, quo praestito quisque eorum ius habebit ad omnia emolumenta. Eo vel magis quod neo-clerici solvunt praeterea plures cultus expensas, ad quas teneretur parochus, qui a Gubernio etiam expensas pro cultu accipit.

Dubia. I. ***An archipresbytero ecclesiae receptitiae loci*** A vigliano ***spectet congrua*** *200* ***ducatorum, seu potius eadem congrua dividenda sit inter clerum memoratae ecclesiae, in casu.***

II. ***An elargitio libellarum*** *100****o, facta a Gubernio, impendenda sit pro vice-parochis, vel potius eroganda sit iuxta mentem Episcopi, in casu.***

III. ***An eidem archipresbytero spectet ius nominandi vice-parochos, salvo iure Episcopi eosdem confirmandi, in casu.***

IV. ***An incerta utriusque stolae dividenda sint inter archipresbyterum et clerum dictae ecclesiae ad tramites articulorum XVIII et XIX Instructionis*** *18* ***Nov.*** *1822,* ***in casu.***

V. ***An quoad cetera incerta eidem archipresbytero spectet aequa portio, una cum Participantibus, in casu.***

Responsa. Emi Patres S. G. Concilii, omnibus ad trutinam revocatis, die 19 Maii 1906 (i) rescribendum censuerunt:

(i) Mense Aprili habita non fuit ordinaria Congregatio generalis, quia haec omitti solet mense, quo incidit festum Paschatis ***(N. R.).***

Ad I. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad II. ***Enunciatam summam dividendam esse pro prudenti arbitrio et conscientia Episcopi, partim favore duorum Vicariorum curatorum, qui in agro Avilianensi constituendi sunt, partim favore Participantium ecclesiae receptitiae, excluso archipresbytero.***

Ad III. ***Negative.***

Ad IV. et V. ***Servetur consuetudo.***

Colliges. i°. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam parochus, in ecclesiis quoque receptitiis, propriam portionem congruam ex paroeciae proventibus assignatam habere debet, quum penes ipsum tota animarum cura resideat.

2°. In casu praeterea summa, a Gubernio pro coadiutoribus soluta, dividenda praescribitur inter ipsos Participantes duosque Vicarios curatos instituendos, quia omnes archipresbyterum in animarum cura adiuvare tenentur.

3°. De iure communi nominatio viceparochorum per se ad parochum spectat, cum approbatione tamen Episcopi; at de iure particulari ad ipsum Ordinarium pertinere potest (i).

(i) Quod vi iuris communis competat parocho potestas sibi eligendi et nominandi viceparochos seu capellanos aperte liquet ex Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 4 de Reform.),* ubi sic decernitur:, « Episcopi... cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, *sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere,* quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum ». Consonat Innocentius XIII in Const. *Apostolici muneris,* iubens § 11 : « Quod si parochi ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, coadiutores sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare... ». Quae Innocentiana Constitutio invenitur confirmata a Benedicto XIII in altera Const. *In supremo.* Praeterea huiusmodi doctrina corroboratur ex variis S. C. Concilii declarationibus, necnon ex communi doctorum sententia, prout videre est penes Bouix *(De parocho, part. 4> caP- 2> § 2)-* Ex altera vero parte constat ad solum Ordinarium vi iuris particularis potestatem deputandi viceparochos competere posse. Ita idem Bouix *(loc. cit., § 3,* et *Appendix 1, § 5),* innixus responsione habita ab Episcopo Aturensi die 22 Febr. 1865 per S. C. Concilii, docet quod,

4°. In themate autem, sicuti in ceteris ecclesiis receptitiis regni Neapolitani, quum Participantes nativo iure sint eiusdem archipresbyteri coadiutores, ius superesse nequit parocho alios Vicarios specialiter deputandi.

5°. Quamvis demum Instructio 18 Nov. 1822 in regno Neapolitano praescribat incerta utriusque stolae dimidiatim dividi inter parochum ex una et Participantes ex altera parte, in casu tamen admittitur uti legitima consuetudo, vi cuius archipresbyter iura stolae albae solus percipit.

NEOCASTREN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Ad cautelam dispensatur matrimonium ratum **et** non consummatum, **de** cuius quoque validitate dubitatur.

Factispecies. Triginta fere abhinc annis in ecclesia cathedrali Neocastrensi Titius N... et Caia N..., qui ex patre ignoto geniti fuisse videntur, coniugale inierunt foedus, quod tamen inconsummatum mansisse ferunt. Nam primis vespertinis horis eiusdem nuptiarum diei, quin coniuges soli fuerint, homo quidam, ballista ignea instructus, ad unicum cubiculum, ubi ipsi sese contulerant cum duobus senibus, qui mulierem educarunt, advenit, sponsam audacter expostulans ; quae quidem haud obsistens, viro relicto, eumdem raptorem, cum quo iam antea illicitos per duos annos amores foverat, sequuta est.

Ex tunc autem neo-coniuges haud amplius simul fuisse videntur, concorditerque asserunt matrimonium nec consummasse nec consummare potuisse. Praeterea sponsa cum suo raptore adhuc in publico adulterio vivit, sponsus autem aliquot post annos civile, uti vocant, matrimonium iniit cum

attento praesenti statu ecclesiarum Galliae, nominatio ac remotio viceparochorum ad Episcopum pertinet, donec aliter S. Sedes declaraverit. Item scimus in nonnullis dioecesibus, praesertim Italiae superioris, ex quadam recepta consuetudine viceparochos ab ipsis Ordinariis deputari *'(N. R.)**

alia muliere, cum qua fere viginti tribus annis degit. Serius ipsi, id est die 8 Martii 1905, propriae conscientiae consulere cupientes, supplicem obtulerunt SSmo libellum, dispensationem a matrimonio rato expostulantes.

Precibus exceptis, Episcopo Neocastrensi a S. C. Concilii rescriptum est pro informatione et voto ; postea vero eidem mandatum est ut processum tam super non secuta matrimonii consummatione quam super causis dispensationis, servata forma Const. Benedicti XIV ***Dei miseratione et*** Instr. S. C. a. 1840 (i) conficeret. Peracto proinde in Curia processu, quin tamen vinculi Defensor deputatus fuerit, causa oeconomice (2) proposita fuit iudicio S. C. C, una simul cum Consultoris voto atque animadversionibus Defensoris vinculi.

Votum Consultoris. Electus vir praemittit gravi vitio totam inquisitionem iudicialem laborare quum tribunal matrimoniale non fuerit legitime constitutum. Licet enim Episcopus asserat se omnia explevisse, prout sibi praescriptum fuerat iuxta Const, ***Dei miseratione,*** omisit deputare Defensorem sacri vinculi, cuius operam Benedictus XIV in eadem, Constitutione sub poena nullitatis expostulat. Verum quidem est in casu non disceptari causam super validitate vel nullitate matrimonii, uti loquitur S. Pontifex ; ideoque ex stricto praescripto dictae Constitutionis deputatio Defensoris non requiritur. Attamen Episcopus debuerat servare formam suae delegationis, in qua de stylo Curiae praescribebatur observantia Benedictinae Constitutionis. Qua observantia neglecta, tota inquisitio iudicialis vitio nullitatis tabescit. Iamvero non desunt exempla sanationis ex. gr. in una ***Matriten,*** diei 2 Maii 1896; et in casu videtur non deesse ratio, cur S. Congregatio benigne concedat gratiam sanationis actorum, ut ad

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. i, pag.** 439, **necnon vol.** 4, **pag,** 346.

(2) **Causa** ***oeconomice*** **tractari dicitur, quum absque advocatorum defensionibus agitatur** ***ex officio;*** **cuiusmodi sunt quaestiones, quae** ***per summaria precum*** **vel quandoque, uti praesens, etiam** ***infolio*** **proponuntur (W.** ***R.).***

ulteriora procedi possit. Agitur enim de amovendo publico scandalo et de restituenda conscientiae tranquillitate duobus miseris, qui iam sat provectae sunt aetatis.

Iamvero ex actis productis resultat quod coniuges, interposita iurisiurandi religione, concorditer testantur se numquam matrimonium consummasse nec potuisse consummare. Accedit iurata depositio testium septimae manus, qui, cum ambo coniuges sint ex patre ignoto, desumpti fuerunt non ex consanguineis vel affinibus, sed ex vicinis.

Si iam quaeratur, prosequitur Consultor, de iustis et rationabilibus causis elargiendi expetitam dispensationem, non videtur esse dubium tales sufficientes adesse. Nam moraliter impossibile est, ut vita coniugalis instauretur; obstacula sunt tum vinculum civile, quo vir ligatur cum alia muliere, tum praepotentia qua raptor videtur dominari - sponsam, ita ut fortasse existat etiam impedimentum raptus. Insuper dispensatione aperietur via ad amovendum scandalum publici adulterii, in quo uterque coniux nunc vivit, et ad reddendum utrique misero pacem conscientiae, quam recuperare tantopere cupiunt, et ob quam causam etiam mutuo consentiunt, ut vinculum matrimoniale dissolvatur.

Animadversiones Defensoris vinculi. Hic paucis contentus, notat v. g. se plene adsentiri ab viro quoad necessitatem remedium afferendi nullitati actorum ob omissam praesentiam Defensoris vinculi; quoad vero congruentiam, seu num expediat id facere, iudicium reliquit Emorum Patrum. Item breviter adnotatis nonnullis parvi momenti difficultatibus quoad inconsummationis factum, difficultatem forsan graviorem proponit quoad convenientiam vel minus dandi dispensationem. Nam, quum ad eam tribuendam requirantur legitimae et graves causae, veretur ne in casu illae habeantur.

Uterque enim orator cupiunt dispensationem ut faciant matrimonium, et vir quidem cum alia muliere, quacum fecit matrimonium civile, mulier autem cum eius raptore et ama-

sio, quocum vivit in concubinatu. Verum quominus legitimum in casu fiat matrimonium (saltem ex parte viri oratoris) obstat impedimentum criminis. Reapse inter varias figuras (ut inquiunt iuristae) impedimenti criminis ea quoque habetur, quae dicitur ***neutro pairante*** (intellige ***homicidium),*** quaeque resultat ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. In casu autem intercessit adulterium et quidem formale, etc. Verum num interfuerit quoque promissio de futuro coniugio inter hosce amasios, multum suspicari potest. Imo factum certum habetur attentati matrimonii ex parte sponsi qui , solus quum mansisset ob raptam sibi sponsam, matrimonium inivit civile cum alia muliere. Certo certius in themate omnia concurrunt, seu: ***d)*** ex capite adulterii, quod fuerit formale (nam praesumendum est concubinam scivisse virum iam esse coniugatum), consummatum, etc.; ***b)*** ex capite vero matrimonii, extat eius attentatio, nam matrimonium civile (aliter ac sit verum de mero concubinatu) resolvitur in quamdam speciem coniugii attentati. Unde v. g. meritissime Gasparri (tract. ***De matrimonio)*** loquens de conditionibus quas veras esse oportet, ut habeat locum impedimentum criminis ex capite adulterii cum attentatione matrimonii, scitissime habet: « Tandem sufficit matrimonium omissa forma Tridentina contractum, quippe est attentatum, ideoque matrimonium, ut aiunt, civile ».

Rebus sic stantibus valde ambigi potest, num expediat concedere dispensationem super vinculo matrimonii rati proprie eum in finem, ut sternatur via nuptiis, quae, si possibiles sunt, obtenta et impetrata dispensatione super impedimento criminis, sunt semper nuptiae odiosae. Omnes enim norunt impedimentum criminis constitutun fuisse ut validissimum moralitatis antemurale ac propugnaculum. Quod propterea, maxime si publicum, firmissimum quoad eius fieri potest tenendum est.

Dubium. *An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, in casu.*

Rescriptum. S. Congr. Concilii, re sedulo perpensa, die 24 Martii 1906 respondendum mandavit:

Affirmative ad cautelam (i).

Colliges. i°. Concors ac iurata utriusque coniugis depositio potissimam constituit in causis matrimonialibus probationem, eo vel magis si testimonio septimae manus corroboretur.

2°. Quae concordia maiorem probandi vim acquirit, si assertiones conveniant quoad facti substantiam, discrepent vero quoad accidentalia.

3°. Caeterum collusio non est facile admittenda, quum praesumi nequeat, nisi intercedente solida suspicandi ratione, coniuges, qui propriae conscientiae consulere cupiunt, auctoritatem ecclesiasticam in re tam gravis momenti decipere velle.

(i) Quidam, innixi etiam animadversionibus Consultoris necnon Defensoris matrimonii, hodiernam resolutionem ita interpretati sunt, ut dispensatio matrimonii rati et non consummati concessa sit *absolute,* et illud *ad cautelam* referatur ad sanationem actorum, quae vitio nullitatis laborare videntur ob omissionem defensoris vinculi matrimonialis. At e contra tenendum est ipsam matrimonii dispensationem concessam fuisse non *absolute* sed *ad cautelam,* quatenus nempe Patres censuerunt in casu adesse grave dubitandi motivum circa nullitatem coniugii propter defectum consensus ex parte mulieris, quae haud obsistens secuta est proprium raptorem et amasium. Secus enim S. Congregatio respondere debuisset: *Praevia sanatione actorum ad cautelam, affirmative ;* uti in eius more est. Iamvero, ut bene animadvertit ipse Consultor, Benedictus XIV in sua Const. *Dei miseratione* praecepit deputare Defensorem sacri vinculi sub poena nullitatis processus, at dumtaxat in causis circa validitatem vel nullitatem matrimonii, non autem in causis eiusdem dispensationis. Utique S. Congregatio, etiam in causis dispensationis praecipit observantiam formae, quae in praefata Bulla Benedictina necnon in lstruct. eiusdem S. C. die 22 Aug. a. 1840 continetur, at, quoad sciamus, minime sub poena nullitatis actorum, si secus factum fuerit. Id enim nedum ex hodierna resolutione, quae de actorum sanatione ne quidem verbum facit, arguitur, sed etiam ex ipsa rei natura; nam declaratio nullitatis matrimonii ex iustitia, dum e contra dispensatio ex gratia procedit *(N. R.).*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MONIALIUM CONCEPTIONISTARUM

Indultum Missae de Immaculata Monialibus Conceptionistis concessum.

Abbatissae Monasteriorum Monialium vulgo Conceptionistarum in regnis Hispaniae et Belgii exsistentium, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuerunt : Moniales Conceptionistae quotidie per annum legunt Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V. a sa. me. Pio Papa IX anno 1863 approbatum, exceptis quibusdam diebus, in quibus Officium diei recitant secundum Breviarium Romanum ad usum Fratrum Minorum. Officium vero Immaculatae Conceptionis, diebus indultis, sub eodem ritu persolvunt quo apud Fratres Minores Festum seu Officium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici, non omissa commemoratione diei currentis aliisque de iure faciendis iuxta Rubricas. Haec omnia enucleate et distincte patent ex Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 13 Martii vertentis anni 1905 (1).

Attamen quoad Missae de Immaculata Conceptione Officio respondentis celebrationem et relativa postulata, Sacra eadem Congregatio rescribi mandavit: ***recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum.*** Hinc Abbatissae oratrices ab hac Sacra Congregatione suppliciter expostularunt ut declarare et concedere dignaretur:

I. Ut Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicatur cum ***Gloria*** et ***Credo;*** et in Secreta dicatur: ***Quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis.***

II. Ut die 14 Augusti et die 7 Decembris, si iuxta indul-

(1) **Cfr. supra** ***Acta S. Sedis,*** **pag.** 275.

tum fiat Officium de Immaculata, Missa tamen legatur de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis postulatis ita respondere censuit :

Ad I. Quoad primam partem, affirmative pro gratia; verum quoad Symboli additionem, dummodo Officium sub ritu saltem duplici celebretur ; quoad secundam partem, affirmative.

Ad II. Negative, die 14 Augusti, in qua Officium et Missa de Vigilia Assumptionis, loco Officii et Missae de Immaculata Conceptione Deiparae peragatur, iisdem iuribus, at sub ritu feriali : Affirmative, die **7** Decembris, sed Missa Vigiliae sub ritu feriali et colore violaceo celebretur.

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit, die ii Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. *|* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE STUDIORUM

Collegium Divi Thomae Aquinatis de Urbe declaratur Pontificium, eiusque gradibus academicis effectus canonici attribuuntur.

Beatissimo Padre,

Il Padre Fr. Enrico Buonpensiere, dei Predicatori, Reggente del Collegio di S. Tommaso d'Aquino ***de Urbe,*** supplica umilmente Vostra Santità affinchè si degni concedere a detto Collegio il titolo di ***Pontificio,*** dichiarando che i gradi accademici, che da esso si conferiscono in Filosofia,

Teologia e Diritto Canonico, abbiano gli stessi effetti canonici di quelli che si conferiscono in altre Università cattoliche.

Che della grazia, ecc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia diei 26 mensis Maii 1906, referente subscripto S. Congregationis Studiorum Emo Cardinali Praefecto, attenta commendatione Rmi P. Generalis Ord. Praed., benigne libenterque annuens precibus Rmi P. Henrici Buonpensiere, Regentis Collegii Divi Thomae Aquinatis de Urbe, mandare dignatus est, ut hoc perinsigne Collegium, in quo florent studia Philosophiae, Theologiae ac Iuris Canonici, posthac ***Pontificium*** vocari possit; et gradus academici, qui ab eo in Philosophia, Theologia ac Iure Canonico rite conferuntur, eadem prorsus iura ac privilegia habeant, quae habent ii qui in qualibet Universitate catholica canonice instituta conferuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Franciscus Card. SATOLLI, ***Praefectus.***

L. «|* S, Ascensus Dandini, ***Secretarius.***

APPENDIX

MATRIMONIALIS - DE PAROCHO PROPRIO **(i)**

III.

Quonam securiori modo statui possit dicta moderatio.

Haud forte multo longior erit tertia ista disquisitio, sed certe salebrosior. Lubenter abstinuissem a quolibet voto proponendo, remittens oculatissimaé prudentiae Sacri Consessus, tam gravis tamque delicatae, prout dicitur, quaestionis solutionem. Iussus autem, etiam hac de re, mentem aperire, simpliciter obtempero.

46. Et primo, videtur prorsus amovenda solutio quam, in suis Postulatis penes Conc. Vaticanum *(ut supra n. 41)* proposuere complures

(i) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 38, pag.** 244 **et 3o5 ; et supra pag.** 245.

Galliarum Episcopi; non solum quia dicta solutio, salva reverentia dixerim, aequivaleret abrogationi legis Tridentinae, atque *retrogradereiur* usque ad praescriptiones Concilii Lateranensis, quas Tridentini Patres prorsus insufficientes iudicarunt; non solum quia poenae et censurae, quas requirebant Episcopi contra sacerdotes non proprios matrimonia celebrantes, iam in altera parte ipsius decreti *Tametsi* clarissime praestabiliuntur; sed etiam quia dicta solutio genuinum, meo quidem humili sensu, remedium malo nullatenus afferret. Sane diffitendum non est quosdam verificari casus, in quibus sacerdos sive negligentia sive inscitia sive forte malitia (quanquam rarius ut puto) matrimoniis adstat, pro quibus ipse non est proprius; atvero longe frequentiores esse debent casus in quibus sacerdos sive cavillosis nupturientium responsionibus circa commorationem in paroecia, sive quibusdam adiunctis aut praesumptionibus, sese bona fide reputet proprium in casu, quin talis revera sit. Censurae non impediunt quominus arduum ac perdifficile sit in praxi dignoscere utrum necne Titius iste Berthave illa canonicis conditionibus satisfecerint ad acquirendum in tali paroecia ius parochialitatis, aut illud retinuerint vel amiserint.

47. Item videtur amovenda modificatio quae magnas tantum urbes respiceret; quia *primo* manca foret legislatio magnis urbibus tantum applicabilis non autem minoribus, quin prius specifice determinaretur quaenam sensu canonico maiores quaenamve minores sint habendae; quia *secundo* causa finalis (nempe validitas matrimoniorum, quae in dicta modificatione debet indesinenter considerari) verificatur non solum in frequentatissimis urbibus, sed etiam in sic dictis laboritiorum centris. Confluunt homines Berolinum et Parisios et Romam etc.; sed confluunt etiam in Sanpierdarena, in Panama, et hodie v. g. in Simplón, id est ubicumque et quamdiu laboritia immania centenos millenosque operarios attrahunt. Nulla proinde ratio videtur legislationem pro solis urbibus modificandi.

48. Econtra seligenda videtur modificatio quae, respectu matrimoniorum secundum formam Tridentinam ineundorum, clandestinitatem, pro posse, praecaveat. Ad hoc autem duplex apparet vita, nempe: *i*° facilior seu tutior acquisitio quasi-domicilii; 2° planior interpretatio clandestinitatis iuxta mentem Concilii Tridentini.

§ i. *De faciliori adeptione quasi-domicilii.*

49. Ex his quae superius referuntur circa notionem et conditiones quasi-domicilii, necnon circa dissensiones et oscitantias iuris de quasi-domicilio, hoc illove modo sufficienter aut insufficienter adepto, satis

superque patuit, ni fallor, difficultatem capitalem non ex *facto* commorationis sed ex *animo* commorandi suboriri. Plus igitur ipsi facto, minus econtra vel nihil, saltem directe, animo tribuatur oportet, ita ut factum matrimonii, de se publicum et externum, facto pariter externo non autem mere interno deinceps solidetur.

Dico: *saltem directe,* quia dupliciter, quantum ad animum commorandi, fieri potest necessaria modificatio, videlicet (i) : vel statuendo quod propter *solum factum* commorationis, ad tale taleve tempus (de quo infra), in paroecia vel in dioecesi (de quo pariter inferius) acquiratur quasi-domicilium canonicum intuitu formae Tridentinae rite servandae ; vel statuendo quod *animus* commorandi per maiorem anni partem satis in iure constabit, absque ulla exploratione, ex ipso facto commorationis ad tempus praefixum.

Haec posterior solutio videtur hinc aptior, quia nihil demit, nihil immutat receptae notioni quasi-domicilii, illinc vero minus apta, quia portam stricte non occludit his qui *post* matrimonium cavillar! tentabunt se revera talem nunquam habuisse animum. Prior econtra portam strictissime claudit, sed a recepta quasi-domicilii notione recedit. Coeterum ex ista sicut et ex illa idem prorsus emolumentum, videlicet: si nupturientes in paroecia per aliquod tempus degere debent priusquam ad matrimonium admittantur, parochus certior erit de statu libero ac de mutuis eorumdem conditionibus, quantum ad impedimenta necnon quantum ad dispositiones pro matrimonii sacramento fructuosius suscipiendo. Equidem non est de conceptu quasi-domicilii, speculative loquendo, quod advenae noscantur necne in loco sive a parocho sive ab incolis, ut supra notatum est; ast in praxi, prudentia requirit « ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti » *Paucis abhinc.* De se patet haec verba Benedicti XIV nimium urgeri non posse ; nihilosecius diffitendum non est eam legislationem approbatione dignam esse, quae parochis propter praeviam quamdam commorationem medium nupturientes facilius cognoscendi ministraret.

Immo nonnullis in Conciliis provincialibus cavetur ne proclamationes fiant nisi post elapsum aliquale tempus in paroecia commorationis; v. g.

(i) Superfluum foret heic adnotare quod in modificatione proposita nullatenus agitur de *vero* domicilio quod in sua notione suisque conditionibus, prout nunc obtinet, firmum remaneret ; nec de sic dicta parochialitate *vagorum,* qui sicut antea iuri pro ipsis constituto subderentur. Agitur tantum de quasi-domiciliatis, seu rectius de *quasi-domiciliandis* intuitu parochi proprii quoad matrimonium.

Concilium Neapolitanum an. 1699 in terminis: « Ut dubitationibus, quae ex domicilii mutatione suboriri solent, consulatur: in nulla paroecia tres eiusmodi proclamaciones fiant, nisi uterque vel alter sponsus *saltem quatuor* ante mensibus ibi domicilium collocant; breviori autem elapso tempore, una quidem in ea ad quam recens commigrarunt, duae reliquae unde discesserunt, peragantur» *(Coli. Lacen.,* vol. i, col. 198)."

50. Praesupposita porro iuris constituti modificatione, sensu superius exposito, duae remanerent adhuc dilucidandae quaestiones, videlicet:

i^R^. *Qualis* requirenda sit commoratio de facto ante matrimonium ?

2^A^. *Ubinam* requirenda, nempe in paroecia, vel in urbe, vel in dioecesi ?

51. *Ad Primam.* Statuendam esse commorationem semestrem, aliqualiter suadent argumenta sequentia :

a) Dicta commoratio iam requiritur et sufficit, ut supra delibatum est, in pluribus ecclesiasticis provinciis; sufficiens existimatur a nonnullis rerum canonicarum peritis; sanctione firmatur ipsius Sedis Apostolicae pro civitate Parisiensi, sive per modum peculiaris indulti, ut quidam autumant, sive potius per modum directivae declarationis, ut aliis praeplacet; exoptatur ab Emo Wratislaviensi, paulatimque ab aliis Praesulibus magnarum urbium, ut de facili praesumi potest, efflagitabitur, ita ut firmo remanente iure theoretico frequentiores évadent in praxi derogationes seu exceptiones quam observationes. Ad quid igitur intactam servare legem quotidianis exceptionibus infirmatami ?

b) In secunda parte saepecitatae Instructionis S. O. clare satis innuitur dictam commorationem esse sufficientem : « ipsi (nupturientes) vel alteruter eorum, Ordinario loci se sisterint et comprobata sicuti par est sui status libertate, animum ibidem commorandi ad maiorem anni partem concludenter demonstraverint; ut si quis e. g. concludenter probet se *ad sex menses* vel domum conduxisse vel operam suam apud aliquem locasse..., testes profiteantur, scientiae causam afferentes, sibi notum esse eum de quo agitur vere sincereque fixum habere, *sex saltem* mensibus in eodem loco commorari... ». At nulla melior probatio, nulla tutior testificatio de animi commorandi sex mensibus, quam ipsamet per sex menses effectiva commoratio.

c) In pluribus nationibus ; iis praesertim quae plus minusve Codicem napoleonicum adoptavere, commoratio semestris domicilium in municipio confert (i). Curnon et in paroecia conferre posset ?

(i) « Le mariage sera célébré dans la commune où l'un des deux époux aura Son domicile. Ce domicile, quant au mariage, s'établira par six mois d'habitation continue dans la commune » *art.* 74. Cfr. Explication du Code Na-

52. Sed contra: semestralis commoratio requireretur vel ad obtinendam parochialitatem intuitu matrimonii et in hac hypothesi onus, nedum allegetur, durius aggravatur, et insuper notio domicilii seu quasi-domicilii susque deque pervenitur; vel ad facilitandam parocho cognitionem nupturientium et tunc non perspicitur cur requirerentur sex menses et non tantum quatuor, ut in praecitato Conc. neapolitano, tresve aut etiam unus, quoadusque nempe sit in promptu notitia de statu libero ac de mutuis nupturientium conditionibus. Et sic satisfit rationibus sub littera *a* congestis. Quantum ad argumentum sub littera *b,* textus Instructionis nihil aliud probat nisi quod in mente Cardinalium Inquisitorum Generalium testificatio de voluntate commorandi sufficienter probat *nunc* adfuisse *tunc* animum commorandi per sex menses aut ultra. Si Suprema retinuisset semestralem commorationem sufficientem èsse ad quasi-domicilium adipiscendum, testificationem simpliciter *de facto* commorationis anterioris in loco, non autem *de animo* ulterius commorandi requisivisset.

Validius non apparet argumentum sub litt. *c.* positum, nempe de consonantia civilis et ecclesiasticae, legis exoptabili : *primo,* quia nequaquam eaedem sunt ubique leges civiles quantum ad domicilium vel *residentiam* nupturientium: sic v. g. codex gallicus supracitatus commorationem semestrem praerequirit; italicus nihil directe de commoratione longiori vel breviori, sed art. 93: « Il matrimonio deve essere celebrato nella casa comunale e pubblicamente innanzi "all'uffiziale dello stato civile del Comune ove uno degli sposi abbia il domicilio o la residenza (1) »; apud Anglos sufficit commoratio per tres hebdomadas, inquit DD. Rosset n. 2153 in nota; in Austria viget, ut puto, saltem pro matrimoniis catholicis Instructio austriaca supracitata; in Hispania canonicae praescriptiones adamussim servari debent quoad matrimonia catholica (2) ; in imperio Turcico matrimonia regulantur iuxta praescriptiones Religionis cuius nupturientes sunt asseclae; in Russico christiani, non graeco-russici, secundum suam Religionem, servatis conditionibus generalibus

poléon, par *Coti/,* Jurisconsulte: titre iv, divis. III, necnon disceptationem accuratissimam DD. Ben. Melata : *De Potestate qua matrimonium regitur et de Iure matrimoniali civili.*

(1) Quomodo vero per translationem *residentiae,* iuxta codicem italicum mutetur domicilium superius n. 21 nota i dictum est.

(2) « Art. 75. Los requisitos, forma y solemnidades para celebración del matrimonio canonico, se rigen para las disposiciones de la Iglesia católica y del S. Concilio de Trento, admitidas como leyes del Reino ». Cf. *Coleccion* de la legislación civil... para la cura Parroquial por D. *Vic t. Aragón Lasierra.*

omnium matrimoniorum, copulantur: quum ergo canonica legislatio debeat esse catholica, non autem huic illive civili codici consona, praedicta conformitas seu rectius argumentum ex conformitate prorsus evanescit. *Secundo* quia lex civilis constituit domicilium et (quasi-domicilium) residentiam in municipio, quod plures paroecias haud semel comprehendit; et inde non conformitas sed confusio. *Tertio* si quid in lege civili bonum, si quid proficuum foret, non ideo reiiciendum eo solo quod in lege civili inveniretur; ast nulla ratio legislationem canonicam imperfectam immutare iuxta civiles praescriptiones aeque imperfectas aut imperfectiores, hisce praesertim temporibus, quibus vero matrimonium, vel in christianis nationibus, a ritu civili non satis distinguitur.

53. Quantum ad praeviam commorationem *semestri minorem,* non clare perspicitur quare duratio praefiniretur ad quinque quatuorve menses potiusquam ad unum mensem, prout sedes Apostolica Statibus Foed. Amer. Sept. indulsit. Hoc tantum animadverto, quod scilicet brevi videbitur insufficiens privilegium sex mensium, et a viro fidedignissimo iam rescivi Curiam Parisiensem novas preces porrecturam esse intuitu commorationis *mensilis* obtinendae. Et inde magis ac magis confirmantur argumenta quae suadent modificationem per praeviam commorationem semestralem aut quadrimestralem esse forte minus aptam et efficacem.

54. *Ad Secundam,* id est de commoratione praevia *vel* in paroecia, *vel* in urbe, *vel* in dioecesi. Urbanum quasi-domicilium (et idem de domicilio vero) liminariter reiiciendum est, quia coeteris omissis rationibus nulla prorsus in iure canonico datur auctoritas urbana seu municipalis, sed tantum parochialis et dioecesana et pontificia. Quapropter dictum domicilium, vel quasi-domicilium urbanum, nulli spirituali iurisdictioni corresponderet.

55. Quoad commorationem in paroecia argumenta quae superius delibantur pro vel contra commorationem semestralem aut minorem, spectant praecise quasi-domicilium in paroecia determinata deinceps admittendum vel non admittendum. Non est igitur cur iterum repetantur.

56. Quid tandem de commoratione in dioecesi, seu de quasi-domicilio dioecesano ?

In antecessum liceat exemplum citare verum, concretum (reticitis tamen prae discretione genuinis nominibus) ex quo ponuntur in comperto singulares, seu rectius absurdae consequentiae quae scaturiunt ex legislatione hodierna domicilium respuente dioecesanum.

Titius Romam advenit indefinite commoraturus propter praeclara munia sibi demandata, et in palatio R... sedem fixit. Elapso triennio vel quadriennio, Titius uxorem ducere voluit, in civitate F. domiciliatami,

aedesque nobiliores penes palatium S, conduxit, sibi tamen retinens ius palatium R... inhabitandi usque dum celebratum fuisset matrimonium. Sed herus palatii R... faustam nactus occasionem iterum locandi palatium suum, de repente Titium rogavit ut ante praefinitum tempus discederet.

Annuit ille prae magnanima comitate, et (aedibus in palatio S... nondum apte restauratis) in diversorio publico -transitorie commoratus est. Et inde *iuxta legislationem hodiernam* praelaudato Titio, qui Romam a tribus quatuorve annis incolebat cum animo indefinite permanendi, nullum in Urbe domicilium, nullum quasi-domicilium, nulla quocumque titulo parochialitas : non in paroecia palatii R..., quod dereliquerat; non in palatio S..., quod nondum incoluerat; non in paroecia de 1' Hôtel, ut patet; et nequidem titulo *vagilatis,* ut diaunt Canonistae, quia Titius propter domicilium in sua patria retentum vagis nullatenus assimulandus erat. Matrimonium celebratum fuit, ut iuris et moris est, penes paroeciam uxoris in civitate F...; sed Romae fuisset invalide celebratum, etiamsi Card. Vicarius, qua Ordinarius dioecesanus (non autem qua Delegatus Summi Pontificis) amplissimas dedisset delegationes; quia vi iuris hodierni, quo dioecesanum domicilium excluditur, Ordinarius non est *proprius* respectu nupturientium nisi iam parochialitatem in paroecia determinata adepti fuerint. Uno verbo Titius Romae vere ac plene domiciliatus, quin pedem extra Romam posuisset, quamlibet in Urbe parochialitatem amiserat !

5y. Relatae sunt paulo supra *(n. 2g et 30)* rationes quibus concludenter demonstratur dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium a *iure* hucusque *constituto* perfracte reiici. Rationes vero quae, *in iure consti' tuendo,* dictum domicilium suaderent adoptandum, sub duplici capite perbelle resumi possunt, nempe ex capite maioris securitatis matrimoniorum, et ex capite plenioris cohaerentiae iuridicae;

a) Potissima difficultas quantum ad validitatem oritur, ut iam dictum est (et in precibus tum Parisiensis tum Vratislaviensis Ordinarii concorditer innuitur) ex frequentissimo concursu advenarum qui locum id est civitatem incolunt, sed per plures civitatis paroecias pro variis vitae laboritiique conditionibus circumeunt.

Tales advenae non permanent utique in tali paroecia determinata, ideoque huius parochi determinati iurisdictioni (semper secundum ius constitutum) minime subsunt; attamen in civitate seu dioecesi vere et non obiter permanent. Quid igitur absonum foret, si permanentia in eadem dioecesi titulus foret sufficiens *dioecesanitatis,* sicut permanentia in eadem paroecia titulus est *parochialitatis ?* Et ideo si parochus est pro-

prius quoad parochianos vix quasi-domiciliatos, curnam Episcopus non esset proprius, quoad eosdem, ita si dici potest, dioecesanizatos? Si proprius deinceps agnosceretur, eo ipso matrimoniis adsistendi delegandive iure potiretur: et sic nonnullae perferme praecaveantur invaliditatis. Haec autem delegatio, praemissis praemittendis ex parte nupturientium, ab Ordinario per modum dispositionis sive generalis sive causalis, sive ad tempus sive in perpetuum, parocho commorationis actualis nupturientium salva lege proclamationum committeretur.

b) Si quis infidelis in gremio sanctae Matris Ecclesiae recipitur, eo ipso, quocumque terrarum loco degat, sub iurisdictione transit Summi Pontificis qui per totum ovile omnium ovium Christi pastor est proprius. Econtra si quis catholicus a sua in aliam transit dioecesim, illum dicimus et quidem meritissime statutis dioecesanis esse submissum plus minusve onerosis at eidem satis incohaerenter iura dioecesanitatis denegamus, et praecise quantum ad legem Tridentinam quae personalis simul et *territorialis-* est; illum ad omnia sacramenta admittimus, haud exclusa communione paschali, sed a sacramento nuptiarum arcemus; vagos ubicumque sint sufficienti parochialitate donamus, advenas autem etiam post diuturnam in dioecesi commorationem nullam edicimus acquirere dioecesanitatem. Cohaerentius ergo foret, ni fallor, advenis propter introitum in dioecesim agnoscere dioecesanitatem, sicut infidelibus propter introitum in Ecclesiam agnoscimus catholicitatem.

58. Haec autem animadversio probe confirmatur ex genuina notione dioeceseos paulo accuratius perpensa. « De iure communi, tota civitas ac dioecesis est una parochia communis (i), et Episcopus est communis parochus, et Cathedralis est parochia universalis totius civitatis et dioecesis... Quae communis parochia est divisa in ecclesias inferiores. Parochia enim graece idem est latine ac partitio vel divisio; qua etymologia retenta, cum ecclesiae inferiores non dividantur in alias, nomen parochiae proprie residet in Cathedrali, reliquae vero ecclesiae inferiores ideo dicuntur parochiales quia curam habent divisam suisque confinibus limi-

(i) Quidam Theologi mira prorsus inadvertentia potestatem iurisdictionis, sicut et Ordinis, a minori ad maius per incrementa successiva ascendere putant. Econtra potestas utraque considerari debet prius tanquam quid perfectum quod gradatim descendit ad minus minusque perfectum. Sicut prior est in ordine rationali (quidquid sit de ordine administrativo) plenitudo potestatis quae secundum gradus hierarchicos plus minusve participatur descendens a summo ad ima, ita prior est Ecclesia quam ecclesiae particulares seu dioeceses, et dioeceses quam paroeciae, seu Episcopus quam parochi qui coeterum nullam habent nisi per mandatum episcopale iurisdictionem.

tatam, et propterea omnes de civitate ac dioecesi sunt vere parochiani Episcopi ». Ita *Pignatelli,* tom. VII, cons. LXXXIX, n. i, edit. Venetae 1695, pag. 142. Quid igitur vetare possit quominus Episcopus etiam respectu matrimoniorum declaretur proprius quoad omnes qui in proprio dioecesano territorio seu in propria parochia communi degunt ? Non admittitur in hodierna legislatione quasi-domicilium dioecesanum, esto ; sed iterum atque iterum dico quid vetat quominus in legislatione constituenda Episcopi sint *proprii* versus omnes qui in respectiva dioecesi permanent, sicut Papa proprius est Pastor omnium qui dioecesim universalem id est Ecclesiam catholicam inhabitant?

His addatur exegesis nonnullorum auctorum, ut v. g. Laymann, Sánchez aliorumque supramemoratorum, qui ponunt indubitanter per factum et animum commorandi statim adquirí paroeciam *vel dioecesim.*

§ 2. *De planiori interpretatione clandestinitatis.*

59. Alia denique modificatio proponi potest, tenui meo sensu, multo melior quia Tridentinprum Patrum intentis, ut puto, conformior, quaeque proinde recte vocaretur modificatio *ad mentem et ad litteram* Tridentinae Synodi.

a) Clandestina connubia, quamquam ante Tridentinum valida, « sancta Dei Ecclesia semper detestata est » ac semper detestabitur. Sacrosancta Synodus legem publicationis matrimoniorum, iamdiu de facto vigentem et a Conc. Lateran. IV universae christianitati praeceptive extensam, clarius determinavit, modumque publicationum stabilivit. Insuper .sancta Synodus nupturientes « qui aliter quam praesente parocho et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, ad contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

In ultimis hisce verbis tota sistit, ut patet, innovatio Tridentina; totum pariter robur decreti contra clandestinitatem. Age vero: textus ibi loquitur de parocho, non autem de parocho *prop rio.* Parochus proprius equidem nominatur expresse paulo superius, id est in priori parte Decreti, quoad proclamationes faciendas a proprio parocho sed in parte posteriori supratranscripta, qua (et qua sola) fulminatur inhabilitas ad contrahendum, ponitur iterum vox *parochus* et praetermittitur vox *proprius* quae vox paulatim a Canonistis praxique iudiciali superaddita fuit, ut supra notatum est.

Sane perfacile fuit et pronum ut parochus secundae partis Decreti ille ipse subaudiretur qui dicitur in prima parte parochus proprius: nihilo tamen minus, cuique rem funditus persolvent^ sensum facessit quod

parochus proprius expresse nominetur ubi simpliciter commemoratur lex proclamationum iamdudum vigens et matrimoniorum validitatem nullatenus attingens; dum econtra solummodo *parochus* **sine addito, sine qualificativo** *proprius,* **nominatur ubi lex edicitur absolute nova, terque quaterque solemnibus Sessionibus (praeter multiplicissimas congregationes particulares) discussa, gravissimumque contra validitatem inducens impedimentum nunquam antea in Ecclesia Dei auditum.**

b) **Non satis. In prima parte Decreti, parochus proprius requiritur (ut ex natura rei fluit) ad banna nupturientium proclamanda ; unus proinde parochus si nupturientes ambo sint eius parochiani ; unus et alter, quando sponsus ad unam, sponsa ad alteram pertinet paroeciam. Quare si parochus secundae partis Decreti prorsus idem fuit, in mente Tridentinorum Patrum, ac parochus proprius primae partis, ineluctabiliter sequeretur, ni fallor, quod sicut banna proclamanda sunt ab uno alteroque parocho proprio, ita matrimonium ab uno et altero parocho celebrandum sit, quotiescumque nupturientes distinctum sortiuntur parochum proprium. Sed hoc falsissimum esse et absurdum nemo est qui non videat.**

c) **Est et pars tertia in eodem Decreto, quae magis ac magis suadet Tridentinus Patres, inter parochum proprium et parochum simpliciter, discrimen intendisse, videlicet: « Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit..., alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, ab-, solvatur ». Itaque poenis plectitur parochus seu sacerdos sponsos coniungens non suos, quin ullo tamen verbulo matrimonium istud declaretur invalidum, quin sponsis taliter coniunctis onus imponatur coram parocho suo iterum se sistendi, et ita matrimonium validandi.**

Advertatur insuper cautissima formula Tridentina: qui sine praesentia parochi contrahere *attentabunt,* **inhabiles sunt et nihil efficiunt; parochus vero qui coniungere audet (non dicitur:** *attentat),* **perperam agit et ideo punitur, sed nihilominus (perspecta vi verborum) efficaciter agit. Et inde videtur inferendum: aut parochus, qui debet matrimoniis assistere, non est exclusive et necessario in mente Decreti Tridentini parochus proprius (seu ille solus) quem subtilitates Iuristarum pedetentim invexerunt; aut haec tertia pars Decreti manca foret et perfracte discordans cum secunda, quia dicta tertia pars loquitur de poenis contra parochum non proprium (sensu Iuristarum), et poenam omnium gravissimam, nempe matrimonii taliter contracti radicalem invaliditatem omittit !**

d) Clandestinum et publicum opponuntur in iure (quidquid sit de sensu etymologico), sicut nigrum et album. Porro matrimonium potest esse *dupliciter* clandestinum, videlicet: in fieri et in facto esse, id est quatenus non noscitur in Ecclesia tanquam ineundum — et ad hoc providit sapientissima lex proclamationum — aut quatenus non celebratur « in facie Ecclesiae », prout fert pulcherrima dictio quam ius et usus meritissime sacrarunt. Si matrimonium igitur denuntietur celebrandum, si praeterea celebretur in facie Ecclesiae, non amplius videtur qua ratione, quo titulo, matrimonium istud non erit publicum sed mere clandestinum. Non me latet clandestinitatem iuridicam minime tolli per effectivam publicitatem, puta si parochus, qui repraesentat Ecclesiam, non sit secundum legislationem hodiernam vere proprius. Ast praecise minus cohaerens videtur quod publicitas de facto evidentissima succumbere debeat subtili cuidam formalitati ; quod veritas cedere cogatur legalitati ; seu uno verbo quod matrimonium publice denuntiatum, publice contractum in facie Ecclesiae, sit iuridice clandestinum ! Nonnullas in *Thesauro* S. C. reassumpsi causas nullitatis ex capite clandestinitatis : ultimam cito nempe Parisiensem diei 26 aprilis 1902 (Oliveira-Couderc : vol. CLXI, pag. 3o3 et seqq.), in qua tota difficultas oriebatur ex hodierni iuris indicationibus Circa quasi-domicilium sufficienter vel insufficienter adeptum. Haec Sacra Congregatio matrimonium sententiavit nullum, et fundatissime quia, quum actrix nec domicilium nec quasi-domicilium in paroecia celebrationis habuerit, matrimonium *iuxta legislationem vigentem* vere clandestinum fuit. Iuxta* legislationem, inquam, clandestinum fuit; sed quisnam *iuxta rei veritatem* dicere vellet clandestinum matrimonium cuius banna proclamata fuere duobus in paroeciis, cuius celebrationi praesens fuit parochus loci Pointis-Inard (qui propter domicilium avi materni, sese reputabat vere proprium actricis orphanae) cum testibus conciliaribus et multorum adstantium corona, quos inter, ait maritus, « il y avait une dixaine de prêtres des paroisses voisines ». Non diffiteor, inquam, matrimonium fuisse *in iure* clandestinum : at pariter profiteor illud *in re* fuisse maxime publicum, et valde de.miror clandestinitatem illam mere iuridicam, in qua nullam clandestinitatem bene vero plenam publicitatem, sensus communis detegit.

Huc faciunt, ni fallor, perântiquae factispecies supramemoratae, v. g. iuvenis Senensis, et iuvenis Patavini, quorum matrimonium haec Sacra Congregatio declaravit validum. Canonistae suas hac de re nectunt explicationes satis extortas (salva reverentia dixerim) et commentaria satis cerebrosa; sed planiorem et forte veriorem omittunt exegesim, videlicet: Sacra Congregatio dicta matrimonia declaravit valida, quia noluit, non-

obstantibus Iuristarum placitis et oscitantiis de domicilio vel quasi-domicilio nondum receptis in foro, clandestina sententiare matrimonia quae, iuxta mentem et litteram Tridentini, coram parocho duobusque testibus rite celebrata fuerant.

e) Paulatim invaluit, probe scio, iurisprudentia de parocho *proprio* titulo domicilii vel quasi-domicilii, vel vagitatis, ac de consequenti clandestinitate, si dictus titulus bona vel mala fide forte abfuerit, quia tunc, inquiunt, parochus respectu istius Caii vel Berthae non est proprius, nec proinde testis qualificatus. Quod parochus, deficiente titulo praefato, non sit proprius iuxta legislationem vigentem, libentissime concedo; quod ideo nequeat esse *in sua paroecia* testis qualificatus, id est quod, servatis aliunde servandis et respectu quorumcumque nupturientium in sua paroecia, non satis repraesentet Ecclesiam in mente Tridentini, nec valeat sufficientem facere fidem de matrimonio Titium inter et Bertham coram se in sua paroecia rite inito, vere absonum videtur.

Operae pretium erit heic superaddere nonnullos e Patribus Tridentinis legi clandestinitatis maxime propensis, proposuisse quod testis ille qualificatus, praeter alios duos, esset non parochus sed potius loci notarius publicus, seu tabellio {*Pallavicini,* lib. xxu, c. 8, n. 16). Age vero : Notarius ille fidem fecisset, ut puto, de matrimoniis omnibus in loco celebratis: utrum ergo Iuristae distinctionem suam, quae nunc vim legis habet, induxissent de notario *proprio* aut non *proprio ?* Haec distinctio revera, si presse sumatur prout nunc iuxta legislationem vigentem presse sumi debet, non unum sed duo secumfert clandestinitatis impedimenta, nempe: clandestinitatem matrimonii contracti, parocho absente, et clandestinitatem matrimonii contracti, parocho praesente sed non *proprio.* Et meminisse dignentur Emi Patres quod parochus respectu quasi-domiciliatorum fit *proprius,* praecipue propter *animum* commorandi. Si fuerit in nupturientibus animus iste, parochus evadit testis qualificatus; si defuerit, testificatio miselli parochi reputatur « aes sonans et cymbalum tinniens ». Non ergo reus dici potest irreverentiae qui dubitat imo qui.negat, Tridentinos Patres intricatam istiusmodi clandestinitatem Iuristarum statuisse.

f) « Omnis utriusque sexus fidelis... omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, *proprio sacerdoti...* ». Omnibus notum est caput istud Concilii Lateranen, rv (i215), quod est ordine XXI inter LXX dicti Concilii; notae pariter sunt acerrimae circa « proprium sacerdotem » textus Lateranensis controversiae.

Qualis fuerit, in mente Patrum Lateranensium, huius clausulae genuinus sensus non est hic disceptandi locus. Unum tantum animadver-

tam, scilicet quod si quis hodie canonista vel theologus auderet, e gallicanis quisquiliis, recolligere concilia provincialia, commentaria, statuta dioecesana, senatusconsulta, thesesve quibus tenacifer proclamabatur radicalis invaliditas confessionis annuae, nisi peracta fuisset penes *proprium parochum* (1), theologus ille, inquam, hodie risum moveret, seu rectius indignationem.

Porro sicuti lex Lateranensis de peccatis nonnisi proprio sacerdoti annuatim confitendis sub poena nullitatis absolutionis, in praxi, sive per desuetudinem, sive per aptiorem interpretationem, sive etiam et maxime per posteriores SS. PP. Constitutiones, iamdiu desiverit, ita lex Tridentina de matrimoniis nonnisi coram proprio sacerdote, pariter sub poena nullitatis celebrandis, non certe desinere, sed aptiori exegesi moderari poterit.

Ergo: non proprie lex Tridentina, sed verius ipsa circa legem Tridentinam subsecuta iurisprudentia videtur moderanda : siquidem textus Tridentinus, ut iterum dicatur, non de « proprio sacerdote », non de parocho « proprio », sed tantum « de parocho » loquitur; et quidem, non qua sacramenti *ministro* necessario, sed qua teste sacramenti cuius ipsi coniuges sunt operatores. Sit igitur parochus in sua paroecia testis ille qualificatus quem Tridentina Synodus requisivit ; non vero cesset esse talis, saltem quoad validitatem, etiam respectu nupturientium qui forte nondum iure quasi-domicilii in sua paroecia fruuntur iuxta conditiones adhucdum intricatas quas non Tridentina Synodus sed practica iurisprudentia posterius induxit (2).

(1) Haud unum invenire est qui propugnaverit annuam confessionem, vi capitis Lateranensis, ita parocho proprio reservatam esse, ut Episcopus et ipse Papa, 'sine licentia proprii parochi, invalide absolveretü (Cf. Gaspar. Juenin, *de Poenit.*, quaest, v, cap. iv, art. 3, § i°., edit. Lugdun. 1722, pag. 424 *a.)*.

(2) Sententia, quam clariss. Consultor defendit, praeplacet quibusdam modernis canonistis. Nihilominus sententia contraria, quae tenet Concilium Tridentinum in capite *Tametsi* decrevisse matrimonium sub nullitatis poena coram parocho contrahentium *proprio* celebrandum esse, communissima semper 'fuit et etiam nunc probabiliorem putamus. Ipsa enim desumitur ex toto contextu dicti capitis, ubi parochus cum addito *proprius* expresse recensetur, qui debet et proclamationes bannorum facere et benedictionem nuptialem sponsis impertiri. Quinimo edicitur: « Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit,... alterius parochiae sponsos *sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere,* aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tanquam suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur ». Uti patet unus

Conclusio.

Iurisprudentia, circa providissimam legem clandestinitatis, paulatim et oscitanter efformata, hodiedum manca remanet et haud parum intricata, prout ex praelibatis dissensionibus et obscuritatibus, satis superque visum est.

Quod haec iurisprudentia seu legislatio moderanda sit, plures eaeque graves suadent causae, ne propter frequentiores hominum hinc inde translationes, tot matrimoniorum validitas (quae saepe saepius pendet a quasi-domicilio per *animum* adquisito) periclitetur; iam postularunt complures Vaticani Concilii Patres ; exoptant quotquod hodiernam legislationem de clandestinitate penitius evolverunt; confirmant practicae derogationes, pluribus in provinciis ecclesiasticis, iamdudum de facto vel de iure obtinentes, necnon petitiones hac de re iam Apostolicae Sedi porrectae; ac tandem demonstrant quamplures factispecies, coram hac Sacra Congregatione discussae, in quibus clandestinitas mere iuridica vitiavit matrimonia quae tamen publice et « in facie Ecclesiae » reapse celebrata fuerant.

Moderatio, qualiscumque tandem admittenda videatur, non debet ad solas restringi maiores urbes, nec legem verae clandestinitatis quatenus

idemque est parochus, nempe *proprius,* qui ius habet matrimonio assistendi et benedicendi. Idque eo vel magis quod in communi loquendi usu parochus quoad parochianos ille intelligitur, qui est eorum *proprius,* quia parochus et parochiani sunt termini correlativi, qui ad invicem relationem dicunt. Accedit quod tempore, quo habita fuit Synodus Tridentina, deficientibus locomotionis celeribus mediis, minima erat incolarum mobilitas, ac proinde quisque apud parochum proprium nuptias inire facile poterat. Quibus additur auctoritas ipsius S. Congregationis Concilii, cuius est authentice Concilii Tridentini dispositiones interpretari, quaeque iam paulo post editam Synodum, annis nempe 1573 **et** 1589 « ***validum*** **declaravit matrimonium contractum *coram parocho unius ex contrahentibus*** » **; quae decisio in sententia adversariorum saltem inutilis evaderet. Haec praeterea semper fuit iurisprudentia, quam Sacrae Congregationes per plura edita decreta efformarunt, et haec est doctrina generatim recepta apud doctores, inter quos Sánchez, qui *(tract, de matrim., lib. 3, disp. ig),* ad trutinam revocatis rationibus contrariis, Tridentinorum Patrum mentem tradit, atque concludit « ad matrimonii valorem necessarium esse, ut assistat proprius utriusque contrahentis parochus, ac intra propriae paroeciae limites ».**

Quidquid de praesenti quaestione sentiendum sit, in omnium tamen votis est ut, attentis peculiaribus hodierni temporis conditionibus, in novo codice ecclesiastico decernatur: ut *quilibet* Ordinarius vel parochus aut etiam simplex sacerdos ab alterutro rite delegatus, saltem intra limites proprii territorii, valide matrimonio assistere possit *(N. R.).*

irritantem infirmare, nec etiam praevias uilatenus tangere omnium matrimoniorum conditiones a iure praefixas : ideoque semper et ubique terrarum, tum obligatio statum liberum rite comprobandi, tum lex publicationum (in locis ubi viget *Tametsi,* iuxta modum ab ipso Tridentino praefixum; in aliis vero locis iuxta modum Concilii Lateranensis) (r), in suo robore stent oportet.

Moderatio fieri posset:

Primo, per faciliorem adeptionem quasi-domicilii, statuendo nempe:

a) Quod quasi-domicilium sufficienter acquisitum erit per praeviam in eadem paroecia commorationem *semestrem; et* tunc parochus istius paroeciae proprius erit et matrimonio, absque ulla delegatione ullave exploratione animi commorandi, valide ac licite assistere poterit. Haec moderatio nihil aliud esset, ut patet, nisi generalis extensio Decreti seu privilegii Parisiensis supratranscripti.

b) Quod quasi-domicilium, per praeviam *unius integri mensis* in eadem paroecia commorationem, acquisitum erit (non dico: *censebitur* aut *praesumetur* acquisitum, ne fiat iterum sub alia forma reditus ad *animum* commorandi ; sed acquisitum erit) et tunc parochus dictae paroeciae sufficienter erit proprius, ut in praecedenti : quod aequivaleret extensioni generali Baltimorensis indulti suprarelati. Videtur heic recolendum quod si modificatio seligatur statuenda per faciliorem adeptionem quasi-domicilii parochialis, longe melior et aptior erit, meo quidem humili sensu, commoratio mensilis quam commoratio semestralis, propter rationes superius indigitatas. Attamen in tali modificatione (propter commorationem sive unius, sive plurium, sive sex mensium), nulla praeter positivam voluntatem Legislatoris sic edicentis, nulla perciperetur ratio vere substantialis: nam commoratio non est de constitutivis matrimonii, neque de genuina notione clandestinitatis, et ne quidem de notione domicilii vel quasi-domicilii, quum in utroque factum commorandi tantum requiratur ac sufficiat, non autem praevia per mensem aut bimestre semestreve commoratio.

c) Quod nupturientes qui, proprium domicilium alibi retinentes, in alienam adveniunt dioecesim, *in ea dioecesi* tum domicilium tum quasi-domicilium acquirere valeant: domicilium scilicet iuxta conditiones legislationis hodiernae pro domicilio parochiali adquirendo stabilitas; quasi-domicilium per factum (absque exploratione animi) praeviae intra dioe-

(1) Exoptabilis foret, etiam quoad bannorum proclamationes, quaedam unificativa modificatio.

cesanum territorium continuae commorationis unius mensis (i), tum intuitu matrimonii, coeteris omnibus apprime servatis, contrahendi, tum intuitu dispensationes, si quae forte requirantur, obtinendi: id est per domicilium vel quasi domicilium *dioecesanum.* **Tunc Ordinarius ipse proprius erit, et modo sibi beneviso parochos actualis commorationis delegare poterit, ut supra dictum est.**

Secundo, **per aptiorem er simpliciorem ipsius clandestinitatis interpretationem, statuendo videlicet:**

a) **Quod in locis ubi' viget caput** *Tametsi* **parochus testis est ex officio qualificatus, in sensu Decreti, omnium omnino matrimoniorum quae, ipso vel eius Delegato praesente, coram duobus tribusve testibus** *in paroecia sua,* **coeteris servatis, celebrantur.**

b) **quod proinde valida licitaque sunt matrimonia domiciliatorum et quasi-domiciliatorum (in sensu legislationis hodiernae) ;** *illicita* **vero non autem** *invalida* **matrimonia quae ab advenis nondum sufficienter forsan quasi-domiciliatis, in paroecia coram parocho (vel eius delegato) duobusque testibus contrahuntur.**

Liceat repetere quod haec interpretatio circa clandestinitatem, nedum opponatur decreto *Tametsi* **econtra genuinae menti Patrum Tridentinorum et ipsimet textui concordior videtur. Et quum coeterum efficacius contra matrimoniorum nullitatem afferat remedium, et insimul obligationem salvet (non tamen sub poena nullitatis) contrahendi propter bonum ordinem et iuris competentiam, coram parocho proprio, eam prae coeteris modificationibus delibatis, Sacro Consessui Vestro, Patres Eminentissimi, submitto, dum omnimoda deferenda genuflexus...**

E Conv. Minorum S. Fr. Cappuc. ad SS. Conc. die 4 **Aprilis** 1904.

Fr. Pius a Langonio, O. M. C, ***Consultor.***

(i) Dico: per *factum* commorationis unius mensis, ne iterum, quoad quasi-domicilium in dioecesi adquirendum, in intricationibus supradescriptis de *animo* commorandi reincidatur.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA ENCYCLICA

SS. D. N. Pii div. prov. Papae X ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae, de inobedientiae ac independentiae spiritu in clericis reprimendo.

AI VENERABILI FRATELLI

ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA

PIO PP. X

Venerabili Fratelli, salute ed Apostolica benedizione.

Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta ***di*** presente l'umana società. Teniamo .perciò come detta a Noi la parola del Profeta : ***Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*** (1); e non manchiamo, ora di viva voce •ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando soprattutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell' episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che Ci spinge a levare di nuovo la voce, è •del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'attenzione del vostro spirito e tutta l'energia del vostro pastoral ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti •effetti : e, se con mano forte non si svella dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni. — Abbiamo infatti sott'occhi le lettere di non pochi fra voi, o Venerabili Fratelli ; lettere piene di tristezza € di lagrime, le quali deplorano lo spirito ***d'insubordinazione*** •e ***d'indipendenza,*** che si manifesta qua e là in mezzo al

(1) Is. LVIN, I.

clero. — Purtroppo un'atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni ; e gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda : *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem sfiemunt, maiestatem autem blasphémant* (i); oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comecchessia fino nel santuario ed infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell' Ecclesiastico : *Natio illorum, obedientia et dilectio* (2); è cosa questa che Ci ricolma l'animo d'immenso dolore. — Ed è soprattutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei Seminari si preparano al sacerdozio.

Pertanto, o Venerabili Fratelli', sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esizialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito : *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (3). Esigete severamente dai sacerdoti e dai chierici quella obbedienza, che, se per tutti i fedeli è assolutamente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, gioverà assaissimo, Venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostolo a Timo-

(1) Iud., 8.
(2) ni, i.
(3) II, 15.

teo: ***Manus cito nemini imposueris*** **(i).** **È** la facilità infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni quella, che apre naturalmente la via ad ***un moltiplicarsi di gente*** nel santuario, che poi ***non accresce letizia.*** — Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh ! qual motivo, o **V**enerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani ? Se la scarsità del clero »non può essere ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbano assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio, istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un ufficio umano qualsiasi, al quale ognun che il voglia e per qualunque ragione abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma, come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi ; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della niente.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, Venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo : sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri Seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali voi li avrete educati. — Gravissima

(i) I Timoth. v, 22.

è su ciò la lettera che vi diresse, in data **8** Dicembre 1902, il Nostro sapientissimo Predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato (1). Nulla Noi vogliamo aggiungervi di nuovo; richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente, che al più presto sieno messi in esecuzione i Nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi é Regolari, sulla concentrazione dei Seminari, specialmente per gli studi della Filosofia e della Teologia, a fine di ottenere così il grande vantaggio derivante dalla separazione dei Seminari piccoli dai Seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I Seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano ***esclusivamente*** destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all' alta missione di ministri di Cristo. — Gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato Nostro Predecessore e da Noi nelle Lettere Apostoliche del 23 Gennaio 1904 (2). I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamando al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall' insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni. — Il frequentare le pubbliche Università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. — Sia onninamente impedito che dagli alunni dei Seminari si prenda parte comecchessia ad agitazioni esterne; e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi principi, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 35, pag.** 257.
(2) **Cfr. » » vol. 36, pag. 467.**

alunni. — Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare. — Non manchi da ultimo in verun Seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, eh' è il primo fondamento della vita sacerdotale. — Queste norme, o Venerabili Fratelli, ove sieno da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d'insubordinazione e d'indipendenza, finora da noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocché non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobo spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 Luglio 1894 il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia (1). Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscienza dei Vescovi, perchè non abbiano ad avverarsi mai in veruno di loro le parole di Nahum profeta: ***Dormitaverunt pastores tui*** (2). — Nessuno può avere facoltà di predicare, ***nisi prius de vita et scientia et moribus probatus fuerit*** (3). I sacerdoti di altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. — La materia della predicazione sia quella indicata dal divin Redentore, là dove disse: ***Praedicate evangelium...*** (4). ***Do-***

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 27, **pag.** 162.
f2) III, 18.
(3) **Conc. Trid., Sess. v, cap.** 2, ***de Reform.***
(4) **Marc, xvr,** 1 5 .

ceníes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis **(i**). Ossia, come commenta il Concilio di Trento: ***Annunciantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant*** (2). — Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo ; si antepongano le prediche morali a conferenze, il men che possa dirsi, infruttifere; si parli ***non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis*** **(3).** Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concili.

Conformemente a queste norme, Venerabili Fratelli, egli è duopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che talun di essi, più cupido degli interessi propri che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani ; e voi ammonitelo, correggetelo; e se ciò non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno. — La quale vigilanza e severità tanto più dovete voi adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale ; e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo ; ond'è che resta sempre a voi il rispondere innanzi a Dio del modo col quale viene dispensato ai fedéli il pane della parola divina. — Noi, per declinare da parte Nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinari di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammoni-

(1) Matth, xxviir, 20.

(2) **Loc. cit.**

(3) I Cor. li, 4.

zioni, anche durante la predicazione qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente alle ingiunzioni della precitata Istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del Catechismo fatta dai loro parroci, anziché dover assistere a predicazioni che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando purtroppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità, è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o Venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte dal Predecessore Nostro d'immortale memoria.

Parliamo, ben l'intendete, della Istruzione, che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 Gennaio 1902, e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curaste l'esecuzione (1). — Questa Istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di Nostra potestà ne rinnoviamo tutte e singole le prescrizioni; come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stesse all'uopo emanate nel ***Motu-proprio*** del 18 Dicembre 1903 ***De populari actione christiana moderanda,*** e nella Lettera circolare del diletto figlio Nostro il Cardinale Segretario di Stato, in data 28 Luglio 1904 (2).

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nel-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 34, pag. 401.

(2) Cfr. » » vol. 36, pag. 33g; et vol. 37, pag. 19.

l'art. 42 della Costituzione Apostolica *« Officiorum »* (1): ***Viri e clero.... prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.*** — Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuna del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall'Ordinario. — Le conferenze sull'azione popolare cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell' Ordinario del luogo. — Ogni linguaggio, che possa ispirare nel popola avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana. — E similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che, ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a ***nuovi orientamenti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell' anima moderna, nuova vocazione sociale del clero,*** nuova civiltà cristiana, e simili. — I sacerdoti, specialmente i giovani, benché sia lodevole che vadano al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all'autorità e ai comandi dei Superiori ecclesiastici. E purè occupandosi, con la detta subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile compito « di togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtuoso; riaffermare gli adulti nella fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni, che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i principi di giustizia e carità evangelica,

(1) 25 **Gennaio** 1897. — **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 36, **pag.** 39.

ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convivenza.... Ma abbiano sempre presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a capò dei fratelli ***animarum causa*** (i) : qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente riprovata» (2).

Del resto, Venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare d'idee ed a questo dilatarsi di spirito d'indipendenza, colla Nostra autorità proibiamo d'oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo poi più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici d'inabilità agli Ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione ***ipso facto a divinis,*** di ascriversi alla ***Lega democratica nazionale,*** il cui Programma fu da Roma-Torrette li 20 Ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione Provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che, avuto riguardo alle condizioni presenti del Clero d'Italia, ed in materia di tanta ^portanza, esigeva da Noi la sollecitudine dell' Apostolico ufficio. — Ora altro non Ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, Venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni Nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra ; estinguetelo con prontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio - lo spirito di prudenza e

(1) **S. Greg. M.,** ***Regul. Past.,*** **pars n, c. vir.**

(2) **Ep. Encycl. 8 Dee.** 1902. — **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 35, pag.** 257.

fortezza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro, il 28 Luglio 1906, anno terzo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X

ALLOCUTIO

Quam Pius PP. X, die 18 Ianuarii 1904, habuit ad Sodalitatem iuventutis catholicae romanae.

Sempre cari Ci son gli omaggi e le congratulazioni dei fedeli, di qualunque condizione essi siano, e da qualunque parte essi vengano ; ma non troviamo parole per esprimere la Nostra viva soddisfazione e la sincera Nostra riconoscenza pei sentimenti e le proteste di devozione, che Ella, Signor Presidente, ha espressi a Noi ed alla Chiesa in nome proprio e degli ottimi suoi compagni della Società della Gioventù cattolica romana.

La Società della Gioventù cattolica, sorta in momenti di aspre lotte, quando i nemici del nome cristiano, approfittando della inesperienza della gioventù, lusingandone le passioni ed abusando delle doti, che la distinguono, cercavano di infiacchirne gli animi, corromperne i costumi e gittare nei giovani i germi funesti della incredulità e della indifferenza: la Società della Gioventù cattolica, istituita quando la Chiesa era assalita da ogni parte e abbandonata da quelli stessi che fino allora Le si erano dimostrati ipocritamente fedeli: questa Società, che, vincendo gli umani rispetti, ha difeso, imperterrita i diritti conculcati della Chiesa, ha consolato nelle Sue angustie il Pontefice, Lo ha aiutato nei Suoi bisogni, ed ha reso popolare e venerato non solo neh' Italia, ma in tutto il mondo, il nome di Lui : questa Società, che manifestò la sua azione in tante opere religiose e civili, appli-

cando il solenne precetto della carità verso Dio e verso gli uomini: questa Società, che ben a ragione può dirsi madre di tutte le altre che sorsero in appresso, dei Congressi cattolici, delle pie opere per gli interessi cristiani, delle unioni artistiche ed operaie, e che nelle stesse lotte riscosse non solo l'applauso dei buoni, ma anche il rispetto e l'ammirazione degli avversari, ha nobilmente meritato della Chiesa e del Romano Pontefice.

Oh, Noi li ricordiamo con vera compiacenza quei generosi campioni, oggi già provetti, i cui meriti si vorrebbero misconosciuti, ai quali la Chiesa è debitrice di trionfi e ai quali, anche ai più lontani, Ci è dolce di mandare con ammirazione e gratitudine il più affettuoso saluto. — Era vivo in quei giovani lo spirito di fede, e quindi, invitto il coraggio, che, nelle lotte, rinnovavano accostandosi alla mensa Eucaristica; era perfetta l'unione, nella obbedienza riverente a chi li dirigeva ; erano esemplari e deliziose le adunanze, senza gare e senza grida rumorose ed incomposte. Ognun d'essi si conteneva, senza ambizioni e come semplice gregario, in questo esercito, che, nella amorevole concordia, fu sempre vittorioso.

Figli di quei valenti, procurate di non esser da essi degeneri, e, prendendo forza dal Principe degli Apostoli, di cui il vostro circolo porta il nome, perseverate col vostro zelo nelle innumerevoli opere, per le quali siete tanto benemeriti della causa cattolica, e per esser degni di una lode piena, colla concordia, colla obbedienza e colla unione perfetta, siate di esempio a tutti gli altri circoli d'Italia.

In tutti i tempi, i vecchi soltanto erano i capi e i direttori della società ; i giovani le braccia e i fedeli esecutori. L'età presente con aperta ribellione e con febbre d'indipendenza, vorrebbe invertito quest'ordine ; ma come è possibile che abbia vittoria un esercito, la cui direzione sia affidata a coloro, che, pur essendo generosi, non hanno nè senno,

nè esperienza? La Storia sacra ci ricorda il fatto di Roboamo, ***qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo.*** Ma quale fu la conseguenza di questo inconsiderato procedere? La divisione del regno di Giuda. Affinchè pertanto sia risparmiata alla causa cattolica una sorte sì amara, combattete tutti come combatte una disciplinata falange : la forza delle giovani braccia si presti ossequente al maturo senno del capo, e dalla concorde azione del duce e del milite sorga il trionfo della vittoria.

EPISTOLA

Qua Pontifex commendat plures parochos pro observantiae officiis ac pro eorum navitate.

DILECTO FILIO

ALOISIO MARIGLIANO SACERDOTI

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratiam tibi collegisque tuis bene multis et agimus et habemus, propter oblatas Nobis amoris observantiaeque significationes egregias, additumque, animi vestri mansurum testem, nobile, re et artificio, donum : quae quidem a vobis, utpote animarum procurationi addictis, profecta, peculiarem in modum iucunda Nobis acciderunt. Nam si gratum commemoratu vobis est, Nos, ex ordine vestro egressos, inivisse, Deo volente, cursum honorum, quo ad Apostolicam Cathedram provecti sumus, non minus Nos libenter recordamur memoriam eius temporis, quum in eodem, ac nunc vos ministerio, fuimus : ministerio sane laborioso et arduo ; sed magno et sanctissimo, cuius etiam asperitatem suavissima spiritus solatia saepe tempérant. In praesens autem quanta Nos

curarum et sollicitudinum moles premat, vos habetis cognitum ; siquidem, ob inimicissima fidei moribusque christianis tempora, salutem animarum passim in discrimine esse deploratis. Iamvero ad medendum tot tantisque malis, proptereaque ad levamentum Nobis afferendum immensi ponderis, mirum quantum in vobis est, dilecti filii, quibus populus christianus, magis quam clero cetero, utitur ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei. Talis, ut plurimum, est paroecia, qualem finxerit ac formant, voce et exemplo suo, parochus. Quemadmodum enim, si parochus sanctimonia vitae ac studio animarum eluxerit, facile continebit in officio gregem, deviosque reducere ad frugem poterit, ita, contra, si ipse officiorum suorum immemor apparuerit, is non modo nullus iam erit ad salutem gregis, sed efficacissimus ad ruinam. At vero de vobis, dilecti filii, dubitandum non est, quin virtutibus omnibus, quae pastorem bonum decent, ornati sitis; quarum virtutum argumentum quoddam inest in ea diligentia, qua Vicarium Iesu Christi, Principis pastorum, observatis et colitis. Pergite ergo pro instituto vestro in aedificationem Corporis Christi elaborare, atque etiam sumite* animos confisi patrocinio Virginis ab origine Immaculatae, quod Nos enixe vobis adprecamur. Auspicem caelestium munerum ac singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte fili, universisque et singulis collegis tuis, qui suam erga Nos voluntatem tecum testati sunt, atque iis omnibus, quorum curam geritis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris, festo Immaculatae Conceptionis Mariae, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X approbat asceterium Mariae D. N. ad Xhpvémont pro viris ex omni civitatis ordine.

DILECTO FILIO
VEDASTO CAROLO CRIQUELION SAC. E S. J.
PRAESIDI ASCETERII MARIAE D. N. AD XHOVEMONT
LEODIUM

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exercitiorum Spiritualium consuetudinem, qualem praesertim, caelesti prorsus consilio, Sanctus Ignatius, legifer Pater vester, induxit, semper Nos magni fecimus, utpote in qua ad emendandos mores et christianos refovendos spiritus mirifica quaedam insit efficacitas. Nunc autem, quum in hoc Apostolatus fastigio collocati sumus, eo clarius apparet Nobis quantum adiumenti afferre possit consuetudo eiusmodi ad propositum, quod habemus, instaurandi omnia in Christo; si quidem, praeter clericos, a laicis quotidie pluribus teneatur. Quamobrem, dilecte fili, intelliges cognovisse Nos perlibenter, asceterium, cui praesides, viris ex omni civitatis ordine, annum iam quartum, patere ; ad statos crebro secessus convenire frequentes, nominatim opifices et conductores operum.; fructus autem, qui consequuntur, uberrimos esse et sanctae consolationis plenos, ac saepe fieri ut, qui in istud pietatis domicilium falsas de religione opiniones et vacuum officio christianum nomen secum tulerint, iidem conversis feliciter animis egrediantur, voce exemploque popularibus suis hortatores ad frugem futuri. Sane non potuistis meliorem ullam rationem instituere opitulandi operariae plebi, tantis hodie periculis, in istis maxime regionibus, obnoxiae. Revocando enim homines ad cogitationem aeternarum rerum, ac persuadendo ad altiora et magnificentiora multo, quam haec

caduca, bona omnes esse natos, confirmabitur vulgo conscientia officii et, qui inferiore utuntur fortuna, non facile infatuari se sinent ***socialista-rum*** fallaciis, beatitatem hominis omnem praesentis vitae spatio concludendum. Itaque et vobis, quorum laboribus studiosisque curis, et iis, quorum gratia et subsidiis opus tam salutare tamque opportunum viget, amplissimam tribuimus laudem. Deo autem cum agimus gratias, propterea quod communia conata vestra benignus adiuvit, tum preces adhibemus, ut adiuvet in posterum, ac, fautores auxiliatoresque vobis multos adiiciens, id ipsum opus ad incrementa in dies laetiora promoveat. Auspicem caelestium munerum ac benevolentiae Nostrae peculiaris testem, tibi, dilecte fili, sodalibus tuis, et ceteris omnibus, qui in hoc genere tua, qua et Nostra sunt, vota secundent, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris, per sacra sollemnia Virginis Immaculatae, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gaudet de obsequio sibi praestito a Sodalitate Mariana urbis Burghausen.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
MODERATRICI SODALITATIS MARIANAE
APUD SACRAM FEMINARUM ANGLICARUM DOMUM
BURGHAUSEN

PIUS PP. x

Dilecta in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Descriptum ornatumque affabre libellum excepimus, in quo eum, quem in Personam Nostram sodalitas ista Mariana adhibet cultum, significatum perbelle expressumque plane

voluistis. Quod quidem iucundissimum obsequii genus eo gratiore est a Nobis voluntate susceptum, quod non solum a coetu exhiberetur, qui esset in excolendis Deiparae laudibus totus, sed etiam ea ipsa tempestatis laetitia daretur, quae, ob solemnia iubilaria Virginis Immaculatae, opportuna maxime accideret. Laudis idcirco Nostrae testimonium accipite, illudque ne umquam deponatis e mente, eam Nos probare in primis erga Vicarium Christi reverentiam, quae sit cum Sanctissimae observantia Virginis iuncta. Testem paternae benevolentiae Nostrae gratiarumque divinarum auspicem, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xii Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X gratulatur Episcopis Peruvianis de celebrato triennali conventu.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
EMMANUELI ARCHIEPISCOPO LIMANO
CETERISQUE EPISCOPIS REIPUBLICAE PERUVIANAE.

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magnopere Nos vestra vel in pastorali officio diligentia, vel sanctarum praescriptionum custodia, vel studiosa erga Iesu Christi Vicarium observantia delectat, confirmata a vobis proxime, quum una simul convenistis, ecclesiarum vestrarum causa, quumque, conventu habito, certiores Nos de rebus communiter actis per amantissimas litteras fecistis. Equidem persuasum habemus, hos Episcoporum conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione

aut provincia regnum Dei ; conferendo enim inter se consilia sacrorum Antistites, non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates populorum, et, quae sint magis opportuna factu, statuant, sed etiam ut cohaerescant invicem coniunctus: quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Quare legis instar sanctissimae illud servari velimus, quod est in Plenario Americae Latinae Concilio praescriptum, ut exacto quoque triennio, episcopales in singulis nationibus vestris habeantur coetus. Huic vos quidem praescriptioni obsecuti estis : neque est dubium, quin semper in posterum obsecuturi sitis diligenter. Nostis horum iniquitatem temporum, quantumque adhiberi studium oporteat, ut et disciplinae integritas apud clerum in tuto sit, et fides moresque probi vigeant in populo, et ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est, Ecclesia vindicetur. Ista vero vobis esse curae, consulta et decreta demonstrant conventus vestri: quem Nos, vobis adnitentibus, iuvante Deo, salutares laturum fructus, qui expectantur, confidimus. Auspicem divinorum munerum ac testem effusae benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, ac vestro cuiusque gregi Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Septembris a. MCMV, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X commendantis Opus Theologiae Moralis a P. Aert» nys conscriptum (i).

DILECTO FILIO
IOSEPH AERTNYS SACERDOTI
E SODALITATE SS. REDEMPTORIS
WITTEM.

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tuos de morali theologia libros quemadmodum iucundo animo, oblatos muneri, accepimus, ita libenti et grata voluntate dilaudamus. Equidem magister disciplinae tam gravis, qui quinquennia esset quinque in tradenda theologia morum emensus, nullum poterat uberiorem sive scientiae sive usus rerum proferre fructum, quam qui editus a te est. In quo non perspicuitas sententiarum placet sola, sed gravitas etiam rerum, optimis suffulta non tam auctorum quam rationum fundamentis ; quamquam, si doctorum velimus praestantiam spectare et pondus, eum tibi reperimus delectum habitumque constanter ducem, quem huius studiosus quisque doctrinae inoffenso semper decurrat pede. Quamobrem meritum te praeclare quum de clericis in studia incumbentibus, tum de sacrarum confessionum administris, gratulatione prosequimur et voto; tali nempe voto, ut non modo perficiendae sacerdotum scientiae prosis abunde, sed etiam parandae facilius fidelibus multis saluti. Testem benevolentiae Nostrae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam tibi benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Maii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

(i) Opus Theologiae Moralis, de quo hic sermo est, septimam iam sortitur editionem in pluribus auctam et emendatam *(N. R.).*

EPISTOLA

Qua Pontifex laetatur cum P. Lépicier ob plura edita opera.

DILECTO FILIO
ALEXIO MARIAE LÉPICIER
SAC. EX ORDINE SERVORUM MARIAE
DOCTORI DECURIALI SACRAE THEOLOGIAE TRADENDAE
IN SCHOLIS COLLEGII CHRISTIANO NOMINI PROPAGANDO.

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum tu magisterium sacrae theologiae in scholis Collegii Urbaniani iamdudum egregia cum laude obtineat, recte facis planeque secundum vota peritorum, ea vulgando quae his non paucis annis commentatus es in usum disciplinae. Sic enim non modo alumnis tuis melius consulis; sed multo pluribus copiam praebes de ingenio eruditione studioque tuo proiiciendi. Itaque existimare debes pergrata accidisse Nobis oblata a te nuper volumina, in quibus ad mentem Doctoris Angelici ***de Deo uno, de Sanctissima Trinitate, de Incarnatione Verbi*** tractas. Et quidem probari in his videmus vel subtiliter explanatam copioseque ex similibus locis illustratam doctrinam Aquinatis, vel nervose Scripturarum Patrumque fundamentis constituta dogmata, vel idoneos e scientiae incrementis petitos fructus, vel perspicuum ac tamquam pietatis odore imbutum scribendi genus. Nec minus placuisse doctis viris intelligimus caetera tua scripta, quae Nobis pariter obtulisti libros ***de Opere sex dierum*** ac ***Tractatum de Beatissima Virgine Maria Matre Dei,*** iterum a te emendatiorem auctioremque editum. Quare gratulamur tibi; atque etiam magnopere auctores sumus, ut quidquid praeterea in hoc genere confeceris, ne intra tuae scholae fines contineas, verum cum bono multorum emolumento in lucem proferas. Auspicem caelestium munerum ac testem singularis benevolen-

tiae Nostrae tibi, dilecte fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxxi Maii an. MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X ad Episcopos Provinciae Mediolanensis Concilium provinciale mox habituros.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salute7n et Apostolicam benedictionem.

Pergratus Nobis, ut intelligitis, nuntius fuit, communi vestra allatus epistola, Provinciale vos Concilium mox habituros, eiusque etiam initia et fundamenta quaedam Rhaudii ad Virginis aedem posuisse. In quo vestrum cum pastorale studium, tum pietatis erga Nos obsequium laudamus. Nam coire in unum, ut sacram provinciae vestrae disciplinam opportune firmaretis, certum vobis erat; sed diligenter censuistis maturandum, ubi id Nobis placere sensistis. Nos vero, quemadmodum ad ineundam rem suasores vobis fuimus, ita ad perficiendam adiutores esse volumus: propterea Spiritus Sancti lumina et auxilia consultantibus affluant, enixe vobiscum precabimur. Nostras autem preces potenti patrocinio suo certe auctura est Maria beatissima, cuius imploranda ope feliciter coepta vestra auspicati estis. Interea coelestium munerum pignus et paternae Nostrae benevolentiae testimonium, Apostolicam benedictionem habete, quam vobis, dilecte Fili et Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iunii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Sodalitas Bonifaciana a Pontifice commendatur.

DILECTO FILIO
URBANO SCHACHLEITER O. S. B.
PRAESIDI SODALITATIS BONIFACIANAE
PRAGAM

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Illustria atque explorata Sodalitatis Bonifacianae promerita, cuius fructus, tum ad religionem tum ad civilem cultum et patriae amorem abunde latos, plus semel dignos duximus laude, tuo esse nomini actionique coniuncta libenti animo novimus. Etenim moderatoris munere perfungentem Sodalitatis a Sancto Bonifatio ac menstrui commentarii, cui item a Sancto Bonifatio nomen, plurimum te utilitatis catholicis Austriae creare compertum habemus; eos quippe et in avita tuenda fide confirmas et a praeiudicatis dissentientium opinionibus immunes reddis ac liberos. Id autem scribendi regendique commentarii opus, aetati tam congruum nostrae, actuosis etiam, crebris, fecundisque auges laboribus expeditionum sacrarum, illuc nimirum assidue prompteque te sistens, quo gravior ab hostibus feratur impetus. Itaque grate Nobis contingit, quae ipse multiplici studio atque industria perficis ad populorum sincera ac mansura provehenda bona, laude et commendatione prosequi, eam etiam in rem ut animos inde capias novos pro sollertia exaugenda tua. Nec minus gratum est hoc uti loco posse Benedicti Sauter, Abbatis dilaudandi, e quo quum exemplum profectum esse scimus prohibendi arcendique inimici conatus, tum potissima derivata fuisse operi praesidia cognovimus; te quippe is legit tribusque rei ducem, comitemque adiunxit, propositi studiosissimum, Augustinum Galen. Mens vero Nobis est neque ullum non

Nostra complecti voluntate, quem clara apud vos merita décorent, neque ullum debere in vobis esse reliquum, quem non ardor inflammet eiusmodi promerendae laudis. Quapropter et Episcopos, et clerum et populum Austriae universum vehementer adhortamur, ut, coniunctis in unum viribus, iussaque aut consilia hinc dando, inde exequendo, audax funestissimumque facinus eorum propulsent, qui, cum Ecclesiae patriaeque calamitate, animos nituntur a Romana Fide segregare. Vota demum pro communis contentionis exitu nuncupantes, illudque etiam expetentes, ut quos labores pro re catholica fertis, et mente fideles percipiant et actione generose adiuvent, testem Nostrae benevolentiae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi ac ceteris, qui una tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iunii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X gratulatur de sedulitate Societatis Paullianae in divulgandi s catholicis scriptis.

DILECTIS FILIIS
MAXIMILIANO ZARA PRAESIDI
ET SODALIBUS SOCIETATIS PAULLIANAE
CATHOLICE SCRIPTIS DIVULGANDIS
ROMAE

PIUS PP. x

Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exacto societatis istius anno tricesimo, fecistis vos quidem gratum, quod cum fidei pietatisque erga Nos vestrae signi-

ficatione, indicem Nobis gestarum hoc intervallo rerum obtulistis. Non enim, haec Nos legentes, mediocrem cepimus voluptatem, quum cerneremus animo, ex librorum optimorum a vobis diffusa copia quantas christiano populo utilitates attulisset. Gratulamur his laborum vestrorum fructibus, atque ut alacres propositum studeatis persequi, hortamur: quamquam intelligimus isti alacritati studioque vestro non parum facultatum angustias remoram facere. Atqui, si quod est instituti genus dignum cui catholicorum liberalitas adsit, vestrum est profecto, quo gravissimum horum temporum coercere malum pro virili parte contenditis. Quam multa quotidie disperguntur in vulgus impie nefarieque scripta, quae popularem religionis verecundiam labefaciant, quae mores corrumpant, quae ad ipsa convellenda humani convictus fundamenta pertineant! Gliscitque pestis, venia legum, qua licet, quidquid libeat, typis in lucem proferre. An vero, hoc instrumento in utramque partem efficacissimo improbi abutentur ad perniciem christianae societatis, nec ullis propterea parcent sumptibus; eodem autem boni non, quantum opus est, utentur ad salutem? Faxit Deus, ut sui quisque memor officii in hac causa, vobis itemque ceteris, quorum eadem est salutaris industria, pro facultatibus opituletur. Vosque a commendatione Nostra sumite animos, et, divinae Providentiae benignitate freti, quantum est in vobis, bene de Ecclesia, ut instituistis, mereri pergite. Auspicem interea caelestium munerum, et benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Iunii, in Commemoratione S. Pauli Ap., anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

De religiosorum sodalitatibus nisi consulta Apostolica Sede non instituendis.

PIUS PP. X

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam : hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Re-

gularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur (i). At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus :

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat (2).

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, mate-

d) Praescriptiones, de quibus est sermo, continentur in Bulla ***Conditae a Christo*** **diei** 8 **Decembris** 1900 **(Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 33, **pag.** 341) **praesertim** ***cap. i, n. 3 ;*** **necnon in** ***Normis secundum quas S. Congr. EE. et RR. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium,*** **diei** 28 **Iunii** 1901 ***(N. R.).***

(2) **Ordinarii dioecesani potestatem approbandi vel canonice erigendi Instituta votorum tum solemnium tum etiam simplicium, consentiente Apostolica Sede, iam ante saeculum XIII exercebantur. Verum Romani Pontifices hanc facultatem sibi primitus reservarunt in Concilio Lateranensi II** ***(cap.*** **Ne nimia,** ***de relig, dom.)*** **; quod dein subsequentibus decretis confirmarunt. Imo quod ad Instituta votorum simplicium attinet, Pius V Bullis** ***Circa pastoralis*** **et** ***Lubricum vitae genus*** **ea penitus prohibuit. Tractu vero temporis Ecclesia nedum disciplinam Pianam temperavit, sed et huiusmodi Instituta approbare et canonice erigere coepit. Hinc factum est ut etiam Episcopi, Summo Pontifice non improbante, eamdem facultatem saec. XVII et XVIII exercuissent, quam deinde anno** 1900 **a Leone XIII per Bullam** ***Conditae a Christo*** **solemniter confirmatam habuerunt** ***(N. R.).***

ria, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutare licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit (1).

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione ***Conditae*** sancitum est (2).

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvi Iulii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

(1) **Ordinarius nempe approbare nequit constitutiones Instituti, nisi hae conformes sint *Normis,* quibus Sancta Sedes uti solet in novis Institutis approbandis, quum consentaneum omnino sit ut Institutum iam a suo exordio iuxta Apostolicas regulas moderetur *(N. R.).***

(2) **Dicta igitur Summi Pontificis licentia aliud non est nisi *nihil obstat* quominus Institutum votorum simplicium canonice erigatur vel approbetur ab Ordinario loci, sub cuius proinde iurisdictione manere omnino debet, usque dum etiam a S. Sede approbetur *(N. R.).***

ACTA ROM. CONGREGATIONUM
ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

DECRETUM

Quo per elenchum quaestionum praescribitur modus et ratio conficiendi triennalem relationem Institutorum vota simplicia profitentium.

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderaribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinan, materiali et oeconomico propriae cuiusque congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis extant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi ; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuatur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet ; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Itaque haec S. Congregatio negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario Emorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et mo-

deratricibus generalibus Institutorum, per modum ***instructionis,*** cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis SSmo Dno Nostro Pio Divina Providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto die 17 Iunii 1906, ***Sanctitas Sua*** rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur, ut in triennali relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab ***Eadem Sanctitate Sua*** approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant : contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis, die 16 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, ***Praefectus.***

L. *|> S. Ph. Giustini, ***Secretarius.***

INSTRUCTIO

SEU

ELENCHUS QUAESTIONUM

ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in Relatione ad S. Sedem tertio quoque anno transmittenda.

PRAEMITTENDA.

1. **Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando Institutum a S. Sede obtinuerit.**

2. **Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.**

3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.

4. * **Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.**

5. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi.*

6. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. DE PERSONIS.

a) De admissis.

7. **Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.**

8. **Num omnes praescripta testimonia exhibuerim.**

9. **Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.**

10. *(In Institutis religiosorum).* **Num litterae testimoniales per Decretum** *Romani Pontifices* **praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.**

11. **Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.**

12. **In.quanam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.**

b) De Novitiis.

13. Quot sint domus Novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

14. **Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.**

15. **Quot nunc in Novitiatu degant.**

16. **Num Novitii a Professis rite separati existant.**

17. **Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.**

18. **Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Novitiatus sub cura magistri degerint.**

19. **Num, quantum et qua auctoritate, tempus Novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.**

20. **Utrum Novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.**

*** Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.**

21. **Num durante secundo anno Novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.**

22. *(In Institutis Sororum).* **Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituent.**

c) De Professis.

23. **Quot nunc sint in instituto sodales** *a)* **votorum temporaneorum,** *b)* **votorum perpetuorum.**

24. **Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.**

25. **Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.**

26. **Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.**

d) De egressis et dimissis.

27. **Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint** *a)* **ex novitiis,** *b)* **ex professis temporaneis,** *c)* **ex professis perpetuis.**

28. **Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.**

29. **Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.**

30. *(In Institutis Sororum).* **Num in casibus dimissionis professarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.**

3i. *(In Institutis virorum).* **Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum** *Auctis admodum* **; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti**

a) **praemiserint trinam monitionem ;**

b) **admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint ;**

c) **an, quoties et qua facultate processerint summario modo.**

32. *(In Institutis Sororum).* **Num egressis quacumque de causados, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.**

33. **Num iis quae propriis bonis destitutae erant, in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.**

II. DE REBUS.

a) De domibus.

34. **Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus; an et quot habeat provincias.**

35. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

37. **Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.**

38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

39. **Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.**

40. **Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.**

41. *(In Institutis Sororum).* **Num habitatio Capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.**

b) De bonis.

42. **Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae** *a)* **tum Instituti in communi,** *b)* **tum uniuscuiusque domus.**

43. **Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.**

44. **Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.**

45. **Utrum et'quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.**

46. **Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.**

47. **Num illorum bonorum, quae** *capitalia* **vocantur, partem aliquam consumpserint,**

48. **Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.**

49. **Num ab ultima relatione nova debita contraxerint ; quaenam, et qua auctoritate.**

50. **Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.**

51. **Num Procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.**

52. **Num lites de bonis habeant.**

53. **Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.**

54. **Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.**

55. *(In Institutis Sororum).* **Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.**

56. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

57. **Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.**

58. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

59. **Num Episcopo iuxta Constitutionem** *Conditae* **de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.**

60. **Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in aream communem collatum fuerit.**

61. **Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.**

62. **An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.**

III. DE DISCIPLINA.

a) De vita religiosa.

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

64. **Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.**

65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi "eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

66. Num observetur Decretum *Quemadmodum a)* **quantum ad con-**

scientiae manifestationem non exigendam, *b)* quoad sacramentalem confessionem : num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.

67. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

69. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

70. Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.

71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum Instituti tantum, typis edantur absque Episcopi licentia.

73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

b) De observantia quarumdam specialium legum.

74. Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint: *a)* quoad litteras convocatorias; *b)* quoad electionem delegatorum; *c)* quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d)* quoad electionem Moderatoris generalis; *e)* quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

76. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.

79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. Num in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

82. An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam -cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

84. *(In Institutis Clericorum).* Quot annis clerici vacent studiis *a)* litterarum humaniorum, *b)* philosophiae, et *c)* theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum *Auctis admodum* respective praescripta rite perfecerint;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverunt.

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) De operibus Instituti.

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. *(Pro institutis quae stipem ostiatim colligunt).*

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi ;

b) Num decretum *Singulari* d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;

c) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. **Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.**

93. **Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.**

94. **Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.**

g5. *(Pro Institutis Religiosorum).* **Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.**

96. **Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.**

97. **Num in Istituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?**

98. **Num querelae vel difficultates existant** *a)* **cum Ordinariis locorum,** *b)* **cum confessariis,** *c)* **cum capellanis.**

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed **etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.**

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. *jfa* **S.** **Ph. Giustini,** *Secretarius.*

DECRETUM

Quo conceditur usus Cappae Magnae Praesulibus Congregationum Ordinis S. Benedicti.

Romani Pontifices non semel Religiosorum Ordines bene de Ecclesia et civili societate méritos, laudibus, honoribus privilegiisque honestarunt. Quod in primis erga Monachorum Nigrorum S. Benedicti Ordinem factum est, quippe qui, historia testante, in his occidentalibus oris, non modo totius mona-

sticae vitae semen, sed etiam bonarum artium eximius vindex et cultor extiterit. Cum igitur Hildebrandus de Hemptinne Abbas Primas totius Ordinis S. Benedicti SSmo D. N. Pio PP. X postulaverit, ut usus Cappae Magnae, quo, ex S. Sedis' privilegio, nonnulli Praesules dicti Ordinis fruuntur, omnibus Capitibus Congregationum Monachorum Nigrorum Confoederationi suae adscriptarum extenderetur, Eadem Sanctitas Sua Predecessorum suorum vestigiis inhaerens, peculiarisque suae benevolentiae pignus praefato inclito Ordini dare volens, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Iulii 1906, benigne concessit, prout praesentis Decreti tenore concedit, usum Cappae Magnae omnibus Praesulibus Congregationum eidem Ordini adscriptarum, ipsis Praesulibus indulgens, ut ea uti valeant non modo in propriis ecclesiis, verum etiam in ecclesiis totius Congregationis, cui praesunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 30 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. S. Ph. Giustini, *Secretarius.*

IANUEN.

FUNERUM

De Missa funebri in ecclesia Regularium celebrata loco funeris habenda, deque emolumentorum perceptione.

Species facti. Die 29 Nov. 1902 in paroecia Ianuensi S. Rochi obiit vidua Pessina, pro cuius cadavere comitando usque ad coemeterium, de vespere vocatus fuit a parentibus vice-parochus, cum onere ibidem Missam celebrandi die insequenti. Sed cum tali die, utpote festivo,' Sacrum persolvere ipse teneretur in paroecia, cadaver ad coemeterium delatum

fuit absque ullo cleri interventu iuxta antiquam consuetudinem, vi cuius cadavera ad coemeterium directe et privatim noctu deferuntur, et funera die septima vel trigesima persolvuntur. Die vero **11** Dec. in ecclesia Visitationis Fratrum Minorum celebrata fuit Missa funebris, inconsulto tamen parocho, qui nedum protestatus est, sed et propria emolumenta repetiit. At detrectantibus Religiosis, res delata fuit ad S. C. EE. et RR. sub infrascripto dubio resolvenda.

Deductiones parochi. Huius patronus contendit Missam funebrem in casu esse verum ac proprie dictum funus, ideoque parocho S. Rochi competere quartam funerariam. Hoc inprimis deducit ex iure communi, et praesertim ex Decretalibus ***(lib. ß, tit.** 28, **cap. i),*** ubi statuitur: « Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii illi ecclesiae dari censemus in qua coelesti pabulo refici consuevit» ; necnon ex Clementinis ***(lib.** 3, **tit.*** 7, ***cap.** 2)* decernentibus quod etiam Regulares « quartam partem parochialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis largiri integre teneantur ».

Hoc confirmari ait orator ex iis quae leguntur tum in Synodo dioecesana a. 1838 ***(cap.** 24, §8):* « Si contingat funus aliquod, non in ecclesia parochiali...., sed in ecclesia Regularium vel alibi ex voluntate parentum celebrari, quae cerae quantitas, ecclesiae, in qua funus locum habuit, est oblata, parochiali ecclesiae offeratur prout cautum est anteactis Synodis et nostrorum decessorum constitutionibus » ; tum in postrema Synodo a. 1896 ***(cap.** 24)'.* «Si funera potiusquam in propria paroecia, inconsulte in alia ecclesia etsi Regularium fiant, inde recepta emolumenta parocho cui debebantur reddi ' volumus et decernimus ».

Quibus consonare videntur declarationes ipsius Vicarii Generalis, necnon Praepositi Collegio urbano parochorum, qui deponunt in urbe Ianuensi, quum associatio funebris in forma tantum privata peracta fuerit vel penitus omissa, vi immemo-

rabilis consuetudinis solemnia funebria, quae inde in qualibet celebrantur ecclesia, tamquam verum ac proprie dictum funus haberi, ac proinde emolumenta parocho defuncti spectare.

Deductiones PP. Minorum. Ipsorum advocatus ex adverso sustinet Missam funebrem die undecima a morte defunctae in casu celebratam pro vero funere retineri non posse. Quod imprimis probare satagit ex decisione S. C. Rituum diei 24 Iulii 1637, n. 643, ubi declaratur vi iuris communis «in arbitrio esse haeredum exequias facere die 3, 7 et 30 pro defunctis ***ubicumque voluerint,*** non obstante contradictione parochorum ». Hinc, arguit patronus, licet Missa in themate consideretur veluti de die 3 vel 30, adhuc in PP. Minorum potestate erat illam celebrandi.

Quod quidem verum esse subdit, etiamsi ageretur de propria Missa exequiali. Parochus enim dumtaxat ex voluntate haeredum defuncti, Missam exequialem persolvere valet; quum ex resolutione S. C. RR. diei 13 Maii 1879, n. 3474 (i) etiam in aliena ecclesia et apud Regulares liceat Missam exequialem cantare. Caeterum omni in hypothesi parochus ex decretis S. RR. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, et 13 Febr. 1892, n. 3767 ad 26, huiusmodi Missam exequialem celebrandi ius haberet, «dummodo non ultra biduum ab obitu».

Neque Missa de Requie in themate, ait patronus, locum funerum proprie dictorum tenere poterat. Nam sub nomine funerum designantur illae exequiae aliique ritus exequiales, qui super cadavere sive physice sive moraliter praesente non ultra biduum ab obitu peraguntur; emolumenta vero funebria iuxta Ferraris ***(v.*** Quarta, ***n. ij)*** « de iure communi dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt, et quaecumque occasione funerum ad ecclesiam perveniunt cum defuncti corpore ». Hisce igitur demptis officiis exequialibus, quae ad parochum iure proprio pertinent, caetera alia officia, quae pro defun-

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol** 12, **pag. 333, necnon vol. 38, pag.** 285 **in nota.**

ctis persolvuntur, spectare dicenda sunt ad ecclesiam, quae ab haeredibus defuncti electa fuit.

Tandem patronus asserit constitutiones synodales loqui dumtaxat de funeribus et emolumentis funerariis proprie dictis seu praesente cadavere; consuetudinem vero contrariam non amplius vigere.

Vota Consultorum. Procurator generalis Ordinis Minorum, qui de suo voto rogatus fuit, propriis Religiosis favet ea praesertim ratione ductus, quia nimirum iuxta decretum S. C. RR. diei 13 Maii 1879, n. 3494, licet, inconsulto parocho at iuxta fidelium voluntatem, Missam funebrem, dummodo haec exequialis non sit nec verum funus secumferat, celebrare in ecclesiis quibuscumque etiam Regularibus.

Alter vero Consultor favet parocho, sive quia in antecessum exequiae factae non fuerunt, quae e contra vi localis consuetudinis peragi deberent die septima vel trigesima ; sive ratione pompae qua funus celebratum fuit; sive denique quia mens fuit propinquorum defunctae ut Religiosi cum parocho convenirent quoad funera et iura. Addit praeterea parti contrariae non prodesse citatum decretum S. Congr. RR. diei 13 Maii 1879, quia in eo agitur de Missa funebri celebrata, sed « postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint » ; quod proinde non verificatur in casu.

Dubium. *An Missa solemnis "de Requie in ecclesia Visitationis Ianuensi a PP. Minoribus Franciscanis celebrata, die undecima post mortem filianae de paroecia S. Rochi, quin in eadem funus persolutum fuerit, pro funere proprie dicto accipienda sit, ita ut percepta emolumenta sint parocho restituenda in casu.*

Resolutio. S. Congr. EE. et RR., omnibus accurate perpensis, die 14 Iulii 1905 respondendum mandavit:

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, recepta emolumenta a Patribus Minoribus parocho tradantur.

Repropositio causae. Sed contra huiusmodi decisionem Fratres Minores beneficium novae audientiae petierunt et obtinuerunt. Hinc eorum advocatus observat quod, licet attentis peculiaribus circumstantiis dicta resolutio faveat parocho, iis tamen deficientibus seu in linea iuris favet potius Regularibus, quum in themate non agatur de funere proprie dicto. Patronus praeterea contendit integram emolumentorum restitutionem parocho faciendam, quin ulla relinquatur pars Fratribus Minoribus, non respondere aequitatis regulis; quodque ostendere satagit tum ex voluntate propinquorum defunctae, qui Minoribus mediam saltem eorum portionem attribuerant, tum ex bona fide Minorum qui in iure communi innitebantur, tum demum ex rescripto S. C. Concilii, quae in casu consimili a. 1893 pro Minoribus pronuntiavit.

Advocatus vero parochi, etsi rogatus, animadversiones suas tempore utili non subiecit.

Dubium. ***An confirmanda vel infirmanda sit sententia huius S. Congregationis diei 14 Iulii ipoy in casu.***

Responsum. Et eadem S. Congregatio, re iterum perpensa, die 12 Ianuarii 1906 rescribendum censuit:

In decisis et ad mentem. Mens est: **i°, *quod emolmnenta parocho restituenda ea exclusive sint quae eidem competerent, si ipsemet praesens adesset;*** 2°. ***quod vero attinet ad funera, Archiepiscopus suos laudabiles conatus prosequatur praecipiendo parochis, nomine huius Congregationis, ut in vigorem revocent praescriptiones Ritualis Romani; atque insuper ut corpora fidelium deferantur ad ecclesiam pro exequiarum celebratione*** **(i).**

Colliges. i°. In ecclesiis Regularium peragi possunt functiones omnes, etiam fúnebres, quae iurium parochialium non sint laesivae.

(i) Vult igitur S. Congregatio ut ad tramitem iuris communis cadavera defunctorum, priusquam ad publicum coemeterium religiose comitentur, publice ac solemniter deferantur ad ecclesiam parochialem, ibique funera expleantur et una simul, si fieri possit, Missa exequialis celebretur cadavere physice vel moraliter praesente ***(N. R.).***

2°. Inter iura parochorum imprimis recensetur solemne funus, nec non Missa exequialis, quae persolvatur oportet praesente cadavere, vel physice, vel saltem moraliter seu non ultra biduum ab obitu.

3°. Aliquando tamen occurrentibus peculiaribus circumstantiis, relate ad emolumenta parochialia habetur, loco Missae exequialis, quae, non persoluto solemni funere in paroecia, etiam ultra biduum a die obitus seu depositionis celebratur (1).

4°. Quum praeterea Missa exequialis iuxta Rituale Romanum non sit praeceptiva, ac proinde absolute omitti possit; dummodo solemnia funerum in ecclesia parochiali persoluta fuerint, transactumque sit biduum ab obitu, Missa funebris licet solemnis in ecclesiis quoque Regularium fieri potest.

5°. In themate proinde quum in paroecia S. Rochi omissa sint funera cum praeiudicio iurium parochi, quumque ex Synodo dioecesana Ianuensi per consuetudinem hucusque vigentem firmata, Missa funebris etiam ultra biduum celebrata loco funeris proprie dicti habeatur, necessario sequitur parocho S. Rochi ius inesse vel eam peragendi vel saltem emolumenta sibi propria exinde obventura percipiendi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VITERBIEN.

ADSCRIPTIONIS SEU ADIUDICATIONIS BONORUM

Decernitur nullum ius competere hodierno Collegio-Convictui Viterbiensi in bona antiqui Collegii Iesuitarum.

Species facti. In civitate Viterbiensi a. 1622 erectum fuit Collegium S. Iesu, cuius munus erat publicas habendi

(1) Ita nuperrime decisum etiam fuit a S. C. Concilii in una *Barcinonen.* diei 29 Iulii 1905 ; ratio est quia secus parochus propriis emolumentis funerariis privaretur. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 283-285 *(N. R.).*

scholas pro iuventutis institutione. Secuta per Clementem XIV a. 1773 suppressione huius Societatis, etiam Collegium fuit extinctum, et eius bona R. Camerae Apostolicae devoluta fuerunt.' Verum, instante Episcopo Viterbiensi, domus et ecclesia cum omnibus supellectilibus extincti Collegii, necnon eius bona ex benignitate S. Pontificis Seminario dioecesano donata et cessa fuerunt. Sed cum in cessione bonorum etiam adiectum fuerit onus publicam tradendi instructionem, sicuti antea Iesuitae solebant; ita Seminarium passim nuncupari coepit Seminarium et Collegium episcopale.

Anno autem 1815 restituta fuit Societas Iesu, et, Pontifice Pio VII petitionibus municipii Viterbiensis annuente, etiam Collegium Iesuiticum redintegratum fuit; simulque inita fuit conventio, vi cuius Patres S. Iesu se obligabant nedum ad habendas publicas scholas, sed etiam ad retinendum, apud se Convictum seu Collegium puerorum; municipium vero sese adstringebat ad rependenda quotannis eidem Collegio scutata 500 pro scholis publicis, et alia 300 pro manutentions Convictus. Cum vero a. 1826 Collegium cum scholis et Convictu dissolutum fuerit per suppressionem a Superiori Generali Iesuitarum decretam, Episcopus Viterbiensis, uti alias evenerat a. 1773, cupiens Seminarii necessitatibus occurrere, expostulavit a Pontifice ut bona Collegii Seminario addiceretur. Verum quia Episcopus in animo habebat publicas scholas continuare, et Convictum puerorum retinere, sicuti iam a Iesuitis peractum fuerat, conventionem die 14 Oct. 1826 inivit, vi cuius Communitas Viterbiensis nedum omnia bona ad extinctum Iesuitarum Collegium spectantia Seminario cessit, sed praeterea eidem, prout iam antea Iesuitis per instrumentum diei 29 Apr. 1816, solvere quotannis scutata 300 pro publicis scholis et alia 300 pro Convictu sese adstrinxit. Die vero 2 Ian. 1827, praehabita Pontificis approbatione, publicum instrumentum redactum fuit, quo Episcopus, ***nomine Seminarii et Collegii episcopalis,*** immissus fuit in possessio-

nem bonorum omnium, de quibus in ipsa anni praecedentis concordia conventum fuerat.

Ex eo tempore in aedibus Seminarii, praeter publicas scholas, duo incoeperunt adesse Instituta, nempe Collegium clericorum et laicorum Convictus, qui novissime ab anno 1878 insigniri coepit nomine Collegii-Convictus. Haec duo Instituta sub unica administratione fuerunt, et quamvis Communitas Viterbiensis nixa fuerit cessum patrimonium vindicare coram laico tribunali, tamen causa cecidit. Recenter vero, occasione separationis bonorum utriusque entis, exorta est quaestio utrum et quatenus dictum Collegium ius haberet in bonis a Iesuitarum Collegio a. 1827 ad Seminarium devolutis. Controversia proposita fuit resolvenda Episcopo Montisfalisci, qui die 4 Iunii 1905 laudum Seminario favorabile emisit; at moderatores Collegii datam decisionem non uti arbitralem sententiam sed potius uti simplex votum reputantes, recursum ad S. C. C. porrexerunt, instantes ut quaestio, iuris ordine .servato, dirimeretur.

Allegationes favore Seminarii. Patronus primo probare sibi assumit Seminarium Viterbiense semper fuisse et esse dominum bonorum antiquitus ad Collegium Iesuiticum pertinentium. Reassumpta enim factorum historia, contendit publicum instrumentum diei 2 Ian. 1827 inter Episcopum et municipium initum corrigere seu variare nequivisse, sub poena nullitatis in praeiudicium factae assignationis, conventionem diei 14 Oct. 1826 iam in terminis approbatam a Pontifice, cui unice bona extincti Collegii Iesüitici devoluta erant. Insuper advocatus urget nullam substantialem discrepantiam inter concordiam et instrumentum existere, si demas nonnulla vocabula et denominationes, quae historia duce subiectum donationis demonstrant, quum scopus a partibus intentus in instrumenti stipulatone in eo fuerit quod iam inita conventio solemniter et perpetuum in modum firmaretur. Nam in instrumento edicitur quidem cessionem bonorum fieri ***fa-***

vore Seminarii et Collegii episcopalis; sed per hoc unum tantum indigitatur Institutum donatarium nempe Seminarium sub duplici nomine, non autem duo entia; secus dictum fuisset ***episcopalium.*** Praeterea, quum Seminarium suffectum fuerit Collegio Iesuitico etiam in scholis publicis, nil mirum est si Seminarium etiam nomine Collegii fuerit insignitum.

Quin obiiciatur hodiernum Collegium partem bonorum Iesuitis spectantium haereditasse, quando illorum patrimonium cessum et translatum fuit favore Seminarii et Collegii episcopalis. Nam Seminarium et Collegium episcopale unum Institutum efformabat tempore factae cessionis, et Convictus a Iesuitis retentus in proprio Collegio, nondum erat Seminario adiectus. Si itaque aperitio Convictus in Seminario est posterior relato instrumento, concipi non potest ipsum cum Seminario constitutum fuisse haeredem patrimonii extincti Collegii Iesuitarum.

Secundo advocatus probare satagit, quod dato et non concesso, quod praeter Seminarium tempore factae conventionis aliud extaret Institutum, hoc profecto dici nequit fuisse hodiernum Collegium-Convictum, cui proinde omnis actio est deneganda. Re quidem vera, extincto a. 1826 Iesuitico Collegio, unum remansit Seminarium. Equidem Iesuitae Convictum retinebant, sed eorum Collegio dissoluto, etiam cessavit Convictus sive hic spectetur ut Collegii accessorium, sive in Collegio consideretur obligatio illum manutenendi, quo postremo casu, demortuo Collegio, desiit obligationis subiectum. Ut Convictus restitueretur, iam cum discessu Iesuitarum expiratus, necessaria fuit iteratio conventionis inter Seminarium et Communitatem ad exemplum illius stipulatae cum Iesuitis anno 1815, prouti factum fuit assentiente Pontifice. Et revera instrumentum loquitur nedum de Seminario et Collegio episcopali sed etiam de Convictu aperiendo. Post factam a Communitate sponsionem de 300 scutatis pro eo solvendis annuatim, in iisdem aedibus, praeter clericorum

Seminarium, etiam Convictus existere incoepit, qui numquam nomine Collegii, aut Collegii-Convietus decoratus fuit ante a. 1878: quum ab hoc anno tantum huiusmodi nomen usurpatum invenitur.

Nam Communitas Viterbiensis datam fidem, iuxta conventionem solvendi quotannis favore Seminarii scutata 500 pro scholis publicis, et scutata 300 pro Convictu, servavit ab a. 1827 usque ad a. 1870, quo tempore secuta Gubernii italici occupatione, Seminarii scholae ex neotericis legibus non amplius recognitae sunt; hinc Convictus, sensim sine sensu vitam amittens, a. 1874 plene fuit extinctus. Seminarium proinde solum dominus superfuit patrimonii sibi ex suppresso Iesuitico Collegio tsansmissi, et quamvis Communitas Seminario vadimonium dixerit coram laico tribunali ad dictum patrimonium sibi vindicandum utpote scholasticum, tamen eius actio fuit reiecta. Cessato Convictu, usque ad a. 1878 tantum Seminarium extitit. Verum ex solertia et zelo nonnullorum sacerdotum factum est, ut ex eo tempore aedes Seminarii iterum aperirentur iuvenibus laicis pro morali et civili instructione; hinc novum Institutum exortum est sub novo nomine Collegii-Convietus. Sed huiusmodi ens toto caelo differt ab antiquo Convictu, cuius favore a. 1827 promissa fuit annualis persolutio scutatorum 300 Seminario facienda, uti liquet etiam ex approbatione ipsius civilis societatis concedentis ut Collegium tamquam novum Institutum aperiretur.

Allegationes favore Collegii. Praemittit defensor patrimonium controversum, attenta eius natura et destinatione, ad Collegium episcopale pertinere. Nam Collegium S. Ignatii erectum fuit pro institutione laicae iuventutis, e contra Seminarium et Collegium episcopale praecipue intendebant clericorum educationem. Exinde factum est ut benefactores horum Institutorum in suis elargitionibus diversos respexerint fines ; neque patrimonii natura ex pluribus successivis translationibus immutata fuit. Siquidem in publico instrumento

diei 2 Ian. 1827 Episcopus ***nomine Seminarii et Collegii episcopalis*** in possessionem immissus est bonorum ad Collegium Iesuiticum antea pertinentium; hinc cessio etiam favore Collegii episcopalis facta est.

Quin ab adversariis oggeratur, tempore secutae conventionis nomine Seminarii et Collegii episcopalis unum tantum Institutum designari, nempe Seminarium ; nam advocatus reponit hanc interpretationem esse contra historiam, quum ante dictam conventionem iam extiterint regulae pro duplici episcopali Instituto, pro clericis nempe et pro Collegialibus. Hoc tantum cum discrimine, quod Collegium ante impositam conditionem, ab Episcopo tenebatur pro lubitu, in posterum vero ad eius manutentionem obligatus mansit vi contractus.

Praeterea patronus addit quod etiamsi Collegii ius clarum et indubitatum non elucesceret ex citato instrumento concessionis Pontificiae, tamen idem ius esse asserendum ex saeculari praescriptione. Sane ab a. 1827 usque ad praesens in aedibus extincti Collegii Iesuitici simul extabat Seminarium et Collegium episcopale sub unica directione et administratione, ac bona cessa in utilitatem utriusque Instituti impensa fuerunt. Imo suffragantur interpretationes, tempore non suspecto editae, quando nempe a. 1869 actum est de separatione bonorum utriusque entis, praesertim a Commissione oeconomica utriusque Instituti, quae declaravit omnia bona ex patrimonio Iesuitico promanantia spectare ad Collegium episcopale.

Deinde patrocinator subiicit ex facta a. 1892 bonorum separatione Seminarium amisisse ius ad dicta bona patrimonii Iesuitarum. Finis enim praecipuus ob quem bona concessa fuerunt Seminario et Collegio episcopali, procul dubio fuit catholica institutio et educatio laicae iuventutis, uti ex ipsa Pontificia concessione liquet, necnon ex mente benefactorum. Quoad usque Seminarium et Collegium episcopale unum ens eftormarunt, hoc Institutum impositae conditioni parebat promovendo instructionem laicae iuventutis ; hinc sibi cesso pa-

trimonio iure uti poterat. At secuta separatione, impositam conditionem amplius Seminarium exequi non valet, quia ex sui natura tantum incumbit clericorum educationi ; quare ad dicta bona nullum ius iactare valet. Quinimo Collegii ius deducitur etiam ex facto, quod in peracta bonorum separatione, aedes, in quibus extabat Seminarium et Collegium, et quae ad extinctum Collegium Iesuiticum pertinebant, Collegio episcopali assignatae fuerunt.

Dubium. ***An et in quanam mensura constet de iure Collegii episcopalis Viterbiensis in bona antiqui Collegii Iesuitarum per cessionem diei*** *2* ***Ianuarii*** *1S2J* ***Seminario et Collegio episcopali concessa in casu.***

Resolutio. S. Congr. Concilii, omnibus accurate examinatis, die 19 Maii 1906 respondendum mandavit:

Negative in omnibus, et amplius (1).

———= > - H B > **5 g o** ^ ^ >———

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

PROVINCIAE TIROLIS SEPTEMTRIONALIS

Circa indultum Missae votivae de Immaculata quoad Religiosas Congregationes recitantes Officium parvum B. M. V.

Rev. Fr. Franciscus Tischler, Lector Ordinis Minorum Capuccinorum in Provincia Tirolis Septemtrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod Rescripto Apo-

(1) **Nullum enim dubium esse potest, Institutum in cuius favorem, approbante Pontifice, cessa fuerunt a municipio Viterbiensi bona extincti Collegii Iesuitici, fuisse Seminarium episcopale, quod tamen, per sibi factam sponsionem solutionis scutatorum** 800, **munus assumpsit publicas habendi scholas pro iuventutis laicae institutione, necnon aperiendi Convictum puerorum. Cum autem hodie Communitas Viterbiensis dicta scutata** 800 **non amplius Seminario solvat, ipsum ab omni onere liberatur** ***(N. R.).***

stolico diei 14 Martii vertentis anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in horis canonicis persolvendis Kalendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis ***in horis canonicis persolvendis*** comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam etc., loco autem horarum canonicarum Officium parvum B. M. V. tantum recitant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Rmo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: «Affirmative, iuxta Decretum ***Ordinis Fratrum Minorum*** 15 Aprilis 1904 ad I. » (i).

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

PISCIEN.

Confirmantur privilegia Collegiatae loci " Montecarlo „.

S. Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, inspecto Motu Proprio ***Inter multiplices*** 21 Febr. 1905 una cum documentis exhibitis et litteris testimonialibus et commendatitiis Rmi Dñi Episcopi dioeceseos Piscien. circa privilegia seu insignia tum Praepositi tum Canonicorum insignis Collegiatae ecclesiae loci ***Montecarlo*** nuncupati memoratae dioeceseos, atque attento specialis Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit:

Pro continuatione seu concessione privilegiorum seu in-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag 691.

signiurrij nempe Praeposito uti Protonotario Apostolico ***ad instar,*** et Canonicis usum collaris violacei et mozzettae cum parvo caputio item coloris violacei, si Sanctissimo placuerit.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacri eiusdem Consilii ratum habens, petitam continuationem et concessionem privilegiorum seu insignium Praeposito et Canonicis supramemoratis absque ulla Apostolici Brevis expeditione indulgere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die]i Iulii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Pro-Praefectus.***

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

AMALPHITAN.

CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICORUM

Decretum quo parochis civitatis " Maiori „ indulgetur facultas utendi rocheto et penula serica violacei coloris.

Apostolicae Sedi, litteris die 7 Aprilis hoc anno datis, parochi ecclesiarum paroecialium civitatis, cui nomen ***Maiori,*** Amalphitanae archidioecesis, retulerunt in eadem civitate, **ob** cleri defectum, ad parochiale munus gerendum fere semper eligi presbyteros, qui iam canonicali aliqua praebenda potiuntur in Capitulo ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae ad Mare civitatis eiusdem, quique proinde secundum Capituli ipsius constitutiones certis quibusdam cohonestantur ecclesiasticis insignibus, dum parochi quolibet ex ipsis sunt destituti. Ne igitur parochiale munus populi existimatione vilescat;

neve qui ad illud gerendum in eadem civitate ***Maiori*** assumuntur, imminutionem quamdam in privilegiis, quibus antequam parochi designati sint uti canonici fruuntur, pati videantur, oratores, commendatione suffulti R. P. D. Henrici de Dominicis Archiepiscopi Amalphitani, humiles SSmo Dno Nostro Pio PP. X preces obtulerunt, ut sibi suisque successoribus facultatem utendi in sacris functionibus rocheto et penula serica violacei coloris oris ex pelle albi coloris vulgo ***armellino*** ornata benigne concedere dignaretur.

Re ad SSmum Dnum Nostrum per me infrascriptum Sacrae Congñis consistorialibus rebus expediendis praepositae substitutum delata, Sanctitas Sua cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, attentis expositis atque Archiepiscopi Amalphitani commendatione, quo splendor divini cultus magis ac magis augeatur, ac parochi civitatis ***Matori*** dictae spirituale fidelium bonum alacriori in dies sollertia fovere studeant, oblatis precibus benigne adnuendum censuit, ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulos parochos ecclesiarum parochialium civitatis ***Maiori*** nomine, archidioecesis Amalphitanae actu existentes a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis, si quibus innodati fortasse existant, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem eorumque legitimis successoribus in perpetuum indulsit ut intra limites Amalphitanae archidioecesis in sacris peragendis rocheto et penula serica coloris violacei cum oris ex pelle albi coloris vulgo ***armellino*** licite ac valide uti possint et valeant, servatis de iure servandis, ritualibus praesertim dispositionibus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis litterae apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius exsecutionem cum facultatibus necessariis et opportunis

etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, commisit Archiepiscopo Amalphitano et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congñis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae die 24 Maii anno Dñi 1905.

Pro R. P. D. Secretario
L. «f» S. Iulius Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Conceditur Indulgentia pro oratione ad S. Ioachim.

Beatissime Pater,

Ioseph Masquilier, sacerdos Congregationis SSmi Redemptoris, Director Annalium Sancti Ioachim, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime petit Indulgentiam pro sequente liturgica oratione:

O Ioachim Sancte, coniux Annae, pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem.

Recitantibus hanc precem semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar a SS. D. N. die 28 Maii 1906, manu propria signatum, exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 1.6 Iunii 190.6.

L, «f* S. f D* Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Ex S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum

URBIS ET ORBIS

Decretum quo indulgentia plenaria conceditur renovantibus vota baptismalia in festo SS. Trinitatis.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X humillimis preces R. P. Francisci Xaverii ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae S. Ioseph Ordinis SSmae Trinitatis, clementer excipiens, quo magis christifideles ad servandas promissiones in susceptione Baptismatis ab ipsis emissas excitentur, Plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit, ab omnibus lucrandam, qui, die festo Augustissimae Trinitatis, alicui piae caeremoniae in parochialibus aliisque ecclesiis, de Ordinariorum licentia et iuxta eorumdem normas, peragendae, in qua solemniter praefatae promissiones denuo nuncupentur, devote adstiterint, simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Kalendis Iunii an. 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia adnectitur preci " Maria Addolorata etc.,,.

Beatissimo Padre,

Il P. Giuseppe Angelucci de' Servi di Maria, parroco di S. Marcello in Roma, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica perchè si degni concedere qualche indulgenza a tutti coloro che recitano la giaculatoria: ***Maria, Addolorata, Madre di tutti i cristiani, pregate per noi ;*** soprattutto, affinchè si ottenga la conversione delle Chiese cristiane dissidenti. Che ecc.

Ex audientia- SSmi, die 4 Iunii ipoó.

SSmus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, etiam animabus in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 27 Iunii 1906.

L. 4$» S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentiae adnectuntur quibusdam invocationibus.

Beatissime Pater,

Cardinalis Episcopus Barcinonen. S. V. humiliter quae sequuntur exponit: i°. Apud Monialium Monasteria haud lucrantur Indulgentiae invocationi ***Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis*** concessae, eo quod post Missam conventualem dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis orator ut Sanctimoniales Indulgentias praedictae invocationi adnexas lucrentur, eam recitantes post Antiphonam ***Angelus Domini*** quae ter in die exorari solet. 2°. Non ita pridem S. V. benigne concessit nonnullas Indulgentias pie recitantibus ***Domina nostra Sanctissimi Sacramenti, ora pro nobis,*** coram SSmo Sacramento solemniter exposito; sed plura extant Monialium Monasteria in quibus non nisi raro Augustissimum, Sacramentum solemniter exponitur. Optandum ergo esset ut* Illud in Tabernaculo asservatum pro iis Indulgentiis sufficiens .conditio habeatur. **3°.** Ad devotionem in Iesum, Mariam, et Ioseph magis magisque fovendam, implorat orator

ut fidelibus Eorum Nomina coniunctim invocantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur toties quoties Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum ; necnon Plenaria semel in mense lucranda, pro rite confessis ac Communione refectis qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint. Et Deus.

Iuxta preces in Domino quoad omnia.

Die 8 Iunii ipo6.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C. die 16 Iunii 1906.

L. *|> S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia adnectitur invocationi " Nos Iesu etc. „.

Beatissimo Padre,

Nicola Giuseppe Camilli Arcivescovo-Vescovo di lassi, prostrato al bacio del S. Piede, supplica la S. V. a degnarsi di accordare qualche indulgenza, applicabile ai defunti, a tutti i fedeli ogni qualvolta reciteranno divotamente la seguente invocazione :

Nos Iesu, Maria et Ioseph bone,
Benedicite nunc et in mortis agone.

Che ecc.

Ex Audientia SSmi diei p Iunii i p *06.*

SSmus D. N. Pius PP. X universis Christifidelibus quoties praefatam invocationem corde saltem contrito ac devote recitaverint Indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quo-

que applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. *$*• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia adnectitur orationi ad Iesum in **SS.** Sacramento.

PREGHIERA A GESÙ IN SACRAMENTO

« Le nostre colpe, o Signore, ci offuscano l'intelletto e ci fanno trascurare il bene di amarvi come meritate. Rischiarate la nostra mente con un raggio della vostra vivida luce. Voi siete l'amico, il Redentore, il Padre di chi pentito torna al vostro cuore; e noi pentiti ritorniamo a Voi. Salvateci, o Gesù, supplite con la vostra infinita bontà le nostre miserie! Gesù, speriamo in Voi, perchè sappiamo che la nostra salvezza vi costò la morte sulla Croce e vi indusse a dimorare di continuo nel SSmo Sacramento, per unirvi con noi tutte le volte che vogliamo. Noi, o Signore, per ringraziarvi di tanto amore che ci portate, vi promettiamo, con la vostra grazia, di ricevervi Sacramentato quanto più spesso è possibile; di recitare le vostre lodi in chiesa e da per tutto, senza rispetto umano. Signore, vi supplichiamo, confidando nel vostro Sacratissimo Cuore, che conserviate nel vostro amore chi vi ama, e che chiamiate tutti a ricevervi quotidianamente sull'altare secondo il vostro acceso desiderio ».

Ex Audientia SSmi, die** 26 **Iunii ipoó.

SSmus D. N. Pius PP. X omnibus Christifidelibus praefatam precem, corde saltem contrito, devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, animabus in Purgatorio detentis etiam profuturam, benigne concessit. Con-

trariis quibuscumque non obstantibus et absque Brevis expeditione.

In quorum fidem, etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C. die 6 Iulii 1906.

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia pro iaculatoria prece " Cœur Sacré de Jésus etc. „.

Très Saint Père,

L'Archevêque de Sida, Coadjuteur de Paris, Administrateur Apostolique du diocèse de Baveux, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, a l'honneur de Lui exposer que dans son audience privée du 22 Novembre dernier, Votre Sainteté avait daigné, à sa demande, accorder aux Religieuses du Monastère de la Visitation de Caen une Indulgence de trois cents jours pour la récitation de cette invocation : ***Cœur Sacré de Jésus, que votre règne arrive !***

Désireux de promouvoir de plus en plus l'avènement de ce règne béni, l'Archevêque soussigné ose solliciter humblement de Votre Sainteté que la dite Indulgence soit étendue à tous les fidèles qui réciteront cette invocation.

De Votre Sainteté, le fils très respectueux et très obéissant

Paris, le 4 Mai 1906.

LÉON ADOLPHE, ***Arch. de Sida, Coadj. de Paris.***

Ex audientia SSmi die xxix Iunii MCMVI, SSmus Dnus N. Pius divina Providentia Papa X, precibus annuens Rmi Archiepiscopi oratoris, petitam Indulgentiae extensionem ad

omnes christifideles supra relatam precationem pie recitantes, benigne concedere dignatus est.

Datum Romae e Secretaria Status, die, mense et anno praedictis.

L. «f* S. IACOBUS DELLA CHIESA, *Substitutus.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 6 Iulii 1906.

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX COMMISSIONE BIBLICA

De Mosaica authentia Pentateuchi.

Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur :

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?

Resp. *Negative.*

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspiratio-

nis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. ***Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.***

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?

Resp. ***Affirmative.***

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. ***Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.***

Die autem 27 Iunii an. 1906, in Audientia Rmis Consultoribus ab Actis benigne concessa Sanctissimus praedicta Responsa adprobavit ac publici iuris fieri mandavit.

Fulcranus G. Vigouroux, P. S, S.
Laurentius Ianssens, O. S. B.
Consultores ab Actis.

APPENDIX

De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium (1).

QUAESTIO VIII

Num sicut procuratores ita nuncii vel interpretes in coniugiis ineundis admitti valeant.

152. Vidimus de procuratoribus, qui ad matrimonia celebranda constituuntur. Modo, ratione analogiae, videamus, num etiam nunciorum vel interpretum opera eumdem in finem legitime adhibere valeat. Est autem praemittenda nuncii et interpretis notio et investigandum quomodo a procuratoribus ii distinguantur.

153. Nuncius ille dicitur, qui (prouti insinuât vel ipsum verbum) non proprie agit nomine alterius quasi gerens personam illius, sed simpliciter huic ministerium exhibet, declarando seu enunciando quid ipse velit. Interpres vero ille appellatur, qui (quasi medius inter duos diverso sermone utentes) eis ministerium exhibet referendo et explicando uni quod alteri placet.

154. Sic v. g. si Titius mittat Sempronium ad Caium, ut eum interpellet num velit sibi vendere fundum praenestinum oblatis ei in pretium mille aureis, recte dicetur Sempronius nuncius Titii. Si e converso v. g. Sempronius, reperto Caio, non valens illi mentem Titio aperire, eo quia Caius graeco, ipse vero latino sermone utitur, utatur opera Maevii, qui utraque lingua pollet, recte dicetur Maevius interpres Sempronii.

155. Liquet exinde officia nuncii et interpretis differre tum inter se tum a munere procuratoris. Differunt inter se,

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 37, pag. 410, 603 et 736; vol. 38, pag. 58, 188 et 299, necnon vol. 39, pag. 123.

quia nuncius exhibet ministerium exponendo quid principalis absens velit, dum interpres exhibet ministerium declarando sensum verborum, quae aliunde non intelligerentur ob linguae ignorantiam. Differunt vero ab officio procuratoris, quia nec nuncius nec interpres proprie per iuris fictionem gerunt personam alienam, dum e contra procurator tenet mandantis locum eiusque nomine operatur.

156. Facilius autem intelligetur discrimen huiuscemodi insistendo in allato exemplo emptionis alicuius fundi puta praenestini, nam si fundus emitur per procuratorem, hic est qui vere emit, licet non suo at alterius nomine, dum si emitur vel per nuncium vel per interpretem, nec hic nec ille vere emunt, sed tantum operam praestant aut enunciando intentionem principalis absentis, aut explicando verba, secus non intelligibilia, eiusdem praesentis.

157. De discrimine inter nuncium et procuratorem sat fuse disputât Fagnanus in tit. ***De relig, domibus* C. *Cum dilectus.*** Praestat autem eius verba, saltem summatim, referre eo quia, qui non multum in iure periti sunt, si facile intelligunt quomodo differat interpres a nuncio et a procuratore, haud facile statim percipiunt quomodo differat nuncius a procuratore.

158. ***Nota primo*** (ait Fagnanus) ***inter nuncium et procuratorem hanc esse differentiam, quod nuncius dicitur qui mandatum non habet; procurator vero qui aliena negocia mandato domini administrat. Unde simplex nuncius non admittitur ad agendum.... Et si ille qui est procurator fecit ut nuncius non valet, quod agitur.... Nec validatur ratihabitione quod gessit nuncius, si mandatum non praecessit... Et hoc tenent communiter omnes doctores, excepto Iacobo de Arena, ut Baldus testatur. Nuncius est quoddam organum, quo mediante vadit vox unius ad alium sicut per epistolam. Unde fit ut non quaeratur nuncio et per nuncium domino, sed directe quaeratur domino, cum nuncius conferat verba in per-***

sonam domini. Unde prohibitus substituere potest nihilominus explicare per nuncium.

159. Hisce praemissis de nunciorum ac interpretum germana notione, inquirendum iam est, num in matrimoniis ineundis recte tum illi tum hi adhiberi valeant. Separatim autem utraque investigatio est facienda, ut ex ordine procedatur;

160. Et ut exordiamur a nunciis, dicimus ante Conc. Tridentinum, et etiam nunc ubi C. ***Tametsi*** non urget, minime ambigendum per nuncios valide, et, servatis servandis, etiam licite celebrari potuisse et posse. Ratio est evidens, nam matrimonium, antequam sit sacramentum, est contractus, et hinc sequitur fata coeterorum contractuum, unde v. g. potest celebrari sub conditione etc. Atqui hi certissime rite celebrari possunt per nuncios. Ergo.

161. Nec alio modo solvenda quaestio, quatenus proponatur de locis ubi viget C. ***Tametsi*** Conc. Trid. Nam Concilium nihil prorsus immutatum voluit quoad varios modos, quibus matrimonium celebrari potest, v. g. sub conditione, sub demonstratione, sub causa, sub modo, per procuratorem ; sed solummodo voluit, ut celebratio matrimonii pure vel sub conditione, personaliter vel per procuratorem etc., fieret coram ecclesia sub nullitatis poena. Dummodo ergo satisfiat novae obligationi a Concilio inductae celebrandi coram Ecclesia, nihil impedit quominus in matrimoniis ineundis ita procedatur ut in caeteris contractibus.

162. Evidentius hoc autem patebit, attendendo ea quae mox dicturi erimus de matrimonio per interpretem et epistolas. Ipsissima enim argumenta intrinseca et extrinseca, quae probant valere coniugia hoc modo celebrata, probant quoque valere celebrata per nuncios.

163. Notandum potius: ***d)*** illum qui agit ut nuncius non posse verba concipere ut si esset procurator: ***b)*** hinc v. g. nullum fore matrimonium celebratum a nuncio sub hac forma: Ego nomine v. g. Titii duco te, nam haec verba falsum refer-

rent sensum, quum minime cohaereat veritati nuncium agere negocia domini eiusque nomine : ***c)*** sed viceversa nihil obstare, quominus verus procurator verba concipiat ut esset merus nuncius, ut si v. g. diceret sponsae: Caius ducit te: ***d)*** reapse, licet regula generalis sit a Glossa tradita (penes Fagnanum, ***loc. cit.)*** iuxta quam: ***Nuncius in persona domini debet verba contractus concipere.... Si autem est procurator tunc verba contractus debet concipere in sua persona ;*** nihilominus haec secunda regulae pars in casu fallit, quum in contractu matrimoniali non verificetur quod verificatur in aliis, in quibus procurator acquirit sibi, et, mediante se, domino, sed statim acquiratur mandanti licet procuratore medio, unde unum idemque est si procurator dicat : Duco te pro Titio, vel Titius ducit te: ***d)*** tandem nihil obesse quominus verus procurator utatur opera nuncii, nam licet nequeat alium sibi substituere, ut superius vidimus, prohibitio est intelligenda de substituendo procuratore et non de adhibendo mero nuncio.

164. Eodem vero modo quo per procuratores et nuncios ita etiam per interpretes nunc quoque post Conc. Trid. (saltem ut opinamur) rite matrimonia celebrari possunt. Consulto autem dictum est ***nunc quoque post Conc. Trid.,*** nam quod ante Concilium legitime id fieri valeret (certis licet sub legibus) minime ambigendum.

165. De matrimoniis per interpretes haec habet cl. Gaspard ***(De matrim., vol. II, n. Sj6) :*** Per interpretem ***omnes admittunt matrimonium contrahi ubique terrarum potuisse ante Conc. Trid., et etiam hodie posse si decretum*** Tametsi ***non viget, sicut coeteros omnes contractus ex*** 1. 2. D. De V. O.: ***Omnis sermo contineat verborum, obligationem, ita tamen ut alter alterius linguam intelligat sive per se sive per verum interpretem.... Sed valetne matrimonium huiusmodi in locis quoque in quibus viget cit. decretum ? Nonnulli negant, quia parochus et testes tunc nequeunt attestari de consensu a partibus praestito. Alii affirmant, quia parochus et testes atte-***

stantur de consensu per interpretem expresso, quod ad matrimonium satis est, sicut notarius et testes in contractu civili per interpretem inito. Haec altera opinio videturpròbabilior. Ben. XIV. De Syn. XIII, XXIII, n. p, hanc quaestionem innuens suam sententiam non pandit. Qua stante controversia, si agatur de matrimonio contrahendo Episcopus illud non per* mittat; si de contracto, interim standum est pro eius valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit.

166. Equidem non diffitemur inter doctores controverti quaestionem hanc de valore matrim, per interpretem, in locis ubi viget C. ***Tametsi*** Conc. Trid. Verum ex eo quod reapse disputetur inter doctores, minime sequitur, quod haec coniugia habere debeamus vel etiam ut dubie valida.

167. Reapse validius argumentum, ab adversariis adlegatum, est illud quod depromitur ex mente et verbo Concilii clandestinitatem reprobantis, ac praecipientis ut coniugia in posterum coram Ecclesia omnino celebrentur sub nullitatis poena. Unde, quum nec parochus nec testes per se intelligant sermonem sponsorum, semper dubium aliquod permoveri potest num interpres fideliter fuerit sermonem interpretatus, et hinc num consensus sit ita expressus, ut de eo constare valeat.

168. Verum argumentum hoc nobis vix non futile videtur, adeo ut multum admiremur eo doctores ceteroquin graves permoveri. Reapse, ante Trid. et etiam hodie ubi C. ***Tametsi*** non viget, matrimonia per interpretem iuxta omnes valide celebrabantur et celebrantur. Itemque quod etiam hodie contractus civiles, ut puta emptio-venditio, locatio etc. possint valide celebrari penes omnes in confesso est. Unde ergo ambigitur, num sustineantur hodie matrimonia per interpretes? Ex eo, dicunt, quod legi vetanti clandestinitatem haud satis fieri videtur ob periculum fraudum. Verum ratio haec inepta prorsus est censenda: ***d)*** quia nullo modo constat Concilium voluisse abolere matrim, per interpretes, ergo

standum pro ipsorum validitate, donec contrarium probetur: ***b)*** quia satis est ut in contractu matrimoniali celebrando habeatur certitudo moralis praestiti consensus, prout est satis ut habeatur in caeteris contractibus civilibus: ***c)*** tandem, quia, ut in casu simili notabat Schmalzgrueber, in tit. ***De spons.*** n. 250: ***Non requiritur ut parochus et testes testentur de matrimonio quod reapse sit validum (hoc enim impossibile est, cum illud invalidum reddi possit ex defectu consensus mere interni), sed sufficit quod testari possint de matrimonio, quod in foro externo habetur et haberi debet*** pro valido; ***de hoc autem testari iam possunt, si, interprete mediante, resciant sponsos in matrimonium consensisse.***

169. Quod si quis urgeret matrimonium per interpretem ob insitam ei aliqualem incertitudinem sacramentum exponere periculo irreverentiae, nos replicaremus : ***d)*** sat esse consultum sacramento in matrimoniis ineundis, quando sat consulitur contractui, nam illud hunc consequi manifestum est : ***b)*** eodem prorsus modo consuli in casu reverentiae debitae sacramento ac consulitur quando quis per interpretem peccata sua confitetur et absolutionem petit.

170. Concludendum ergo cautissime se gerere debere Episcopum in licentia tribuenda parochis, ut matrimoniis per interpretes (quod plus minusve et de matrimoniis per nuncios et procuratores est verum) assistant; verum habenda esse ea ut ***per se*** licita et valida, etiam in locis ubi lex clandestinitatem vetans servatur.

Carolus Lombardi
Prof. in Pont. Seminario Romano.

(Sequitur)

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA ENCYCLICA

SS. D. N. Pii Div. Prov. PP. X ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae, ubi, consociationibus cultualibus ex lege Gallica constituendis improbatis, iidem incitantur disponendo instruendoque religioso cultui (1).

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GALLIAE

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gravissimo officii munere defungimur, eoque iamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicae Reipublicae Ecclesiaeque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitraremur. Equidem exspectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo

(1) Episcopi Galliae, infra relatis litteris Encyclicis respondentes, hoc telegramma Romam miserunt, quo sensus filialis obedientiae ac grati animi erga Romanum Pontificem unanimiter protestati sunt :

A Notre Très Saint Père le Pape Pie X
Vatican — Rome.

Paris, 4 septembre 1906.

Très Saint Père,

Les Cardinaux Archevêques et Evêques réunis avec l'approbation de Votre Sainteté en assemblée plénière pour prendre tous les moyens que le droit reconnait à tous les citoyens afin de disposer et organiser le culte dans leur Pays, s'empressent de Lui exprimer leur profonde reconnaissance pour les directions si lumineuses qu'Elle a daigné leur communiquer dans l'Encyclique *Gravissimo,* ils déposent à Ses pieds l'hommage de leur filiale obéissance dans laquelle ils veulent avec leurs prêtres et leurs fidèles courageusement persévérer malgré toutes les épreuves et tous les périls. Ils espèrent que leur réunion et que leur union et leurs efforts aidés de Votre Bénédiction paternelle leur mériteront la grâce de trouver les solutions opportunes pour la paix publique et le salut de l'église dé France.

CARD. RICHARD, *Archevêque de Paris.*

et gravitas huius causae fecit, sed illa etiam singularis caritas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis, prosequimur. — Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime coepimus, ullamne demum eiusdem praescripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandae in Gallia religiosae rei, ut sacrosancta principia quibus Ecclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliae Episcopos adhibere in consilium universos; indictoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo consultaretis, mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato ***Patre luminum,*** omnino videmus faciendum, ut quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causa, lex constitui iubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari posse, quin sanctissima iura, quae ad vitam ipsam Ecclesiae pertinent, violentur (i). — Dimissis vero con-

(i) Consociationes enim cultuales, quas lex Gallica diei 9 **Decembris** 1905 **unice recognoscit, nullo modo ab auctoritate ecclesiastica, sed omnino a civili auctoritate dependere deberent. Ita articulus 4 huius legis statuit : « Dans le délai d'un an à partir de la promulgation de la présente loi, les biens mobiliers et immobiliers des Menses, Fabriques, Conseils presbytéraux, Consistoires et autres établissements publics du culte seront, avec toutes les chargés et obligations qui les grèvent et avec leur affectation spéciale, transférés par les représentants légaux de ces établissements aux Associations qui, en se conformant aux règles d'organisation générale du culte dont elles se proposent d'assurer l'exercice, se seront légalement formées, suivant les prescriptions de l'article** 19, **pour l'exercice de ce culte dans les anciennes circonscriptions desdits établissements ».**

Articulus vero 8 addit: « Faute par un établissement ecclésiastique d'avoir, dans le délai fixé par l'article 4, **procédé aux attributions cidessus prescrites, il y sera pourvu par décret.**

« A l'expiration dudit délai, les biens à attribuer seront, jusqu'à leur attribution, placés sous séquestre.

« Dans le cas où les biens attribués en vertu de l'article 4 et du paragraphe 1er du présent article seront, soit dès l'origine, soit dans la suite, réclamés

sociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientia officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminent tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo iure, id inire experimenti, ut dilectos filios tantorum maiorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem, incolumia per consociationes easdem et tuta semper fore: contrarium velle Nos, nisi religionem of-

par plusieurs Associations formées pour l'exercice du même culte, l'attribution qui en aura été faite par les représentants de l'établissement ou par décret pourra être contestée devant le Conseil d'État statuant au contentieux, lequel prononcera en tenant compte de toutes les circonstances de fait.

« La demande sera introduite devant le Conseil d'État, dans le délai d'un an à partir de la date du décret ou à partir de la notification, à l'autorité préfectorale, par les représentants légaux des établissements publics du culte, de l'attribution effectuée par eux. Cette notification devra être faite dans le délai d'un mois.

« L'attribution pourra être ultérieurement contestée en cas de scission dans l'Association nantie, de création d'Association nouvelle par suite d'une modification dans le territoire de la circonscription ecclésiastique, et dans le cas où l'Association attributaire n'est plus en mesure de remplir son objet ».

Demum articulus 9 decernit: «A défaut de toute Association pour recueillir les biens d'un établissement public du culte, ces biens seront attribués par décret aux établissements communaux d'assistance ou de bienfaisance situés dans les limites territoriales de la circonscription ecclésiastique intéressée.

« En cas de dissolution d'une Association, les biens qui lui auront été dévolus en exécution des articles 4 et 8 seront attribués par décret rendu en Conseil d'État, soit à des Associations analogues dans la même circonscription ou, à leur défaut, dans les circonscriptions les plus voisines, soit aux établissements visés au paragraphe i^{er} du présent article » (IV. *R.).*

ficii deserendo, atque interitum Ecclesiae Gallicae conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentes ope, quacumque vos iura civitatis uti siverint, disponendo instruendoque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune iuvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadente Ecclesiae patriaeque vestrae amore, imponimus vobis onus: ceterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cuius tempestivum auxilium non defuturum Galliae, omnino confidimus.

Iamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta haec mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere populo: nequaquam Nos Ecclesiae Gallicae salutem spectasse tantum; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum : invisam Nobis esse in Gallia fprmam Reipublicae, eiusque evertendae Nos gratia velificari studiis partium: ea Nos abnuisse Gallis, quae non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quae, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, iam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. — Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque praesertim divinis Hierarchiae rationibus aliquo saltem modo consultum esset (i). Quod si quaepiam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei communis libertatis copiam fecerit, liberum-

(i) Haec referuntur ad consociationes cultus, quas Ecclesia in Germania toleravit ***(N. R.).***

que in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem nomine iniuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia: ubi iniustae huius legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. — Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriae bellum atrox, iniectisque acerrimarum contentionum facibus, cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicae, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis huius et eorum quae secutura sunt, maiorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero iudicio aestimaverit, quae Ipsi etiam in Litteris Encyclicis ***Vehementer Nos*** attigimus, diiudicabit, utrum Nos reprehendendi simus qui, alias ex aliis perpessi iniurias toleranter, dilectae nationis causa, ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse; an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidia ad haec usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque praestare volent, ita pro Ecclesia contendens quemadmodum eos monuimus,, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce iustitiae collocati, frangent aliquando inimicorum contumaciam: intelligant vero, quod diximus iam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se coniunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastae legis usu sententiam: sequantur, ut oportet, volentibus animis; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit, caveant, obsecramus, ne quis quem propterea offendat, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum; et quo pacto his licuit nequissimam ei-

vitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et exstinguere. — In tanto Galliae discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriae bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se coniuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiae Gallicae salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin Nostris satisfacturi sint praescriptionibus et votis, minime dubitamus : interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi Mariae Immaculatae, impense studebimus.

Auspicem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Vobis, Venerabiles Fratres, universaeque Gallorum genti Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

LITTERAE DECRETALES

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Pii D. P. PP. X, quibus Beato Alexandro Sauli, e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, Episcopo Aleriensi dein Papiensi, Sanctorum honores decernuntur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Calamitosis hisce temporibus, quibus Ecclesiae Dei hostes totis viribus nituntur, christianos greges obsequio et obedientiae pastorum a Christo constitutorum subducere, eosque ad mortifera pascua impellere; peropportunum accidit, ut Beatus

Alexander Sauli in Sanctorum numerum adscribatur, qui se totum, cunctasque animi et corporis facultates in commissi sibi gregis utilitatem contulit, quemque vivum mortuumque grex fidelium maximo amore et obsequio complexus est. Spei enim locus est, ut, tam illustri exemplo proposito, inter christianos pastores ac greges vincula magis magisque coarctantur; et ad mutua implenda munera, cum magno christianae reipublicae emolumento, utrique incitentur. Nam et discent Praesules, hac de causa populo christiano se esse praepositos, ut spirituali eius bono nihil antiquius habeant, et ad illud assequendum nullos labores, nulla discrimina subire detrectent ; et plebes discent, pastoribus a Christo constitutis arctissime adhaerescere, eos diligere, dictaque eorum in omnibus audientes esse.

Mediolani natus est Beatus Alexander, xv calendas martias anno MDXXXIV, ex genuensibus parentibus nobilibus pasque, Dominico Sauli et Thomasia Spinola. Latinas graecasque litteras, historiam ac philosophiam domi didicit, deinde in Papiensi athenaeo iurisprudentiam. In his studiis acrioris ingenii adolescentis magni fuerunt processus : maiores tamen pietatis eius atque electissimarum virtutum. Cumque ad perfectiorem vitam a Deo se appellari sentiret, perpetuam ei castitatem vovit, matureque petiit, ut inter nuper Mediolani institutos Barnabitas sodales reciperetur.

Sacras eorum vestes induit anno MDLI, et post trienne tirocinium, quo nisus est virtutum perfectionem adipisci, religiosa vota nuncupavit: cumque biennium in sacris studiis consumpsisset, anno MDLVI sacerdos inauguratus, eo fervore iisque lacrimis sacrum primum celebravit, ut adstantium animos maximo opere commoverit. Delatum sacri concionatoris munus, cum eximia sacrarum disciplinarum prudentia, salutisque animarum impenso studio obivit: ita praeclaros percepit fructus, multorumque christifidelium mores emendavit.

Papiam anno MDLVII missus, omnes suas vires contulit

ad concionandum, recipiendas confessiones, pueros rudesque docendos, aegrotantes invisendos, morientibus praesto esse, obeunda nosocomia et carceres, adiumento esse adolescentibus, qui in Papiensi athenaeo studiis vacabant. In eo Barnabitarum collegio docuit philosophiam, et theologiam : facultas vero theologalis non doctorem modo eum renunciavit, sed in suum quoque collegium ultro recepit. Sed Papiensis Episcopus, doctrinam eius, caritatem, humilitatem miratus, in visitationibus pastoralibus sibi eum assumpsit socium, eum examinatorem prosynodalem elegit, negotiumque commisit, ut ad docendum clerum sermones morales haberet.

Verum, cum anno MDLXVII Barnabitae patres Mediolanum convenissent, quo supremum sibi moderatorem constituerent, hoc munus in Beatum Alexandrum, quamvis invitum, sed omnium dignissimum, contulerunt. Eo magis ille summa contentione conatus est, virtutum omnium sodalibus eximia exempla praebere, seque ita despicere, ut si illorum omnium esset famulus statutus. Igitur, ad eorum commoda persequenda, se totum mancipabat, spiritualia tamen temporalibus praeponens ; quod tum maxime eluxit, cum S. Carolus Borromaeus, Mediolanensis Archiepiscopus, ad ***Humiliatos*** sodales, qui ditissimi erant, corrigendos, consilium agitabat, eos cum pauperibus Barnabitis in unum corpus comtniscendi. Nam vehementer restitit Beatus Alexander, cuius opera et consiliis S. Antistes utebatur veritus ne maius Barnabitae detrimentum, quam emolumentum Humiliati, ex tali permixtione, recepturi forent.

Tres ferme annos Barnabitis sodalibus praefuit, quibus ne ullum quidem, in Mediolanensium christifidelium bonum, suscipere laborem recusavit. Tunc Decessor Noster S. Pius V animo constituit, renuntiare eum Episcopum Aleriensem : cuius dioecesis, imo totius Corsicae insulae, miserrima erat conditio. Nam rerum ad religionem spectantium summa oblivio : sacrae aedes derelictae, et in profanos usus versae : sacer-

dotes desidiosi, rudes, dissoluti: nulli per annum festi dies, nulla ieiunia, milia sacramentorum frequentia. Ad occurrendum tantis malis, peropportuna Pontifici visa est eximia Beati Alexandri caritas et alacre studium. Ut vero consilium huiusmodi Mediolani innotuit, totis viribus reluctati sunt Barnabitae, ne tam praeclarum magistrum amitterent; nec minori contentione reluctabatur ipse Alexander, episcopali se indignum dignitate putans. Ut vero certam expertus est Pontificis Romani voluntatem, se demisse subiecit; et iv idus martias anno MDLXX in aede metropolitana Mediolanensi a S. Carolo Episcopus est consecratus.

Ad Corsicam cum applicavisset, Aleriam se contulit: ibi vero, praeter arcem, nihil invenit, quod urbis vel oppidi simile esset. Cogebatur itaque huc illuc episcopalem sedem, prout opportunitas vel necessitas ferebat, transferre; cumque in universa dioecesi nullus esset manendi locus adactus fuit aliquod tempus extra dioecesim Bastiae (haec princeps insulae urbs erat) manere, ut seminario, iuxta leges Tridentinae Synodi instituendo, sedulam operam navaret. In ea hórrida vastaque dioecesi per sacram visitationem obeunda, incredibile est quanti ei labores erant tolerandi. Iter explebat quotidie duodecim vel quindecim passuum millium, equo aliquando vectus, saepius pedibus, per impedirás semitas, ut dissitas casas ac segregata tuguria adiret: non enim continentia oppida fere occurrebant. Nec cibus in his domunculis praesto erat, nec vinum ad reiiciendas vires, nec quiescendi vel manendi locus. Hos labores alacri ipse animo tolerabat, ut pasceret dilectas **Oves**, aiens Deo serviendum esse ubi, quaque ipse ratione sibi serviri velit; ac Pauli repetens verba : ***Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.***

Maiores etiam ei subeundi fuerunt labores in Balagna provincia, quam disciplinae reluctantem expertus, ad eam ipse se contulit, et quatuor ibi annos mansit. Exemplo ac

verbis sacerdotes excitabat, ut sacris muneribus alacriter fungerentur: pastorales obiens visitationes, aegros adibat, sacramenta ministrabat: pauperes, miseros, calamitosos potiores habens, eis erat pecuniae, eis curae, eis benevolentiae largissimus. In tam asperis laboribus sustinendis, quartana febri, cum virium magna imbecillitate correptus est; adeoque morbus invaluit, ut Beatus Vir sancto Viatico fuerit munitus. Morbo tandem superato, ad deiectas vires recuperandas, coactus est Corsicam relinquere, et aliquot menses Mediolani manere.

Ad dioecesim reversus, fere biennium moratus est in oppido ***Corte,*** in media insula sito, ubi potissimum partes vigebant rubeorum ac nigrorum, in quas Corsi dividebantur. Ad eas sedandas, ipsi magnopere adlaborandum fuit, atque eximia caritas et fortitudo adhibenda : non enim dubitabat inter armatos pugnantesque se interponere, furentiumque ictibus corpus suum obiicere, ut quaque ratione illos ad pacem ac fraternam caritatem reduceret.

Ratus tamen sibi esse consulendum, ut Episcopi Alerienses stabili quadam sede potirentur, oppidum ***Cervione,*** quod viginti millia passuum Aleria distat, ad hoc elegit, eoque, anno MDLXXVIII, se contulit. Aedificavit ibi cathedrale templum, seminarium, Episcopi et canonicorum aedes; et corruens templum coenobiumque sodalium Franciscalium instau**rava.** Ad novam episcopalem sedem firmius stabiliendam, cum Romam profectus esset, nuntiatum est in itinere, malas tempestates Corsicae ita agros vastasse, ut nulla iam spes messis superesset. Statim itinere intermisso, Cervionem reversus est, magna vi commeatuum Genuae Labroneque comparata; quibus tanta prudentia dioecesis pauperes aluit, ut nulli eorum, quae necessaria ad vitam agendam sunt, unquam defuerint.

Eamdem erga oves caritatem exhibuit, proximo anno MDLXXX, quo Corsica pestilentia vexata est. Nam et precibus

bonisque operibus Deum placari curavit; et sapientes normas praescripsit, ad morbi diffusionem praecavendam; et lue correptis diu ac noctu adfuit, animas eorum et corpora iuvans. Quidam quoque eorum narrantur, Beati Episcopi benedictione, ad sanitatem fuisse revocati.

Non raro enim, praesertim trepidis in rebus, ministrum omnipotentiae suae Deus fidelem Servum fecit. Qui aut futura providebat, aut revelabat occulta, aut ingruentes tempestates discutiebat, aut aegrotantes sanabat, aut e caelo eliciebat pluviam, qua sitientes agri recrearentur.

Ita Beatus Alexander, ***animam suam dans pro ovibus suis,*** Aleriensem dioecesim rexit, usque ad annum MDXCI, quo Gregorius XIV Decessor Noster eum ad sedem Papiensem transferre constituit. Ingens inde et Corsorum dolor, qui dilectissimum pastorem erant amissuri, et ipsius Alexandri, qui oves, quas unum et viginti annos tanto studio paverat, relinquere cogebatur. Ergo Romam perrexit: sed frustra nisus est hanc translationem avertere. Quare, ut honores fugeret, qui singulares ei in Urbe habebantur, Papiam iter suscepit.

Quamquam maiores etiam honores ei a Papiensibus parabantur, non oblitis eximiarum eius virtutum, quas viginti annos iampridem experti fuerant. Itaque inter laetas omnium ordinum significationes et acclamationes, xiv calendas novembres anno MDXCI, Papiam ingressus, ad vineam Domini excolendam, omnes animi et corporis vires intendit. In valetudinariis versabatur, et catechesis christianae scholis, iam dudum a se institutis; nec pueros ipse docere fastidiebat, et virtutum germina in tenellos animos infundere. Populum, a profanis solatiis abstractum, ad SS. Eucharistiam adorandam cogebat, et incredibili quodam fervore apud eum concionabatur. Divitibus exemplo hortationibusque auctor erat, ut opibus suis pauperum indigentiam sublevarent.

In deserviendo Deo nullos labores recusans, absoluta in civitate sacra visitatione, ad eam persequendam, dioecesim

peragrare coepit. Cumque pridie calendas octobres an. MDXCII ad oppidum ***Calotium*** advenisset, sequentem diem consumpsit concionans, docens catechesim, confirmationem ministrans, visitans sacram aedem et altaria, atque omnes ad se admittens, quotquot eum alioqui petebant. Proxima nocte articulorum doloribus febrique ita correptus est, ut mane e lectulo surgere non valuerit. Ne parocho loci gravis esset, passus tunc est deferri domum Herculis a Robere Calotii comitis, cuius hospitium initio detrectaverat. Febris diebus insequentibus invaluit, additusque, cum acribus doloribus, totius corporis tumor. Haec hilari vultu tranquilloque animo tolerabat, submissa voce, saepe aiens : ***Quis me liberabit de corpore mortis huius?***

Vitae totius peccatis patri Rottoli Barnabitae confessis, instantibus precibus SS. Viaticum petiit, quod allatum ad eum est, v idus octobres, frequenti populo comitante: hoc ut conspexit cubiculum introiens, quamquam fractis erat viribus, de Sacramenti illius excellentia dimidiam horam loquutus, flagranti caritate illud suscepit. Rogantibus de valetudine, respondebat : ***Expecto donec veniat immutatio mea.*** Postridie sacro oleo inunctus est: actisque Deo gratiis, quod in extrema hora mentem retineret, precibus animae commendationis respondit : tum a patre Rottoli petiit, ut ex S. Ioannis evangelio Iesu Christi passionem legeret. Id ille aliquanto praestitit: deinde eum immotum conspiciens, iamque mortuum arbitratus, substitit. At Beatus Vir subito excitatus petiit, cur legere supersedisset, addens: Oh quantam haec intermissio mihi eripuit voluptatem ! Instanter rogatus, ut rem patefaceret : Scilicet dignatus est Dominus, inquit, caelesti visu mihi felicitatem ostendere, qua electi eius fruuntur. Perge sane, perge legere. Igitur, eo legente, levatis oculis in caelum, et leni ducto suspirio, animam placide reddidit Deo, agens aetatis annum octavum et quinquagesimum.

Tam sancti Viri amissionem universa dioecesis deflevit.

Sed Calotium tanti fuerunt hominum concursus, ut non domus modo, sed oppidi ipsius claudendae fuerint portae, quo multitudo paullatim ingrederetur, appetentium pedes manusque Beati Episcopi osculari, piasque res ad veneratum corpus admovere. Nec absimilis populi frequentia postridie fuit ad parochiale templum, cum funus eius celebraretur. Deinde per Tanarum, Padum Ticinumque sacrum corpus deductum Papiam : cumque ibi, xvi calendas novembres, solemnes exequiae eius conficerentur, tanta populi multitudo se ad feretrum urgebat, ut impetus eius, positis custodibus, coercendus fuerit. Tandem, ex eius iussu, in eodem templo humi corpus datum est, ante gradus, quibus ad presbyterium ascenditur.

Sepulchro Beati Episcopi multus honos habitus est. Cumque, piis turbis accurrentibus, prodigia facta fuerint, loricula, venerationis causa, circumseptum est, ad quam tabulae votivae et oblationes appendebantur. Hanc vero venerationem, quae Sedis i\postolicae nulla venia nitebatur, tolerandam non esse Ioannes Baptista Billia Episcopus ratus ; cum nulla via tollere eam potuisset; Romam rem detulit. De ea igitur Cardinalis Bellarminus, qui Sacrorum Rituum Congregationi praeerat, certiorem reddidit Paulum V Decessorem Nostrum, qui censuit tam sancti Viri publicum cultum non esse omnino abolendum. Ita populi pietati libera via patefacta est ; et, ne editis quidem Urbanianis decretis, hac de re quidquam est immutatum, nisi postquam causa beatificationis inita est. Quare et Calotii et Papiae et in Corsica Beatus Alexander publice colebatur. Neque a rudibus tantum hominibus, sed a doctis et prudentibus et sanctis quoque in Sancti numero habebatur.

Verumtamen Barnabitae sodales, pro pietate, quam erga eum fovebant, atque observantia, qua Romanam Sedem prosequebantur, ea facultate de Beato Alexandro colendo, quam Paulus V concesserat, non contenti, exoptabant, ut Pontifex Romanus solemniori quadam ratione huius cultus auctor fie-

ret. Petierunt itaque, ut beatificationis et canonizationis eius causa apud Sacrorum Rituum Congregationem institueretur. Preces eorum benigne excepit Decessor Noster f. r. Gregorius XV, qui, anno MDCXXIII, xv calendas apriles commissionem introductionis huius causae manu sua signavit. Quamobrem de virtutibus Beati Alexandri Apostolica auctoritate quaesitum est: diu tamen deinde sustentata est haec causa: donec Clemens XII, anno MDCCXXXII, die Natali Domini Nostri, edidit decretum, quo sanciebat: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia Servi Dei A lexandri Sauli earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.***

Benedictus XIV, qui in Pontificatu Romano Clementem XII excepit, quique Beatum Alexandrum singulari pietate colebat, miracula approbavit, quae requirebantur, ut ille in Beatorum numerum referretur: cumque in quaestionum tabulis multa .prodigia narrarentur, decreto solemniter edito, VIII calendas februarias anno MDCCXLI, ***ex propositis miraculis, duo in tertio genere approbavit, nimirum sextum : fratris Laurentii Mariae Obez, laici professi praefatae Congregationis septuagenarii, qui cum ex febri maligna et pustulis animam iam ageret, superposito Ven. Episcopi rochetto, statim sanatus est, die ßl augusti*** *1674.* ***Et decimum: Caroli Bertol militis sexagenarii, qui, ut letali pro febre rochetti eiusdem impositione depulsa, gratias ageret, ad Venerabilis Episcopi sepulcrum in sella gestatoria delatus, ac super lapidem stratus, a sexennali etiam crurium debilitate liberatus, repente surgens, domum suis pedibus rediit, die*** *12* ***decembris*** *167**8.*** Idem Pontifex, v idus aprilis eodem anno, decrevit, tuto procedi posse ad beatificationem Venerabilis Alexandri Sauli, quae paucis post diebus, ix calendas maias anno MDCCXLI, ad S. Petri penes Vaticanum montem, solemni ritu celebrata est.

Nova tamen cum miracula supervenissent idem f. r. De-

cessor Noster, ix calendas augustas anno MDCGXLIII, commissionem resumptionis causae sua manu signavit Quae tamen quum ob temporum calamitatem diu deinceps conticuit, tum quod sodales Barnabitae sollicitudinem praecipuam contulerunt, ut Antonio Mariae Zaccaria Patri legifero Sanctorum honores compararent. Hoc, anno MDCCCXCVII inter Sanctos feliciter adscripto, ad causam Beati Sauli eo maiore alacritate est reditum, quod, augescente christifidelium pietate, nova recentius prodigia evenerant. Quare ab actoribus duo miracula selecta sunt, ad assequendam Beati Viri canonizationem, alterum quidem ex veteribus promptum, alterum ex recentioribus.

Primo miraculo valetudinem Modoetiae recuperavit Carolus Riva, qui altero iam anno inferiorum membrorum et motu et sensu amisso, neque ambulandi, neque exercendi sarcinatoriam artem retinebat potestatem, atque eleemosynis sustentare vitam cogebatur. Cumque, iulio mense exeunte, atque ineunte augusto anno MDCCXLI, Barnabitae patres, in honorem novensilis Beati Sauli, in templo S. Mariae a Carrobiolo in triduum solemnia concelebrarent; Carolus ad templi portas, ut stipem quaeritaret, a filio est carrulo vectus, ibique cum esset, a novo Beato sanitatem imploravit, petiitque ut reliquiis eius benediceretur. Vix est benedictus, sensu ac motu temporis vestigio recuperato, e carrulo surrexit, et per longum iter domum pedibus rediit, neque amplius, donec vixit, paralysi laboravit.

Alterum miraculum factum est, anno MDCCCXCIX, XIV calendas apriles, in oppido Cervione Corsicae insulae, in quo iam dudum Beatus Alexander sedem episcopalem fixerai. Hoc miraculo sanitati restituta est Maria Canessa, misera quaedam puella, quae, tenuem infirmumque corporis habitum sortita, aetatis anno septimo, correpta est vehementibus crurium doloribus, deinde tumefactionibus, postremo, non in cruribus tantum, sed in reliquo etiam corpore, ulceribus vulneribusque,

ex quibus tabes saniesque difBuebat. Ita, saevis excruciata doloribus, viribus destituta, macie confecta, lectulo ut plurimum affixa, ad primum vicesimumque aetatis annum pervenit, nulla spe relicta recuperandae sanitatis. Eo res pervenerat, ut, quae ad eam sepeliendam erant necessaria, iam essent comparata: cum conscientiae moderator eam hortatus est, ut, quod nequiret ab hominibus accipere, per novemdiales preces a Deo, deprecationibusque Beati Sauli fidenter peteret. Cum dicto audiens illa fuisset, sexto precum die, rediisse sibi vires sentiens, surrexit iam valens, et ambulavit. Nam vulnera coaluerant, cruciatus omnes evanuerant, nec in posterum de pristino morbo quidquam reverti visum est.

De hisce duobus miraculis triplici, iuxta morem, disceptatione habita, Nos xv calendas, maii huius anni solemniter ediximus: ***Constare de duobus miraculis: de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Caroli Riva a diuturna et gravi paraplegia, e mielite chronica transversa exorta; de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Canessa a gravi et diuturna ajfectione struma-tuberculari.*** Deinde, iv calendas iunias, iterum decrevimus : ***Tuto procedi posse ad solemnem Beati Alexandri Sauli canonizationem.***

His praemissis constitutisque, ut in solemnissima caeremonia cuncta servarentur, quae ab Antecessoribus nostris, ad celebritatem eius ac decus, sunt sapienter praescripta; primum omnes S. R. E. Cardinales, xvin calendas décembres hoc anno, sententiam quemque suam prolaturos, Nobis in Consistorio iussimus adesse; qui, dilecto filio Dominico Pucci Sisti, Consistorialis aulae Advocato, de gestis Beati Alexandri Sauli dicente, audito, Nos uno ore ad causae huius legitimam definitionem sunt cohortati. Interea vero curavimus, ut non viciniores modo Episcopi, sed et remotissimi quique, de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione ad hoc datas, admonerentur, quo, si facultas esset, sententiam et ipsi prolaturi, Nobis adstarent. Qui ex

dissitis regionibus cum non pauci convenissent, mature causa cognita, tum ex illis, quae eo usque gesta fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis habito, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis traditum est, in Consistorio semipublico, nonis decembribus coram Nobis habito, in eamdem, quam dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, sententiam iverunt, cuius rei instrumenta publica a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis delata sunt.

Solemni igitur canonizationis celebrandae diem praefinivimus III idus décembres: atque interea, communi indicto ieiunio, fideles sumus vehementer cohortari, ut ferventes ingeminarent preces, in iis praesertim sacris aedibus, in quibus SS. Sacramentum publice adorandum ex praescripto proponeretur, ut et ipsi ex tanta caeremonia fructus uberiores perciperet, Nobisque, in tam gravi officii nostri munere, Spiritus Sanctus benignus adesset.

Auspicatissima et optatissima dies quum advenerit, omnes quum saecularis, tum regularis cleri Ordines, omnes Curiae Romanae Praesules et Officiales, omnes denique, qui in Urbe aderant, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates in Vaticanam Basilicam magnifico cultu ornatam convenerunt: Nosque, iis omnibus solemni supplicatione praeeuntibus, eamdem ingressi sumus. Tunc vero dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Octavio Pio Conti Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis et preces detulit sacrorum Antistitum universaeque familiae Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ut Beatum Alexandrum Sauli, una cum Beato Gerardo Maiella, in Sanctorum numerum referremus. Id cum iterum tertioque iidem Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus instantius et instantissime egis-

sent, Nos caelesti lumine fermenter implorato: ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione, et voto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictum Beatum Alexandrum Sauli e Clericis Regularibus S. Pauli, Episcopi Agriensis, et deinde Papiensis, Sanctum Confessorem esse ediximus. Eique, eodem decreto, sociavimus B. Gerardum Maiella, virtutum omnium laude et gloria miraculorum praeclarum. Memoriam porro S. Alexandri Sauli, quotannis die v idus octobres recolendam, in Martyrologio Romano notari mandavimus, et christifidelibus, qui exuvias eius eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique, ob tantum beneficium, gratias Deo Optimo Maximo ex animo egimus, et solemne Sacrum litavimus. Post Evangelii lectionem, clerum ac populum homilia alloquuti sumus, hortans, ut, non modo Apostolorum Principes, sed etiam Sanctos novensiles, spei et caritatis pieni, sibi, Ecclesiae, universae hominum societati propitios mererentur. Postremo cunctis adstantibus plenariam peccatorum indulgentiam amantissime impertiti sumus.

Nunc vero omnium Christifidelium oculi in novensilem Sanctum convertantur, qui cum, in lustranda per sacram visitationem dioecesi, morte se deprehendi conspiceret, gratias Deo egit, quod, inter pastoralia munera obeunda, sibi e vita mortali cedere contingeret. Oh beatum Virum! qui, aegra voluntate auctus episcopatu, non est ratus, se aliis esse potiorem factum, imo omnium famulatui addictum esse atque mancipatum. Numquam enim Christi Domini oblitus est verba : ***Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator (Luc. XXII,*** *26) ;* nec unquam oculos a Christi exemplo avertit, qui de se ipse dixit: ***Ego***

autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat (ibid., 2j). Quibus igitur non est potestas collata, S. Alexandri Sauli exempla imitantes, eam non exoptent, animo reputantes, magis in ea oneris esse, quam honoris, atque satius esse obedire, quam imperare. Qui vero potestate potiuntur, tam eximio exemplo et ipsi edocti, perpetuo recogitent, non in suam, sed in subditorum utilitatem, sibi esse eam datam, ut omnes cognoscant et diligant Iesum Christum Dominum Nostrum, eique fideliter serviant.

Omnibus itaque, quae erant inspicienda, rite perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere aut attentare praesumpserit, vel ei ausu temerario contraire, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo quarto, III idus décembres, Pontificatus Nostri anno 11.

«f* EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

f Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus.

f Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior Poenitentiarius.

f Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancellarius.

f Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.

f Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli,

f Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla,

f Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di-Pietro.

f Ego Fr. H. M. Ord. Carmel, excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

f Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

f Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

f Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali Del Drago.

f Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.

f Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli.

f Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu,

f Ego P. tit. S. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi,

f Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli,

f Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gennari,

f Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella,

f Ego B. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni.

f Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.

f Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.

f Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Macchi,

f Ego A. Soc. les. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.

f Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna,

f Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

f Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Delia Volpe.

f Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.

f Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Tripepi.

f Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A. Card. Dr PIETRO, ***Pro-Dat.*** - A. Card. MACCHI

VISA

DE CURIA **I. Ds** AQJUILA *e Vicecomitibus*

Loco ^ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. CUGNONIUS.

EPISTOLA

Pii X ad Praesidem Sodalitatis Germanicae feminarum puellarumque sacris expeditionibus adiuvandis.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
BARONI DE HAXTHAUSEN
PRAESIDI SODALITATIS GERMANICAE FEMINARUM PUELLARUMQUE SACRIS EXPEDITIONIBUS ADIUVANDIS

FULDAM

PIUS PP. x

Dilecta filia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad suppetias expetitionibus sacris ferendas convertere vos, coniunctis viribus, animos, atque interea obsequium praestare Illi, qui, personam quum gerat Christi, universos, ad quos expeditio quaevis sacra pertinet, cura et cogitatione complectimur, gratum mirifice est. Quapropter non modo vestrum vehementer probamus amplificandae divinae gloriae studium, exemplumque laudamus, unde publice, ad avitae propagationem fidei, enitetis, sed memorem quoque voluntatem de oblata oratorii sacri supellectili testamur, munusque sic esse a Nobis exceptum profitemur, quemadmodum coniunctionis argumenta excipere par est, quae ab optimis qui-

busque filiis exhibeantur. Auspicem caelestium donorum Nostraeque dilectionis testem, Apostolieam benedictionem tibi singulisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xn Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X laudibus prosequentis Episcopos Oceaniae ob celebratum ab eisdem conventum.

DILECTO FILIO NOSTRO
PATRITIO FRANCISCO TIT. S. SUSANNAE S. R. E. PRESB. CARD. MORAN
ARCHIEPISCOPO SYDNEIENSIUM
CETERISQUE VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS OCEANIAE
SYDNEIUM

PIUS PP. x

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Habitum a vobis haud ita pridem conventum et consulta prudenter in eodem complura, non humane minus, quam grate communi epistola nunciastis. Equidem certe plenos vos divini spiritus, eosdemque officii apostolici diligentissimos in eiusmodi coetu impertiistis, ea maxima in re quum, non modo creditarum incremento ovium, sed eorum etiam, qui foris sunt, invitationi suavi dedistis operam. His quidem caritatem^ quae a Christo fortiter urget, demonstrare omnem curae fuit: pietatem vero commendare illis, et catholici nominis suadere omne genus opera studuistis. O utinam, quemadmodum pastoralem in vobis sollicitudinem Nos laude prosequimur, sic efficacitate Dominus ditet! Id sane sperare bene iubet vestra

in Immaculatam Virginem religio, cui uberius provehendae multum sane sollertiae in congressu impendistis. Virgo propterea Deipara consiliis ac laboribus vestris propitia prece obsecundet, vobisque caelestes gratias conciliet, quarum auspicem, Apostolicam benedictionem et vobis et gregibus vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ad Conventum Adiutorum Sodalitatis Salesianae.

DILECTO FILIO
PRAESIDI CONVENTUS GENERALIS
ADIUTORUM SODALITATIS SALESIANAE
MEDIOLANUM

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quotquot ex universis terrarum oris illustri censentur nomine Adiutorum rei Salesianae, valde equidem grate novimus conventum Mediolani esse acturos, de provehenda tum piae Sodalitatis tum sacri civilisque cultus opera sollicitos. Quam multis et quam libenter eiusmodi congressiones complectamur votis, admonet sane vos superiorum coetuum memoria, perspicueque declarat sive Nostra in Salesianos non intermissa unquam voluntas, sive earum enarratio rerum, de quibus conferre in coetu consilia praescripsistis. Etenim significata Nobis argumenta conventus gravitate praestare omnia et communi commendari gratia reperimus ; ut ecce conferendas in iuventutis commodum curas, sive litteris addicta illa sit, sive incumbat labori; impertienda populo, tum ad corpus

tum ad animum sublevandum, auxilia; comparanda iis, qui e patria migrarint, omne genus adiumenta; suppeditandum demum ethnicis fidei catholicae atque adeo humanitatis lumen. Quod coetus studia in hisce collocare constitutum sit, magnopere gratulamur, laudemque auctoribus damus quum quia utilia Sodalitio parant, tum quia opportuna et congruentia tempori spectant. Quamobrem summo eventus uberrimi desiderio congressionem prosequimur, nihilque interea dubitamus, quin frequentia Sodalium et alacritas expectationi Nostrae respondeant. Quae autem consulenda vobis aut providenda in congressu erunt, iis benignitas Dei propitia et volens adspiret, donetque abunde munera coelestia. Horum vero auspex Nostrique animi testis Apostolica benedictio sit, quam tibi atque e coetu singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxn Maii anno MCMVI, Pontificatus- Nostri tertio.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

Quo facultas Iuris canonici in Patriarchali Seminario Venetiarum canonice fundatur cum potestate academicos gradus conferendi.

PIUS PP. X

Summo sane afficimur gaudio quod in Patriarchali Seminario Venetiarum Iuris canonici Schola, cuius Nos ultro primi fundamenta jecimus, eos processus effecit, ut, Deo praesente, omnes omnino numeros continere videatur. Cum igitur ex iis quae ad amplificandam eius dignitatem, auctoritatem, gratiam valerent, nihil amplius desiderantur, illud nimirum reliquum est, ut huic operi, in cuius Nos inceptionem omnem curam studiumque Nostra sponte et voluntate contulimus,

extremam manum imponamus, illam videlicet altissimo quo digna est, honoris gradu, quod Nobis iampridem in maximis optatis est, cumulando. Quam ob rem, quo magis in Veneta regione, quam in primis amamus caramque habemus, Iuris canonici Institutum vigeat ac floreat ad adolescentes, praesertim clericos, diffusius interiusque in iis studiis instituendos atque imbuendos, quibus non solum ad sancta Ecclesiae Summique Pontificis iura tuenda et contra obtrectatores propugnanda quam optime utantur, verum etiam perfecte planeque sentiant ac videant quae via ac ratio tenenda in variis gravibusque sacerdotii muneribus sustinendis, ubi primum singulari Dei beneficio ad Summum Pontificatum elati sumus, nihil antiquius habuimus, quam ut ipsam Iuris canonici Disciplinam sive Facultatem privilegio gradus academicos deferendi augeremus. Itaque et aventes Nos quidem summam ac singularem amoris testificationem ipsi Disciplinae, quae quasi filia Nobis sit, praebere, atque ita ut quam maxima amplitudo splendorque eidem accedat, et confisi fore, ut hoc beneficium vehementissimum sit incitamentum cum magistris in tradendo, tum discipulis in discendo, hoc Nostro Motu proprio certaque scientia, audito S. Consilio studiis regundis, Disciplinam sive Facultatem Iuris canonici apud Patriarchale Seminarium Venetiarum canonice fundamus atque extruimus, Iidemque volumus et decernimus ut posthac eadem Disciplina uti et frui valeat potestate tres academicos gradus, Baccalaureatum, Licentiam ipsamque Doctoris Lauream ad nutum Apostolicae Sedis iis deferendi qui eius curriculum rite peregerint cum omnibus et singulis iuribus ac privilegiis quae insunt in academicis gradibus, qui ab Archigymnasiis sive Studiorum Universitatibus deferuntur. Cum vero Nostra permagni intersit et ad eius salutem incolumitatemque firmandam et ad exoptatissimos fructus capiendos, ut bene constituta sit, auctoritate Nostra Apostolica praescribimus ut hisce legibus sive Constitutionibus quam religiosissime servandis

ipsa Disciplina communiatur (i). Ita volumus atque iubemus. Contrariis quibuscumque minime obstantibus, licet mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum xiv Kal. Dec. a. MDCCCCV, Potificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

Quo Decanatus ac Collegiata S. Michaelis in Foro adnexumque Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiiciuntur.

PIUS PP. X

Propositum urgentes, quod in suscipiendo Pontificatu maximo ini vi mus, instaurandi omnia in Christo, animadvertimus in Lucana ecclesia rem esse, de qua diligenter per Nos provideri oporteat, ut ipsius utilitati ecclesiae consulatur. Decanatum dicimus Sancti Michaelis in Foro, decessorum Nostrorum auctoritate, de Archiepiscopi iurisdictione exemptum, proprioque iure administratum, cuius Decano, tamquam Ordinario, illud canonicorum Collegium et adiunctum Seminarium clericorum paret. Huiusmodi quidem exemptio quare induceretur olim, idoneas fuisse causas, certo scimus: sed cogitatio Nos incommodorum movet, quae nec pauca nec exigua inde sunt anteacto tempore profecta; quaeque si in praesens, divino beneficio, sunt nulla, sane tamen est periculum, ne vel graviora in posterum, quam antehac, exsistant. Multo igitur satius esse videtur tamquam in possessionem suam ius commune restitui; nam redintegrata gubernationis unitate totius dioecesis, multa sunt salutaria secutura, hoc nominatim, ut eisdem praeceptis institutisque conformati ad-

ii) Sequuntur 27 **articuli regimen studiorum et Facultatis respicientes *(N. R.).***

ministri sacrorum, facilius inter se retineant eam, quae opus est ad sancti muneris officia rite utiliterque obeunda, concordiam. Quare, nihil equidem detrahentes de Collegiatae ecclesiae dignitate, nihil de honorum insignibus et privilegiis canonicorum, Nos motu proprio autonomiam, qua Decanatus Sancti Michaelis in Foro usque adhuc utebatur, abolemus ; eamque Collegiatam ecclesiam, Capitulum, Decanum, adiectamque Decanatui scholam seu Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiicimus. Praeterea, quod totius dioecesis utilitas vehementer exigit, eamdem Scholam seu Seminarium Seminario archiepiscopali in omnibus iuris et oeconomiae rationibus, quae ad gubernationem administrationemque spectant, perpetuo coniungimus. Quotquot igitur sunt, qui cuiusvis generis bona eidem Scholae sive Seminario Sancti Michaelis legata assignatave, fiduciae titulo, possident, universos et singulos, sub poenis in iure canonico statutis, admonitos volumus, ea omnia bona tradant Archiepiscopo ; cui Nos eisdem bonis utendi in commodum singularis Seminarii dioecesani potestatem facimus: remota quavis exceptione aut praetextu, abrogatis etiam deletisque consuetudinibus contrariis, nec obstantibus concessionibus aut decretis decessorum Nostrorum, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Augusti anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

De presbyteris saecularibus sexagenariis in Hispania quoad carnes vescendas feriis II et III Maioris Hebdomadae.

Romae ex aedibus S. Officii, diei 31 Martii 1906.

Eme ac Rme Domine mi Observantissime,

Litteris datis die **15** Ianuarii anni currentis, Rmus istius ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, ut consultationibus sibi factis ex diversis Hispaniae provinciis faceret satis, sequentes quaesitus Emo Domino Cardinali Poenitentiario Maiori proponebat:

I. Utrum in Hispania presbyteri saeculares sexagenarii, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate , uti carnibus possint feria secunda et tertia Maioris Hebdomadae, sicuti fideles laici?

II. Et quatenus negative: utrum illos oporteat generali dispensatione ad huiusmodi usum communire?

Re ad Supremam hanc Congregationem S. Officii delata et in generali conventu habito feria IV die 28 curr. mensis mature discussa:

Ad I. Emi ac Rmi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum decreverunt: ***Negative.***

Ad II. vero SSmus D. N. in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, eorumdem Eminentissimorum Patrum voto inhaerens, benigne declarare dignatus est presbyteros saeculares sexagenarios in Hispania, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus posse feriis II et III Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici.

Quod dum ad Eminentiae Tuae notitiam, ut mei muneris

est, deferre propero, impensos altissimae aestimationis meae sensus testatus volo tibi, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae

Hriius et Addmus verus famulus

S. Card. VANNUTELLI.

Emo ac Rmo Domino
D. Card. Sancha y Hervas, Arch. Toletano.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FERETRANA

TRANSLATIONIS SEDIS PAROECIALIS

Decernitur translatio sedis paroecialis ob maius animarum bonum.

Species facti. Paroecia S. Apollinaris, in dioecesi Feretrana extans, sese protendit a vertice usque ad radices montis S. Pauli, atque sub sua ditione plures complectitur vicos huc illucque dispersos, inter quos in planitie plagae orientalis recensetur praecipuus pagus ***Mercatino Conca*** nuncupatus. Ecclesia vero paroecialis in ipsius montis cacumine exurgit, ubi incolarum numerus sensim sine sensu decrevit ita ut nunc vix ad 200 reducatur; dum e contra vicus Mercatino Conca eo incolis accrevit ut in praesentiarum plusquam 700 personas recenseat et spectari possit veluti centrum totius paroeciae. Hoc in pago adest quidem ecclesia et cappellanus a parocho deputatus pro spiritualibus fidelium necessitatibus, at oppidanis valde incommodum est, praesertim hiemali tempore, ob vias difficiles et fere impervias necnon ob nimiam distantiam 4000 nempe passuum, ascendere dorsum praerupti montis ad ecclesiam parochialem petendam.

Hisce permoti difficultatibus, mense Februarii 1905 Mer-

catinenses recursum obtulerunt huic S. C. expostulantes ut decernatur translatio sedis paroecialis S. Apollinaris in pagum Mercatino Conca. Verum huic petitioni totis viribus refragati sunt qui partem superiorem paroeciae incolunt. Cum vero rogatus fuisset Episcopus super quaestione, hic, attentis animarum bono ac numero, loci praestantia, necnon ipsius rei rationabilitate, litteris diei 24 Martii 1905 favorabilem se praebuit petitae translationi, dummodo tamen Mercatinenses stent promissis restaurandi ecclesiam et parochialem domum. Addit insuper quod cum modo paroecia sit vacans eiusque collatio S. Sedi ratione mensium Papalium reservata, in hypothesi conservationis primitivae sedis paroecialis, in Bulla collationis aequum foret novo parocho imponi onus suis expensis manutenendi cappellanum in pago Mercatino Conca et assentiendi eventuali erectioni novae paroeciae.

Disceptatio Synoptica. Qui iura parochianorum superioris partis paroeciae defendit, praemittit controversiam de translatione sedis paroecialis S. Apollinaris in pagum Mercatino Conca esse pervetustam. Sane an. 1781, iam diruta ecclesia paroeciali, occasione aedificationis novae ecclesiae, nonnulli Mercatinenses praetenderunt, ut dicta ecclesia in ipsorum oppido erigeretur. Quaestio delata fuit ad S. C. EE. et RR. quae, attento contrario voto Episcopi illius temporis nec non relatione Cardinalis Ponentis, illorum praetensionem reiecit. Postea non semel eadem controversia excitata est, praesertim occasione vacationis paroeciae, et recenter efferbuit coram S. C. Concilii an. 1890. Verum quamvis votum Vicarii Generalis esset ***pro optata et sane perutili translatione***, tamen eadem S. C. prius eius resolutionem distulit, et deinde sub die 29 Ian. 1891 rescripsit: ***Auditis interesse habentibus, statuat Ordinarius quidquid bono animarum magis utile in Domino iudicaverit.*** At hanc utilitatem Curia Feretrana numquam recognovit, quoad usque iterum recursus huic Supremo Tribunali fuit oblatos.

Orator deinde aggreditur disceptationem primi dubii, et subiicit praetensam translationem esse odiosam utpote iurium laesivam, sive spectetur ***in petitorio,*** quia concursum aedificationi et dotationi ecclesiae et constructioni domus paroecialis proprio aere praestiterunt tantum vicani partis superioris paroeciae; sive spectetur ***in possessorio,*** quia vicani praedicti in possessione sunt plusquam saeculari sedis paroecialis ; unde se tueri possunt interdicto ***Uti possidetis,*** quod nedum fuit receptum a iure canonico et ampliatum ad iura spiritualia, sed etiam additum aliud remedium possessorium nempe exceptio spolii ex quo principium: ***Spoliatus ante omnia est restituendus.*** Et iure merito huiusmodi translationes sunt improbatae, tum quia non debet unum altare nudari ut aliud vestiatur iuxta ***cap.*** *j6* ***de praeb.;*** tum quia recte ordinata non debent contrariis ordinationibus everti iuxta Conc. Trident. ***(Sess.*** *2 j ,* ***cap.*** *5,* ***de Reform.).*** Expositam doctrinam defensor firmat iurisprudentia H. S. C, et plures affert resolutiones ex quibus erui dicit in huiusmodi controversiis semper rationem habitam fuisse possessionis, quae causa extitit decernendi vel non translationem sedis paroecialis, uti videre est in ***Lucàna-Parochialis*** *2* Apr. 1887, in ***Firmana—Translationis*** 26 Iunii 1779, in ***Fulginaten,-Translationis parochialis*** 16 Martii 1782, in ***A merina*** 5 Maii 1706 et signanter in ***Feretrana-Residentiae*** 30 Aug. 1817. Dicta praeterea translatio ad actum redigi non potest, sive quia in pago Mercatino Conca deest congrua ecclesia, sive quia non extat domus paroecialis in qua parochus residere valeat. Nec iuxta advocatum obstat votum actualis Episcopi translationi paroeciae favorabile, quia hoc pugnat cum mente suorum praedecessorum, et quia S. Sedes ex intrinseco causae merito controversias dirimere solet.

Quoad alterum dubium, nempe quoad obligationem novo parocho imponendam suis expensis manutenendi cappellanum coadiutorialem in pago Mercatino Conca, notat patrocinator quod novi oneris impositio in themate fieri nequit, praesertim

quia reditus paroeciales impares sunt ad sustinendam pensionem annuam libell. 300, in qua summa, iuxta Episcopum, definienda esset retributio favore cappellani. Quare, concludit, si neque parochus hoc onus ob defectum redituum supportare valeat, neque paroeciani efficaciter ad dictam obligationem assumendam cogi possint, cautum est a sacris canonibus ut onerata maneat mensa episcopalis, uti tenet Fagnanus ***(cap.*** Inter caetera, ***de off. Ordin.)*** et Sebastianeiii ***(Prael. can., de Rebus, tit. S).***

Ex adverso qui tuetur paroecianos partis inferioris contendit sedem paroecialem in pagum Mercatino Conca esse transferendam. Recolit sive ex fine institutionis parochorum sive ex spiritu sacrorum canonum et praesertim Tridentinae legis ita parochos vocari ad regendam paroeciam, ut vitae quadam communione cum suis subditis conversentur; ex quo sequitur quod si paroecia pluribus vicis constet, parochus residere debeat in vico omnium frequentissimo. Et in themate ex mille circiter parochianorum, quibus paroecia constat, septingenti unum corpus efTormantes in Mercatino degunt, reliqui per agros sparsi in parte superiore paroeciae inveniuntur. Mercatini insuper sunt omnia aedificia usibus publicis destinata, et ad Mercatinum etiam commeare oportet paroecianos partis superioris, si vitae necessitatibus consulere vel commercium inire cupiunt.

Alterum vero argumentum advocatus desumit ex loco in quo invenitur actualis sedes, videlicet in fastigio praerupti montis; ad quam proinde accessus, praesertim hiemali tempore, difficilis evadit ob viarum asperitatem. Ex quo fit ut plures paroeciani nonnullis anni temporibus prohibeantur a functionibus paroecialibus et a communicatione cum parocho.

Deinde advocatus, ad obiectiones adversariorum diluendas properans, sustinet quod argumentum ex antiquitate paroeciae S. Apollinaris deductum antiquis temporibus valere poterat quando fere omnes paroeciani in fastigio montis de-

gebant, non autem hodie quum pagus Mercatino Conca factus sit prae omnibus populo creberrimus. Hinc eadem ratio quae primis temporibus suaserat institutionem sedis paroecialis in parte montana paroeciae, eadem nunc urget, ut ea transferatur in partem inferiorem. Hanc conclusionem nonnullis resolutionibus H. S. C. vallat, ut in una ***Nicien.- Translationis paroeciae*** 12 Dec. 1705, et in una ***Mediolanen.*** 3 Apr. i 734, et alibi passim. Neque, pergit advocatus, recipi potest argumentum ex eo depromptum quod paroeciani partis superioris paroeciam dotarunt et ecclesiam iterum aedificarunt : haec enim non fuerunt praestita sub conditione, quod sedes paroecialis numquam alibi etiam iustis de causis transferri posset; caeterum pagus Mercatinus modo conflatur praesertim ex illis familiis, quae, relicta parte superiore loci, in partem inferiorem sese transtulerunt. Concludit demum orator facile occurri posse incommodis, quae ob difficultatem accedendi ad novam paroeciae sedem persentirent parochiani partis superioris, deputatione Vicarii paroecialis in veteri sede, qui diu noctuque eorum necessitatibus invigilet.

Dubia. I. ***An et quomodo sit locus translationi sedis paroecialis ecclesiae S. Apollinaris, vel potius conservanda sit sedes paroecialis actualis in casu.***

Et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam :

II. ***An et quomodo parochus S. Apollinaris cogendus sit ad statuendum suis expensis Vicarium coadiutorem in pago Mercatino Conca in casu.***

Responsa. Emi Patres S. C. C, perpensis rationibus in medium prolatis, die 26 Augusti 1905 rescribere rati sunt:

Ad I. ***Providebitur in secundo.***

Ad II. ***Affirmative, iuxta cap. IV, sess.*** *21* ***Conc. Trid. de Reform., et Episcopi votum in litteris diei*** *24* ***Martii ipoj.***

Nova causae propositio. Huic rescripto minime acquieverunt incolae pagi Mercatino, quibus, instantibus pro se-

cundo experimento, novum audientiae beneficium concessum est.

Advocatus Mercatinensium demonstrare conatur locorum conditionem eam omnino esse, quam ipse in prima causae disceptatione descripsit; hocque confirmat pluribus adductis testimoniis sacerdotum, qui Episcopum dioecesim invisentem Mercatinum nuperrime comitati sunt.

Deinde probandum suscipit parochianis, qui habitant in monte, nullum, translata paroecia, detrimentum importari. Nam ex mille circiter parochianorum, vix incolunt alta bis centum; Mercatini vel vivunt reliqui, vel in vicis, qui, inspecta distantia et itineris facilitate, Mercatino viciniores sunt. Paucis vero illis, qui in altis habitant, satis provisum esse apparet ex facto quod eodem in vertice, ubi est ecclesia S. Apollinaris, vetus oppidum Mons Grimanus inveniatur cum alia ecclesia parochiali et sede municipii, cui Mercatinenses subiiciuntur. Et admodum brevis est inter utramque paroeciam distantia, uti fidem facit Capitulum Cathedrale, et confirmant qui loca inspexerunt cum Episcopum dioecesim invisentem comitarentur. Quibus accedit proborum hominum sententia, qui quot sunt in paroecia et in dioecesi, tot exposcunt, ut sedes transferatur; inter quos eminent Episcopus, necnon Canonici qui in conventu habito, uno ore iudicarunt, in fidelium emolumentum sedem esse transferendam.

E contra qui oppidanos S. Apollinaris defendit, contendit iniquam fore sedis paroecialis translationem. In duas partes dispescit orationem, quarum in prima rationes reassumit quae translationem in themate vetant, easque desumit triplici praesertim ex capite nempe ex parte personarum, loci et dotis. Personae enim, quae partem superiorem incolunt, sunt nobiles et perantiquae, et caeteroquin sunt numero maiores decem familiarum quae requiruntur ad hoc ut paroeciam habere possint iuxta ***can.*** *2,* ***caus. X, quaest.*** *2.* — Cfr. Fagnanus ***(De eccl. aedif., cap.*** Ad audientiam, ***n.*** *28),* Ferraris ***(v.*** parochia, ***n. iß)y*** et ***Acta S. Sedis (vol. iß, pag.*** *2Cß).*

Locus praeterea est valde alpestrïs et, tempore praesertim hiemali, ob itinerum difficultatem non est possibilis accessus ad paroeciam Montis Grimani; tempore vero aestivo plures illuc se conferunt advenae ob aquas minerales, aërisque salubritatem. Tandem quoad dotem ostendit in regione montana S. Apollinaris omnia, parata esse propter convenientem parochi residentiam; in planitie e contra, seu Mercatino Conca, plura deesse, quum neque ecclesia sit sufficiens, neque domus parochialis adsit, neque congrua dos. Praeterea patronus enumerat inconvenientia, quae sive quoad fontem baptismalem, sive quoad funera, sive quoad populi tumultum ex sedis paroecialis translatione exurgerent.

Deinde defensor gradum facit ad alteram orationis partem, in qua ad trutinam revocat documenta noviter ab adversaras in medium prolata. Contendit enim ecclesiam S. Apollinaris satis amplam et sufficientem esse, nullo modo fatiscentem ac collabentem, nec sacra suppellectili deficientem dici posse. Tandem ad votum Capituli devenit, ex quo potissima desumitur adversariorum difficultas, illudque quoad formam et quoad substantiam impetit. Itaque concludit in casu decerni non posse translationem, resque in integrum, etiam quoad libellas 300 cappellano solvendas, restitui debere; et si in pago inferiori alia est necessaria paroecia, locum esse dismembrationi.

Dubium. ***An sit standum vel recedendum a decisis in casu.***

Resolutio. Et eadem S. C , re denuo ad trutinam revocata attentisque noviter deductis, die 30 Iunii 1906 sequens dedit responsum:

Recedendum a decisis ; et residentiam parochi transferendam esse in loco Mercatino Conca, salva potestate Episcopi providendi curae animarum in planitie superiori existentium, sive per Vicarium cum plenitudine paroecialis iurisdictionis, sive per unionem ad próximas paroecias, sive alio canonico modo sibi magis beneviso.

Colliges. i°. Translatio sedis paroecialis, utpote in iure odiosa, fieri nequit nisi iustis concurrentibus causis.

2°. Potissima vero translationis decernendae **causa** in **maiori** animarum bono reponitur, quum salus populi seu animarum suprema lex sit.

3°. Parochus enim ut salutaribus verbis, exemplis ac sacramentis proprios parochianos pascere eosque sacro ministerio adsistere efficaciter possit, necesse omnino est ut in medio eorum, vel saltem ubi maior pars degit, residere teneatur.

4°. In themate igitur eadem ratio, quae antea suaserat institutionem paroeciae in loco S. Salvatoris veluti in centro; hodie, mutatis penitus adiunctis, urget ut paroecia transferatur in pagum Mercatino Conca.

5°. Idque eo vel magis apparet quia diversimode provideri potest curae animarum in vico S. Salvatoris degentium.

MELEVITANA

IURIS DEFERENDI STOLAM

In funeribus ius deferendi stolam et etiam pluviale, cum praecedentia super ipsum parochum, canonico digniori Collegiatae vi consuetudinis competere potest.

Factispecies. In civitate *Conspicua,* Melevitanae dioecesis, an. 1822 institutum fuit a Pio VII Capitulum Collegiale cui ab ipsa erectione habitualis animarum cura commissa est, reservata canonico archipresbytero cura actuali. Contentionibus inter utrumque de peragendis functionibus exortis, Pius VIII sua Constitutione an. 1830 decrevit ut animarum cura ab archipresbyteratu perpetuo disiuncta, eadem tum actualis tum habitualis Capitulo concederetur et uniretur, exercenda tamen vel per dignitarios et canonicos, vel per Vicarium curatum ab eodem Capitulo deputandum. Attamen quum eadem Constitutio ob plures difficultates exequi non potuerit, serius praeeunte Melevitano Episcopo, concordia a Ca-

pitulo inita est, dein per Bullam Pii IX an. 1850 confirmata, quae est sequentis tenoris: « i°. ut cura actualis unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario curato per Capitulum universum, comprehenso archipresbytero, eligendo; 2°. ut ad Vicarium ipsum curatum spectet tantum administratio sacramentorum, et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit; salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio quae eidem Capitulo uti ecclesiae rectori debeantur ; coetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti ecclesiae rectori reservata sint et remaneant ».

Nihilominus cum idem Capitulum plures adhuc parochiales functiones per seipsum expleret, Vicarius curatus ad S. C. Concilii recursum habuit, quae ad primum dubium: ***An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario curato in casu,*** die 20 Dec. 1902 respondit: ***Affirmative quoad exercitium curae animarum*** (i).

Contentionibus tamen inter Capitulum et Vicarium curatum haud extinctis, hic die 13 Maii 1904 supplicem eidem Curiae libellum porrexit, expetens ut Capitulum ad executionem praefatae decisionis diei 20 Dec. 1902 adigeretur, in specie autem in quibusdam se manuteneri iuribus expostulavit, inter quae ut sibi ius esset stolam deferendi cum praecedentia super Capitulum in deferendis in ecclesiam defunctis. Verum cum Episcopus die 3 Febr. 1905 declarasset ius stolae spectare ad digniorem in Capitulo, Vicarius curatus Azzopardi, eiusmodi decisione se gravatum sentiens, ad hanc S. C. Concilii appellationem instituit.

Disceptatio Synoptica. Vicarius curatus ut demonstret eidem in funeribus ius gestandi stolam spectare, contendit haud dubitari posse idem ius ad illum pertinere qui sit actu parochus vel Vicarius curatus, idque desumit ex inducta a

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, pag. 346-368.

S. Rituum C. disciplina. Nam in una ***Aliphana*** 24 Nov. 1691, n. 1857 proposito dubio «An canonicus cui fuerit commissa cura animarum debeat\ uti parochus, stola amictus praecedere canonicos, aut stare et sedere in loco suae receptionis sine stola, illamque potius deferri a prima dignitate aut canonico », rescriptum fuit: « Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola et gerere personam parochi, locum non habet inter canonicos; sed incedere debet uti parochus ante Capitulum Cathedrale post ceteros presbyteros. Si autem velit interesse uti canonicus, stare debet loco suae receptionis, sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo ».

Ulterius pergit ad exceptionem evertendam, qua Capitulum sibi suffragari consuetudinem sustinet ex alio S. RR. C. decreto ***Super exequiis*** die 23 Apr. 1895 ad III* n. 3854, dato, quo Capitulis Collegialibus ius in funeribus stolam gestandi tributum est, si, uti in themate, eadem consuetudo sit legitime inducta (i). Siquidem, subdit, huiusmodi decretum causae huic haud nocet, si recte interpretetur. Animadvertit autem ipsum duas partes complecti, quarum prima ius Vicarii perpetui non modo non imminuit sed potius confirmat, cum iubeat in demortuis efferendis stolam gestari a parocho, licet non modo Collegiata ecclesia sed etiam Capitulum Cathedrale ad idem funus vocetur. Alteram decreti partem, videlicet ***si ferat consuetudo,*** tria Capitulo Collegiali tribuere adnotat, videlicet potiorem in funere locum, ius induendi pluviale excluso parocho, denique ius gestandi stolam parocho non excluso, sed ita ut tum parochus tum canonicus dignitate primus in Capitulo ea cohonestetur. Exinde contendit Episcopum errore ductum diversam in partem decretum accepisse. Nam illa decreti verba « dignior Capituli incedat cum stola et etiam cum pluviale, ***quod*** tamen non ferat pa-

ti) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 36, pag.** 422.

rochus », ita sonare iudicavit, veluti si parochus tum pluviali tum stola interdiceretur. Verum si mens decreti fuisset neutrum gestari a parocho, dictum fuisset: « ***quae*** non ferat parochus ». Unum proinde parocho interdictum fuisse contendit per illum singularem numerum ***quod,*** scilicet non stolae usum, sed pluvialis; eoque magis tum quia pronomen ***quod*** proximo verbo ***pluviali*** cohaereat oportet, tum quia femininum genus ***stola*** cum neutro genere ***quod*** componi nequit.

Contendit praeterea Vicarius consuetudinem Capitulo non suffragari ; recolit enim consuetudinem non dari quin legitima possessione fundetur; possessionem autem minime esse legitimam quae errore nitatur, ut tradit Reiffenstuel ***(lib. i, tit.*** *4,* ***de consuetud., n.*** *126).* Iamvero ante huius S. C. responsum diei 20 Dec. 1902, quo cura actualis, excluso Capitulo, demandata est Vicario, hic communiter censebatur ex Capituli ipsius delegatione tantummodo sacramenta administrare; proinde cum funera sacramentis non adnumerentur, consequens erat ea sibi vindicari Capitulum, adeo ut sicut Missam praesente cadavere litabat, ita stolam in exequiis deferret. Detecto itaque errore, consuetudo quae inde originem duxerat corruat necesse est, et Vicarius perpetuus uti Missam litat praesente corpore, ita stolam gestare debet in exequiis.

Quin imo, prosequitur patronus, non modo ius stolam gestandi, sed Vicario potior quam Capitulo locus in exequiis adiudicandus est. Ita hic S. O. in una ***Galtellinoren.*** 22 Iunii 1891 ad III sive ius gestandae stolae sive primum locum Vicario prae Capitulo adiudicavit ; ad dubium enim : « An Canonicus curatus iure distincto frui possit in defunctorum exequiis Capitulo assistente», responsum dedit: «Si agatur de exsequiis parochianorum, praecedentiam spectare ad Canonicum curatum ratione stolae » (i).

Ex altera vero parte Episcopus praemittit quod proba-

ti) Cfr. *Acta S. Sedis,* **vol.** 24, **pag.** 97-113.

bilius Vicarius curatus allegare intendebat causam ***Galtellinoren.,*** prout deinde ipsa decisa fuit in comitiis diei 2 Iulii 1892 (i). Sed haec ad rem non facere adnotat, quia ibidem quaestio non erat de usu stolae, sed tantummodo de praecedentia, quam haec S. C. Vicario curato adiudicavit ratione stolae; quapropter si ipse stolam non deferret, nec praecedentia frui posset. E contra in themate agitur de iure deferendi stolam in associationibus funerum, ac proinde de iure in iisdem praecedendi. Sententia autem ab ipso edita admisit quidem quod ius deferendi stolam in hisce associationibus per se competit Vicario curato, at minime quum veluti in casu obstat contraria consuetudo, quae ab ipsa Collegiatae erectione viget, quumque canonici nedum curam habitualem sed etiam actualem exerceant.

Quibus accedere ait citatum decretum generale S. C. Rituum ***Super exequiis*** diei 23 Apr. 1895, quod clarissimis verbis statuit: « Parochum primas habere super omnem clerum, excepto ***(si interfuerit)*** Capitulo Cathedralis ecclesiae, quod in associatione incedei post ipsum parochum ; excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior Capituli Cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus, et idipsum servabitur si Capitulum ecclesiae Collegiatae post parochum incedat ».

Quare tota controversia in eo versatur, an revera favore Capituli Conspicuae adsit consuetudo, quae ab ipso decreto, ad instar necessariae conditionis, requiritur. Iamvero Vicarius curatus, non denegans factum consuetudinis, hanc tamen in casu invocari non posse contendit. At Archiepiscopus sese opponit rationibus adductis a Vicario, sive quia consuetudo in casu in dubium revocari nequit, et de coetero decretum non distinguit inter consuetudinem et consuetudinem; sive

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* **vol.** 25, **pag.** 21 3-225.

quia ipsi Canonici, etiamsi actualem curam haberent, nunquam sacramenta administrarunt absque Vicarii delegatione.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii, adhibita matura deliberatione, die 30 Iunii 1906 rescribendum censuerunt:

Decretum Episcopi esse confirmandum, salvo Vicario curato iure deferendi stolam, si incedat loco proprio sui ojficiL

Colliges. i°. In defunctorum associationibus, absente Capitulo, ius deferendi stolam et etiam pluviale cum praecedentia super omnes presbyteros competere parocho vel Vicario curato dubium adesse nequit.

2°. At, praesente Capitulo ecclesiae Cathedralis, hoc idem ius spectat ad digniorem Canonicum Capituli, cum praecedentia super ipsum parochum vel Vicarium curatum: quod valet etiam de Capitulo Collegiatae ecclesiae, si consuetudo legitime inducta sit, vi cuius dignior e Collegiata prae parocho deferat stolam.

3°. In utroque tamen casu parochus quoque stolam gestare potest, dummodo, si et ipse sit canonicus, incedat loco sui officii proprio seu uti parochus ante Capitulum.

4°. Canonicus vero curam animarum habens, qui inter canonicos interesse malit, absque stola procedat necesse est.

5°. In themate igitur, quum legitima consuetudo ferat ut dignior e Capitulo Collegiali deferat stolam habeatque praecedentiam prae Vicario curato, hic stolam et ipse deferre nequit nisi ante idem Capitulum incedat.

MEDIOLANEN.

REDINTEGRATIONIS BENEFICII

Factum initae compositionis ecclesiasticae quoad bona beneficialia est positive probandum.

Species facti. In Collegiata ecclesia loci vulgo ***Brivio*** an. 1729 sacerdos Ioseph Caprotti fundavit canonicatum S. Dominici, cui, praeter onera choralia aliis canonicis communia,

nihil aliud speciale adiecit, nisi quod obnoxium voluit iuripatronatui passivo favore descendentium, reservato tamen ad Archiepiscopum iure eligendi inter passive vocatos. Ultimus vero descendens e familia Caprotti fuit missionarius Petrus Caprotti, qui canonicatum consecutus est anno 1855, quique prius promotus ad Episcopatum titularem Hyderabadensem in Indiis et dein ad Amidensem, tandem an. 1896 obiit. Hic duos fratres sacerdotes habuit nempe Iosephum et Ioannem, necnon sororem nomine Mariae.

Publicatis itaque in Italia an. 1866-67 legibus eversivis proprietatis' ecclesiasticae, etiam hoc beneficium Fisco obnoxium mansit. At familia Caprotti, prehabita licentia Curiae Mediolanensis, an. 1869 illud redimere curavit quoad dimidium dotis ad tramites legum italicarum, nempe pro patronatu passivo taxa 30 °J₀ persoluta; serius vero alteram quoque partem vindicare sategit sed, nonnullis exortis difficultatibus, redemptionis actus nonnisi die 5 Maii 1884 perfectus fuit. Summa erogata pro beneficii redemptione fuit libell. 6755.29, quarum 5585.19 pro taxa Gubernio persoluta, et reliquae pro expensis; valor autem fundo a Fisco addictus fuit in libell. 9600, quae tamen ad libell. 8164.80 reductae fuerunt.

Interea an. 1885 superstites fratres Ioannes et Petrus, necnon soror. Maria Caprotti bona stabilia beneficii existentia in oppido Bripii pro summa libell. 8000 alienarunt, sibi tantum reservata proprietate stabilium bonorum beneficii in oppido ***Carate*** extantium. Verum an. 1900 defuncta est etiam unica superstes et haeres, Maria Caprotti, quae tres alios sacerdotes haeredes fiduciarios iam nuncupaverat, qui totam massam haereditariam prius erogare in quaedam pia legata, et dein hospitale in oppido Carate fundare debebant.

De hoc edoctus Praepositus Collegiatae Bripii, Aloisius Bonacina, qui paroeciam sub fine an. 1899 obtinuerat, amicabili compositione in irritum cessa, iudicium apud Curiam Mediolanensem instituit ut hos haeredes fiduciarios impellerei

ad redintegrandum canonicatum S. Dominici, summam petens libell. 18789.50, nempe libell. 13770 pro valore fundorum, 4819.50 pro fructibus decursis a morte ultimi investiti, et 200 pro expensarum iudicialium refectione.

Curia Mediolanensis die 18 Aprilis 1904 sententiam protulit, cuius pars dispositiva est sequens: « Etsi desint documenta scripto exarata de compositione in causa, tamen cum ex personarum nempe ex parte patronorum, et temporum adiunctis exurgat moralis- certitudo de compositione peracta aut de aequivalenti, non tenentur haeredes et successores Mariae Caprotti ad solutionem libell. 18789.50.

« Quum vero summopere urgeat nunc temporis pro frequentia populi, aedificatio et ampliatio sacrarum aedium, ut in casu ecclesiae antiquae et insignis praeposituraе Bripii, et insuper rationabiliter supponi potest, quod si adhuc in vivis agerent Episcopus Caprotti et eius fratres, ad opus concurrere voluissent de amplianda ecclesia, idcirco aequum censemus ut haeredes praedicti aliquam pro Ordinarii arbitrio libellarum vim favore dictae ecclesiae Bripii persolvant.

« Expensis pro dimidia parte distributis inter actorem et haeredes et successores Mariae Caprotti ».

Contra hanc sententiam appellarunt tum parochus Bonacina, tum ipsi haeredes qui tamen secundam dumtaxat partem impugnant.

Deductiones haeredum. Ipsi probare contendunt se exoneratos esse a solvenda quacumque summa, compositionis titulo favore canonicatus S. Dominici. Sane qui beneficii bona redemerunt, fuerunt eorum auctores, seu fratres et soror Maria Caprotti, a qua causam habent; hinc onus probandi utrum revera compositio cum auctoritate ecclesiastica extiterit, sibi non incumbit, cum uti traditur in regula XIV in 6°, ***qui in ius alterius succedit, iustam ignorantiae causam habere censeatur:*** quod etiam sancitum invenitur in art. 2142 codicis civilis italici, iuxta quem haeredes per praescriptionem exci-

pientes extinctionem debiti contracti ab eorum auctore, cogi tantum possunt ad iurandum utrum notitiam habeant illud non fuisse extinctum. Quare pro iisdem tantum probatio requiritur indirecta seu negativa; qui autem rem positive probare debet, scilicet compositionem non extitisse, est pars adversa.

Caeterum urgent compositionem reapse intercessisse, quae morali certitudine ex pluribus indiciis constat. Primum enim indicium desumitur ex qualitate personarum, quae dictam compositionem perfecerunt, quaeque non solum honestate sed etiam pietate et religione praefulserunt, adeo ut totum familiare patrimonium in causas pias inverterint. Iamvero, uti tradit Reiffenstuel ***(Ius. can., lib.** 2, **tit.** 23, **n. 86)*** etiam viri dumtaxat honesti et providi praesumuntur rite processisse in suis negotiis. Nec admitti potest ipsos hanc obligationem latuisse: id enim aperte exploditur a pluribus documentis, uti sunt literae sive a Curia Mediolanensi, sive a filiis Caprotti missae suum ad parentem Ioannem Petrum, quando actum fuit an. 1869 et sequentibus de beneficii dotatione recuperanda a Fisco, in quibus sermo est de ecclesiasticae compositionis necessitate. Insuper haeredes observant turbulentis temporibus quibus redemptio beneficiariae dotis evenit, in more fuisse apud ecclesiasticas Curias plerumque nullam exhiberi adnotationem seu declarationem de secuta transactione , sed tantum consuevisse oblatam pecuniam tradi ***brevi manu*** pro investimento favore causae piae. Hinc nil mirum si circa factam compositionem nulla extet expressa adnotatio : eo vel magis quod in quadam epistola a Sac. Iosepho ad sororem Mariam conscripta duplex innuitur compositionis modus, restitutio nempe beneficii vel sin minus constitutio alterius pii operis quod inserviret ad memoriam pii fundatoris servandam. Nec negotium facessit quod si compositio revera facta fuisset, aliqua ipsius memoria saltem in parochiali archivio extare deberet; nam haeredes ad hoc explicandum duas efifingunt hypotheses, quarum prima est in-

curia parochi Strucchi antecessoris in ordinandis rebus suae paroeciae, altera vero in eo ponitur quod documentum compositionis demonstrativum confundi potuit inter chartas ab haeredibus parochi Strucchi receptas.

Sed ulterius iuxta haeredes praesto sunt uberiora et apodictica argumenta ad probandam secutam compositionem. In istrumento enim venditionis bonorum beneficii extantium Bripii an. 1885, haec declarantur immunia ab omni onere tam temporaneo quam perpetuo; quod asseri non potuisset, si bona adhuc ecclesiastico vinculo erant obnoxia. Item dicendum de aliis bonis beneficii in oppido Carate extantibus, et quae Maria Caprotti paulo ante suum obitum, iuxta pias dispositiones duorum fratrum Ioannis et Iosephi iam demortuorum, alienavit, sibi usufructu servato.

Facta praeterea compositio adstruitur ex nonnullis testibus, qui vel ab ipsa Maria accepisse deponunt familiam Caprotti, postquam hanc Bripii quaestionem finivit, reliqua bona reliquit Ecclesiae. Hoc idem confirmatur ex circumstantiis et factis, quae in bonorum vindicatione intercesserunt, praesertim vero ex eo quod ad rem petita et obtenta fuit necessaria facultas a Curia Mediolanensi.

Relate vero ad modum quo compositio facta fuit, cum de eo non constet, haeredes instant ut quatenus vel non servatae fuerint debitae solemnitates, vel compositio locum habuerit in aequivalenti, concedatur benigna sanatio; sive quia familia Caprotti erga Ecclesiam est maxime benemerita, cum factae oblationes et expensae attingant multa millia libellarum; sive quia canonicatui S. Dominici nulla pia onera satisfacienda adnectuntur si demas servitium chori, quod nunc non amplius expleri potest ex secuta Collegiatae eversione.

Deductiones parochi. Ex adverso Praepositus Bonacina recolit haeredes familiae Caprotti, quamvis beneficium iurispatronatus a Gubernio vindicaverint, bonaque quae illud constituebant alienaverint, iure tamen ad iustum solvendum

pretium, expensis pro redemptione deductis, posse adstringi, iuxta ea quae in ***Monitore ecclesiastico* (Cons.** *74,* ***pag.*** *360,* ***vol.*** *2)* leguntur. Iamvero parochus negat compositionem locum habuisse, cum nulla iusti pretii traditio Episcopo facta fuerit. Et quidem cum ipsa tum Episcopum tum paroeciam tum ipsos patronos respiciat, ordinarie evenit ut de ea sive in Curia, sive in parochialibus regestis, sive ab iisdem patronis exemplar servetur; atqui in casu nihil omnino invenitur. Praeterea parochus extare ait documentum ab ipsa Maria Caprotti exaratum, quo tum pecuniae summa ab alienatione bonorum Bripii percepta, tum quomodo eam ipsa Maria impenderit declaratur, adeo ut clare appareat nullam ipsius pecuniae summam Episcopo uti iustum pretium fuisse traditam, nec ullam proinde habuisse locum compositionem.

Neque moralem de eadem compositione certitudinem admitti posse contendit, cum nullum ex tribus patronis a fundatore descendentibus eam peregisse constet, sed tantum Mariam Caprotti, quae minime regulae obtemperavit ab eadem Curia an. 1869 praescriptae. Quoad testes ab adversariis allatos observat, eosdem alio tempore contrarium testatos fuisse. Item addit immerito Curia Mediolanensis insimulatur de negligentia in asservando eiusdem compositionis documento; nam praeterquamquod id quolibet destituitur fundamento, iniuriamque sapit, refellitur a quadam declaratione ipsius Vicarii Generalis die 29 Iulii 1904 data. Frustra etiam ait ad aequivalentem compositionem confugi ; licet enim familia Caprotti sua bona piis instituendis operibus impenderat, recolit tamen quando de iurepatronatus agitur, beneficium integrum manere debere, adeo ut neque ipse Episcopus idem immutare possit. Neque meliori omine effingere adversarios Pontificium obtinuisse rescriptum, postea ab ipsis deperditum. Animadvertit siquidem praesumptionem concessionis Apostolicae non admitti, minimeque aequum esse iuxta Conc. Trid. ***(Sess**** *2f,* ***cap.*** *9,* ***de Reform.)*** patronorum iura tollere, quae ideo strictam patiuntur interpretationem.

Quapropter cum compositio haud peracta fuerit, necesse est, ait, ut ea inita, iuspatronatus in dicta Bripii ecclesia iterum instituatur iuxta fundatoris voluntatem, et quidem ab haeredibus Mariae Caprotti, cum ipsa pretium venditionis perceperit, fratrumque haereditati successerit, qui eiusmodi beneficio perfruiti sunt ab an. 1855 ad an. 1896 quin aliquid Bripii ecclesiae dederint.

Post haec parochus pergens ad determinandam eiusdem beneficii quantitatem pro peragenda compositione, recolit ex instructione praesertim data a S. Sede die 15 Apr. 1892 perpendenda esse : « fundorum seu iurium valor realis eo tempore quo compositio initur, pretium emptionis, praesens oratorum status, id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt, onera pia, quorum praecipue ratio habenda est ». Hinc plura addit quae tum ad valorem realem fundorum tum ad alias partitas spectant.

Dubium. *An Curiae Mediolanensis sententia 18 Aprilis i po 4 sint confirmanda vel infirmanda in casu.*

Responsum. Emi Patres S. C. C. praepositi, omnibus aequa lance libratis, die 30 Iunii 1906 rescribere mandarunt:

Infirmandam esse sententiam.

Colliges. i°. Bona beneficiaria, etsi a Fisco dirempta, iure ad Ecclesiam pertinere pergunt, usque dum non constet eorumdem saltem compositionem cum ecclesiastica auctoritate peractam fuisse.

2°. Factum proinde transactionis admitti nequit nisi extitisse positive ostendatur.

3°. Erogatio autem bonorum patrimonialium in alia pia opera constituere haud valet argumentum subsecutae compositionis, neque, absque Ecclesiae interventu, aequiparari ipsi compositioni.

4°. In casu non satis probatur ecclesiasticam compositionem intercessisse, quum honestas familiae Caprotti eiusque bona voluntas transactionem peragendi non praetergrediatur simplices praesumptionum terminos.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AVERSANA

De loco quo in Processionibus incedere debent laici aliquo tantum signo catholico exornati.

Hodiernus Rmus Pro-Vicarius Generalis Aversanae dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis sive adultis sive pueris sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales confraternitatum sacco indutos et clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus debeat intelligi etiam de Processionibus Poenitentialibus, quando nempe clerus cum populo adeunt Dei templum ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis rescribendum censuit :

Ad I. Possunt procedere vel ante sodales confraternitatum sacco indutos vel post sacras imagines.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. *f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Sacerdotibus Congregationis Missionis conceditur indultum quoad impositionem Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum, cuius vigore sacerdotes dictae Congregationis, qui facultate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, ***occasione tantummodo magni concursus*** illa benedicere valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omissa etiam nominum inscriptione in album confraternitatis.

Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Conceditur Absolutio et Indulgentia in festis Viae Dolorosae D. N. I. C, et Septem Gaudiorum B. M. V.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festis: ***d)*** Mysteriorum Viae Dolorosae (Feria VI ante Dominicam

Septuagesimae), et ***b)*** Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis (Dominica I post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe :

I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

II. Plenariam Indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. Tripepi, ***Praefectus.***

L. ‹$› S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentiae pro pio exercitio mensis SS. Cordi Iesu dicati.

Beatissimo Padre,

Essendo la devozione al Cuore SS. di Gesù la più feconda di frutti spirituali, di grazie e di meravigliose conversioni, per cui uomini ostinati nella colpa si sono ravveduti, ed essendo il pio esercizio del mese consacrato a quel Cuore Divino il mezzo più adatto ad estendere e perfezionare la detta devozione, il sottoscritto, umilmente prostrato ai piedi

delia S, V., supplica che alle indulgenze già largite dalla s. m. di Leone XIII si degni aggiungere la concessione perpetua :

i°. dell'indulgenza plenaria ***toties quoties,*** applicabile alle anime dei defunti, il giorno 30 giugno, in quelle chiese dove il mese del Sacro Cuore sia stato solennemente compiuto ;

2°. del favore dell'altare Gregoriano ***ad instar*** nella loro messa del 30 giugno ai predicatori del mese del Sacro Cuore, ed ai Rettori delle chiese, ove il pio esercizio venne solennemente compiuto;

3°. per le persone, che promuovono il pio esercizio, dell'indulgenza di 500 giorni, da lucrarsi con qualsiasi loro opera buona, intesa a propagarlo o a farlo compier meglio; della indulgenza plenaria nelle loro Comunioni del giugno; tutto applicabile alle anime sante del Purgatorio.

Ex audientia SSmi, die 8 Augusti igoó.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium ***mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati*** magis in dies propagetur, et in Christifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, infrascriptis precibus libenter annuens ***pro gratia,*** indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam benedictionem Apostolicam peramanter impertivit.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretario***

L. «ß» S. Iosephus M. Can. Coselli, ***Substitutus.***

EX S. C. VISITATIONIS APOSTOLICAE

De S. Visitatione Apostolica Urbis eiusve Districtus (i).

RITUS SERVANDUS IN PERAGENDA APOSTOLICA VISITATIONE

I.

Ritus pro Visitatione ab Emo Cardinali Urbis Vicario specialiter deputato peragenda.

1. Emus Cardinalis Vicarius, nomine ac vice Summi Pontificis visitaturus ecclesias, cum ad portam principalem pervenerit, cappam induet, ibique a toto clero, cum cruce et ceroferariis, excipietur. Dignior cleri illius ecclesiae, indutus pluviali albi coloris, sine stola, offert Cardinali super cussinum genuflexo crucem osculandam, dein porrigit eidem aspersorium cum aqua benedicta, quod Emus Visitator accipiens, aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem dignior ex clero ecclesiae offert Visitatori naviculam, et ipse Visitator imponit incensum in thuribulum, et statim dignior incensat Cardinalem, stantem cooperto capite, more consueto.

2. Facta incensatione, cantores incipiunt et prosequuntur ***% Ecce Sacerdos magnus,*** etc.; interim procedunt omnes ad altare, ubi asservatur SS. Sacramentum, ibique Visitator genuflexus more solito orationem facit; postea omnes procedunt ad altare maius, et ibi super faldistorium ante intimum gradum altaris paratum procumbit et orat Visitator. Interim dignior ex clero, stans in cornu Epistolae altaris, versus ad orantem, detecto capite, dicit:

t. Protector noster, aspice, Deus. % Et respice in faciem Christi tui. — f. Salvum fac servum tuum. Deus meus, sperantem in te. — f. Milte ei, Domine, auxilium de sancto.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 07, pag. 202, 275 et 4o3; vol. 3'8, pag. 172, et vol. 39, pag. 174,

g. *Et de Sion tuere eum. — t. Nihil proficiat inimicus in eo. % Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. — f. Domine, exaudi orationem meam. % Et clamor meus ad te veniat. — f. Dominus vobiscum. % Et cum spiritu tuo.*

Oremus

Deus, humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, praetende societati nostrae gratiam tuam ; ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. — %. Amen.

3. Qua finita, cantores cantant Antiphonam et Versiculum de Sancto ecclesiae Titulari (seu de SS. Titularibus), prout in suffragiis ad Laudes, si Visitatio mane fiat; ad II Vesperas vero, si post meridiem peragatur.

4. Interim surgens Cardinalis Visitator ascendit ad altare, et illud in medio osculatur; deinde procedit ad cornu Epistolae, ubi stans ad ipsum altare versus, cantat orationem de dicto Sancto (seu de dictis Sanctis), deinde ad medium altaris revertitur, et dat benedictionem populo, more solito, dicens :

Sit nomen Domini benedictum, etc.

5. Tunc Emus Visitator, si voluerit, Missam celebrabit, et sermonem ad populum habebit sedens, mitra coopertus et baculum tenens.

6. Post sermonem aliquis de Clero superpelliceo indutus conversus ad Cardinalem, stantem cum mitra sine baculo, cantabit confessionem, ut infra. (Dum dicit ***tibi Pater*** et ***te Pater,*** nisi fuerit canonicus in sua ecclesia, genuflectet) :

Confiteor Deo omnipotenti, etc.

7. Finita confessione, Cardinali adhuc stante, publicantur indulgentiae a digniore ex clero dicente clara voce :

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster, Dominus Pius divina Providentia Papa decimus dat et concedit omnibus hic praesentibus confessis et Sacra Synaxi refectis

Indulgentiam Plenariam: saltem vero contritis Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum, in forma Ecclesiae consueta.

Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctitatis Suae, et sanctae matris Ecclesiae.

8. Publicatus indulgentiis, Cardinalis, deposita mitra, surget, et canet ex libro, in tono orationis, versus populum, ut infra:

Precibus et meritis, etc! — ***Indulgentiam,*** etc. —- Deinde reassumpta mitra, benedicens populo, more consueto, dicet: ***Et benedictio Dei omnipotentis*** (assumit baculum), ***Pa-^tris, et FiIii, et Spiritus*** +|* ***Sancti descendat super vos, et maneat semper. — %. Amen.***

9. Finita Missa, Emus Visitator exuit se paramentis missalibus, assumit stolam et pluviale nigri coloris ac mitram simplicem, et stans versus ad populum, incipit Antiphonam ***Si iniquitates.***

10. Sin autem sermonem tantum habere maluerit. Cardinalis sedebit coopertus bireto; post sermonem surgens et stans, capite aperto dum cantatur ***Confiteor*** ut supra, atque publicatis indulgentiis, canet: ***Precibus et meritis*** etc., et benedicet populo, more consueto dicens : ***Et benedictio Dei omnipotentis,*** assumens biretum, aut cooperiendo caput cum caputio, antequam prosequatur ***Patris et Filii*** etc. Tunc descendit in plano, ubi deposita cappa, assumit amictum, crucem, stolam ac pluviale etc., atque reliqua fiunt ut n. 9.

11. Quod si Missa celebrata fuerit sine sermone, omnia fiunt ut supra n. 9.

12. Si vero neque Missa, neque sermo habitus fuerit, immediate post benedictionem primam ***Sit nomen Domini*** etc., Cardinali adhuc stante publicantur indulgentiae ut supra ; quibus publicatis descendit in plano ubi, deposita cappa, assumit amictum etc. ut n. io, reliqua fiunt ut n. 9.

13. Incoepta Antiphona ***Si iniquitates,*** Visitator cum ministris suis dicit Psalmum ***De profundis,*** etc.

Tum dicit totam Antiphonam ***Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebitf***

Qua expleta, imposito incenso in thuribulo, et illo benedicto, dicit:

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.

Pater noster. Quod secrete dicitur. Et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta, tertio aspergit ante se, deinde, eodem modo incensat. Quo facto, pronuntiat:

f. Et ne nos inducas in tentationem. %. Sed libera nos a malo. — f. In memoria aeterna erunt iusti. %. Ab auditione mala non timebunt. — V. A porta inferi. % Erue, Domine, animas eorum. — t. Requiem aeternam dona eis, Domine. %. Et lux perpetua luceat eis. — f. Domine, exaudi orationem meam. %. Et clamor meus ad te veniat. — Hi. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali f ecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. — % Amen.

14. Deinde, clerico cum aqua benedicta, thuriferario, duobus ceroferariis, Cruce, clero et Visitatore procedentibus ad medium ecclesiae, cantatur Responsorium:

%. Qui Lazarum resuscitasti, etc.

Visitator interim dicit cum ministris suis Antiphonam ***Si iniquitates.*** Deinde Psalmum ***De profundis clamavi,*** totum ut supra, cum ***t. Requiem aeternam.*** Et repetit totam Antiphonam.

15. Quibus omnibus dictis, cum pervenerint in medio ecclesiae, ubi paratum erit stratum mortuale, subsistunt suo ordine ; Cardinalis sedet, et Chorus cantat Responsorium :

Libera me, Domine, etc.

16. Interim, dum Responsorium repetitur, offertur per digniorem ecclesiae navícula, et per alium ex ministris thu-

ribulum Visitatori, qui imponit et benedicit incensum, more consueto.

Responsorio repetito, Cardinalis, mitra deposita, surgit, et Chorus cantat :

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.

Mox Visitator, convenienti voce, dicit : ***Pater noster.***

Deinde aspergit et incensat, prout supra; mox dicit:

f. Et ne nos inducas in tentationem. % Sed libera nos a malo. — f. In memoria aeterna erunt iusti. % Ab auditione mala non timebunt. — f. A porla inferi. %. Erue, Domine, animas eorum. — t. Requiem aeternam dona eis, Domine. %. Et lux perpetua luceat eis. — f. Domine, exaudi orationem meam. % Et clamor meus ad te veniat. — f. Dominus vobiscum. %. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Deus, qui inter apostolicos, etc.

Deus, veniae largitur, etc.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus, hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut, a cunctis realibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. % Amen.

V. ***Requiem aeternam dona eis, ^Domine. % Ei lux perpetua luceat eis.***

Tum duo Cantores dicunt: ***f. Requiescant in pace. % Amen.***

17. Et mox Visitator dextera producit signum Crucis, nihil dicens.

Tum revertuntur omnes ad altare, ordine quo venerant, Choro dicente, congruenti voce sine cantu, totum sequentem Psalmum ***Miserere mei, Deus,*** etc.

Quem etiam Visitator recitat voce dimissa cum ministris.

18. Quibus dictis, et cum ante altare maius pervenerit, stans ibidem in medio versus ad altare, deposita mitra, dicit :

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison.

Pater noster.

f. Et ne nos inducas in tentationem. % Sed libera nos a malo. — f. A porta inferi. %. Erue, Domine, animas eorum. — Hi. Domine, exaudi orationem meam. % Et clamor meus ad te veniat. — t. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Absolve, quaesumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. — %. Amen.

19. His peractis, depositis stola et pluviali nigris, et assumptis albis, cum mitra et baculo, incipit Visitationem a sanctissima Eucharistia.

Genuflexus in infimo altaris gradu, mandat parocho (vel alteri sacerdoti si ecclesia non est parochialis) stola induto, ut tabernaculum aperiat. Surgit, imponit, sine benedictione, incensum in thuribulum, et iterum genuflexus SS. Sacramentum thurificat.

Tum cantatur:

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur c er nui :
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui ;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

20. Interim surgit, ascendit ad altare, educit, vel educere facit, e tabernaculo pyxidem (et capsulam S. Hostiae pro expositione), et ponit super corporale ; tabernaculum eiusque seram et clavem considerat, pyxidem detegit, et sacris particulis in patenam vel aliam pyxidem immissis, pyxidem eiusque operculum (et capsulam) interius exteriusque inspicit.

Sacras particulas, et collecta fragmenta, si quae sint, in pyxidem reponit, cooperit, et, si oportet, dígitos purificat (Capsulam in tabernaculum claudit). Descendit, ponit iterum incensum in thuribulum, et genuflexus thurificat Sacramento. Velo humerali sumpto, ascendit ad altare, et cum pyxide velo cooperta, populo benedicit.

Interim cantatur:

Genitori Genitoque
Laus et iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. — Amen.

2i. Data benedictione, et deposito velo humerali, immediate reponit pyxidem in tabernaculum. Descendit in planum, exuitur paramentis, et assumit mozzetam. Postea, rursus ascendens in suppedaneum, visitât mappas, candelabra et reliqua altaris ornamenta. Tum, comitatus a dignioribus de clero, et a parocho, procedit ad Baptisterium, inde ad sancta Olea, ad sacras Reliquias, tum ad altaria et capellas et sacras Imagines : item ad sacristiam se confert, reliquos Visitationis actus, de more, pro libito, prosequuturus.

II.

Ritus pro Visitatione a Praelato Convisitatore peragenda.

1. Convisitatori, habitu praelatitio induto accedenti, Rector vel Superior ecclesiae visitandae cum toto suo clero obviam ibit usque ad maiorem seu principalem portam templi, ibique sistet.

2. Cum Convisitator ecclesiam ingreditur, idem Rector, capite detecto, aspersorium illi porrigit cum aqua benedicta, quod Convisitator tangit, et seipsum signat.

3. Tum, comitante eodem clero, procedit Convisitator prius ad adorandum Eucharistiae Sacramentum, deinde ad orandum ante altare Sancto Titulari ecclesiae dicatum, cuius interim fit commemoratio, modo quo supra.

4. Deinde Missam celebrare poterit, et dimissis paramentis post gratiarum actionem sermonem habere super causas huius Visitationis. Finito sermone assumit amictum, stolam et pluviale nigri coloris (crucem ac Mitram simplicem, quatenus sit in episcopali dignitate constitutus), et stans iuxta altare maius in cornu Epistolae versus ad populum, incipit Antiphonam ***Si iniquitates,*** ac caetera dicuntur et fiunt, prout supra n. 13.

5. Si autem sermo omissus fuerit, aut etiam si Missa non sit celebrata, tunc facta Titularis commemoratione assumit amictum etc. ut supra n. **4.**

APPENDIX

Responsum Episcoporum Galliae ad Epistolam Encyclicam " Vehementer,, circa separationem Status ab Ecclesia.

Gratias agamus Domino Deo Nostro !

N'est-ce pas le sentiment qui jaillit de toutes nos âmes, au moment où les portes de ce palais se ferment sur la première assemblée des Evêques de France, depuis près un siècle ! Et n'est-ce pas par un cri unanime de reconnaissance que nous voudrons saluer cette heure, désormais historique, qui rend à l'Eglise de France une de ses plus chères libertés?

Depuis le commencement du siècle dernier, ce droit de réunion, qui est de l'essence de tqute société régulière, nous était enlevé. Une loi injustement greffée sur un contrat, nous tenait impuissants dans nos solitudes, et nous interdisait de mettre en commun nos lumières et nos forces.

Six cardinaux ne pouvaient se réunir pour délibérer sans forfaire à la loi, et leurs signatures, apposées isolément, sans délibération d'aucune sorte, au bas d'un document rédigé par l'un d'eux, étaient qualifiées abusives. A plus forte raison si un document aussi inattaquable dans le

fond que réservé dans la forme, était livré au public, portant les signatures, isolément souscrites, de la plupart des Eveques de France. Il semblait que le Pouvoir ne fût pas suffisamment armé pour réprimer un tel crime !

Les victimes glorieusement frappées dans nos rangs il y a trois ans au nom de cette législation aujourd'hui abolie, se féliciteront d'autant plus sincèrement de leurs épreuves passées, qu'elles ont fourni à Rome et au monde l'occasion de constater qu'en France, l'episcopat esc unanime dans les questions de patriotisme et de foi, et que la volonté du Saint-Père, connue de tous, sera toujours le dernier mot de nos résolutions.

Grâces soient rendues à Dieu! Et après Dieu, au Pontife Auguste, avec l'autorisation et sous le regard duquel nous allons prier et délibérer ensemble!

Très Saint Père,

La loi se discutait encore, que Votre Sainteté — j'en ai été le témoin - sè préoccupait des directions à donner à l'Eglise de France,, quand l'heure de l'appliquer serait venue. Et le meilleur moyen de connaître la situation telle qu'elle est, parut à votre âme paternelle, la consultation de l'episcopat délibérant en toute liberté sur les questions posées par son autorité suprême.

Dès lors, l'idée d'une réunion plénière enfin possible, circula dan& un courant d'enthousiasme à travers le monde catholique, et, de toutes parts, ce fut l'hosanna de la reconnaissance au Pasteur des pasteurs, qui donnait á l'episcopat français une telle marque de sa confiance.

Nos voix s'élèveront donc unanimement au début de cette assemblée, Très Saint Père, pour remercier Votre Sainteté de sa condescendance paternelle à l'égard d'un clergé persécuté; et, du fond de nos coeurs Lui rendrons grâces de nous avoir conviés à délibérer sur des questions que, seule, son autorité souveraine a le droit de résoudre.

L'acte initial de cette Assemblée des Eveques de France est donc un acte de filial amour, qui monte vers Votre Sainteté, comme le témoignage le plus assuré de sa profonde gratitude.

Ce bonheur de prier et de délibérer ensemble n'est-il pas, en effet, comme une compensation, ménagée par la Providence à tant d'épreuves qui nous menacent, et ont déjà commencé de nous étreindre?

L'isolement était dur dans les jours calmes de la paix. Mais comme il eût été cruel dans les jours de persécution et de luttes! Et comme il nous est doux de laisser échapper de nos poitrines d*eveques et de

frères le cri du Psalmiste: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum !*

Nous allons donc délibérer, puisque Vous l'avez voulu, Très Saint Père, et au milieu de nos discussions fraternelles, dans le choc des idées variées qui seront émises, nous aurons toujours les regards tournés vers l'auguste et infaillible gardien de la Vérité. Nous exprimerons nos idées personnelles, mais en les sacrifiant d'avancé à la sentence de Pierre, qui sera pour nous le commandement divin.

L'orde de nos travaux place en première ligne l'étude du document Pontifical — vrai monument de la Sagesse divine et humaine tout ensemble, - qui juge et condamne la loi de Séparation. Déjà, dans toutes les chaires des Eglises de France, a été lu ce solennel exposé, qui qualifie doctrinalement une loi impie et condamne irrévocablement des attentats prétendus légaux.

Déjà la voix des Eveques s'est fait entendre, sur tous les points de notre Pays, dans un concert de respectueux éloges et de remerciments émus, pour acclamer comme il convenait une doctrine à la fois si ferme et si sûre.

Mais ici, nous sommes l'episcopat; nous parlons en corps, et nos voix s'élèvent dans la plus harmonieuse unanimité pour proclamer les mêmes sentiments, avec plus de force, avec les énergies accumulées du respect et de l'amour, que nous professons isolément pour le Vicaire de J.-C, notre bien-aimé Pontife et Père Pie X.

Merci, Très Saint Père, de cette parole qui a retenti, grave, solennelle, puissante après la parole des hommes, égarés sur un terrain qui n'était pas le leur. Merci à Votre Sainteté d'avoir signalé les erreurs, caractérisé les inconvenances, condamné les injustices, et suspendu jusqu'à ce qu'elle la prohibe peut être, l'application de la fameuse loi.

Il y a dans la langue des Encycliques, des formules plus solennelles, des paroles plus graves, d'où sorte une sentence délibérément portée, ou un anathème discrètement indiqué. C'est comme le résumé de toute la pensée du Pontife qui écrit.

Ces formules ont été longuement méditées; elles ont été soumises à l'examen le plus rigoureux, et déposées sur l'autel de la prière, avant d'être livrées au peuple chrétien, comme l'expression calme et forte de la vérité et de la justice.

N'ont-elles pas ce caractère, les paroles sévères qui se trouvent à l'une des dernières pages de l'Encyclique *Vehementer?* Ne donnent elles pas le frisson, ces sentences portées de si haut, avec un tel .accent d'indé-

pendance et de conviction, où il semble que l'autorité de l'homme disparait dans l'autorité de Dieu qui parle à sa place? Et après les justes sévérités de la condamnation, les tendres appels qui révèlent tout à coup l'amour du père et l'indulgence même du juge.

Enfin les conseils qui tracent la voie, et les exhortations qui encouragent à la lutte, aux souffrances et jusqu'au martyre. Nous sommes les fils du Christ immolé, les successeurs des apôtres, hereux d'avoir été jugés dignes de souffrir pour J.-C, les frères de ces victimes dont le sang versé marque d'un tel éclat les glorieuses pages de l'histoire de l'Eglise. Nous ne pouvons répudier cet héritage de beaux et triomphants sacrifices ; il faut rester fidèles jusqu'à ia fin à de telles traditions de fierté chrétienne, de vaillant et pur honneur, de forte et triomphante vertu.

Tel est l'abrégé de ce document que le monde attendait avec tant d'impatience après la promulgation de la loi. Le monde l'a entendu: il a été frappé de cet éclat de la vérité qui « illumine tout homme venant en ce monde » et il s'est incliné devant ce témoignage nouveau, rendu à la vérité éternelle.

C'est, Très Saint Père, le livre que nous lirons et relirons dans ces jours de prière et de travail. Nous y trouverons la lumière pour nous diriger et une source d'énergie pour conclure.

Il est raconté, au deuxième livre d'Esdras, que le peuple de Dieu, au retour de la captivité, rentrant à Jérusalem et y trouvant tout en ruines, cherchait partout le Prophète, pour entendre de sa bouche la lecture du texte sacré, et F interprétation des paroles de Yaleph : *Consurrexerunt ad standum, et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum* (2. Esdras IX, 3).

Esdras monte sur une tribune élevée qu'il a dressée pour se faire entendre. Il est entouré, à droite et à gauche, des personnages principaux de la maison d'Israël.

Tout le peuple est debout quand Esdras déroule le volume de la loi. La première parole du Prophète est un cri d'actions de grâces au Dieu tout-puissant, et le peuple répond avec des cris et des sanglots en élevant les mains, Amen ! Amen ! Car le peuple pleurait, selon le témoignage du Livre Sacré, en entendant lire le Livre de la Loi: *Fiebat enim omnis populus cum audiret verba legis* (Ibid.).

A partir de ce jour, c'est la pénitence publique pour tout le peuple rentrant d'une dure captivité. Il convient qu'il a mérité ses malheurs.

Il ne songe pas à reprocher à Dieu la sévérité de ses justices : sa seule préoccupation sera désormais d'exécuter la loi. Et chaque chef de famille signe de sa main cet engagement sacré. Tous travailleront désormais, au prix des plus grands sacrifices, à rétablir Jérusalem, ses maisons et son temple.

> La France, Très Saint Père, a passé par cette attente fiévreuse, par cette espérance, par ces émotions profondes et ces résolutions réparatrices, quand elle attendait avec anxiété, et quand elle eut entendu avec bonheur la parole auguste de Votre Sainteté dans sa dernière Encyclique.

Avec Vous, Très Saint Père, nous condamnons le faux principe de la séparation possible de l'Eglise et de l'Etat. Avec Vous, nous subissons, dans un sentiment d'indignation toute filiale l'inconvenante et criminelle audace d'un Pouvoir qui, voulant déchirer un contrat conclu avec l'Eglise, le fait seul, sans avis préalable, sans communication d'aucune sorte donnée au Chef de l'Eglise. Avec Vous et comme Vous, nous protestons contre l'usurpation sacrilège des biens ecclésiastiques, des Eglises, des fondations dont l'objet sacré était le plus souvent la prière pour les morts. Avec Vous nous condamnons et repoussons la prétention du Pouvoir civil de réglementer seul les questions d'administration des biens ecclésiastiques, et de fixer seul les conditions dans lesquelles devront fonctionner les organes de cette administration.

Pour tout résumer d'un mot, nous blâmons tout ce que Votre Sainteté a blâmé; nous condamnons tout ce qu'Eue a condamné. Et, les yeux tournés vers Rome, Mère et Maîtresse de toutes les Eglises, nous attendons dans la pénitence et dans la prière que le mot de l'avenir nous soit donné par Pierre et alors, comme Eveques catholiques et comme français, nous saurons obéir.

C'est notre dernier mot, Très Saint Père ; c'est aussi, malgré des apparences contraires sur le terrain politique, le sentiment et la résolution de la grande majorité de nos diocésains catholiques. Insuffisamment éclairés sur les conséquences de leurs votes pour le choix des membres du Parlement, ils se laissent persuader que la politique et la religion sont deux choses absolument distinctes et qu'il ne faut pas mêler l'une à l'autre. De là la tendance du peuple à ne tenir aucun compte des intérêts religieux dans les affaires politiques.

De là, la déception de ceux qui avaient vu dans les élections le moyen immédiat de rendre à l'Eglise la plénitude de ses droits et de ses libertés.

Néanmoins le sentiment de la foi est resté inviolable au fond de l'âme française; le titre de Fille aînée de l'Eglise a gardé aux yeux du peuple son prestige et tout son éclat; le Pontife Romain est écouté par tous les catholiques de France, comme l'organe du Christ dont il est le Vicaire; sa parole est sacrée pour eux, sa personne est vénérée et aimée de tous plus que dans aucune autre nation, et leur fidélité ne se démentira pas quels que soient les sacrifices qu'EUe puisse leur imposer, quand les Eveques, unis par une soumission filiale au Saint Siège, leur feront connaître les décisions pratiques que l'Encyclique annonçait déjà et pour lesquelles il a plu à Votre Sainteté de prendre l'avis de notre Assemblée.

Aussi avons-nous l'espérance, Très Saint Père, que votre bonté paternelle saura toujours distinguer entre la nation qui aime le Christ et le Pape son Vicaire, et les passionnés qui font taire leur foi pour satisfaire leurs misérables ambitions. Non, mille fois non, ceux-là ne sont et ne seront jamais la France; et le jour où la démocratie française sera éclairée, elle se révélera tout entière dans la foi de son Christ et dans l'amour de son Pape.

C'est pourquoi nous osons vous demander, Très Saint Père, de garder à notre France bien-aimée tous ses droits d'avantgarde auprès de votre personne sacrée, cous les privilèges de son protectorat des intérêts catholiques en Orient, et aussi, comme nous restons malgré tout la grande nation catholique, la joie si légitime de voir remplacés dans Vos conseils les Eminentissimes Cardinaux que la mort nous a ravis au moment où les épreuves nous frappaient plus durement.

Nous attendons tout de Votre paternelle bonté, Très Saint Père, et nous crions tous à l'avance dans l'union de nos âmes episcopales: « Vive le Christ ! Vive Son Vicaire bien-aimé, le doux, le fort, le grand et généreux Pape Pie X ! »

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EX SECRETARIA BREVIUM

Sodalitas Missae Reparatricis civitatis Argentinensis in Archisodalitatem erigitur pro Germania.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pias fidelium Societates quae bonorum operum assidua exercitatione florentes optime de re catholica merentur, tum pietatis studia excitantes, tum christianae religionis praecepta asserentes, de Romanorum Pontificum more institutoque peculiaribus titulis privilegiisque decorare satagimus. Has inter minime Nos latet iure ac merito accensendam esse Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis, canonice erectam in Conventu Monialium Societatis Mariae Reparatricis, civitatis Argentinensis, praecipuum ad finem Dei honorem **a** christianis omissione Missae festivis diebus laesum, per alterius Missae auditionem piandi cumque ipsius Sodalitatis hodiernus Moderator enixis Nos precibus flagitaverit, ut illam ad Archisodalitatis gradum evehere de Apostolica benignitate velimus, Nos votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra , praesentium vi, perpetuumque in modum Sodalitatem Missae Reparatricis in Conventu memorato Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis erectam, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis instituimus, evehimus. Archisodalitatis autem sic per Nos erectae Officialibus et Sodalibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque

instituti Sodalitates in universo Imperio Germanico existentes, servatis forma Constitutionis Clementis Papae VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati ab hac S. Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite possint ac valeant, eadem Nostra auctoritate Apostolica praesentium tenore, atque item perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri et obtinere sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX Februarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. *£> S. Nicolaus Marini, ***Substitutus.***

Archisodalitas Missae Reparatricis civitatis Argentinensis Indulgentiis ditatur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Per similes Nostras Literas die xx Februarii mensis vertente anno Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis canonice erectam in Conventu Sororum Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis in Archisodalitatem pro universo Imperio Germanico ereximus, nunc autem spirituali bono fidelium consulere volentes, qui nunc et in posterum Sodalitati eidem nomen dabunt suum, coelestes Ecclesiae thesauros quorum Nobis Altissimus tribuit dispensationem rese-

rare idcirco censuimus, nimirum ut Archisodalitas tot tantisque nominibus- optime de re christiana merita potiora iugiter capiat favente Domino incrementa. Quae cum ita sint de Omnipotentis Dei misericordia ac SS. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam: ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Archisodalitate Confratribus et Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam : denique iisdem nunc et in posterum similiter eandem in Archisodalitatem adlectis Sodalibus qui item sacramentali admissorum confessione expiati ac coelestibus epulis refecti die quo Dolorosae Virginis festum agitur, die festo S. Annae Matris Deiparae Virginis, Dominica post Octavam SSmi Corporis Christi, et feria quinta in Coena Domini a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi propriam Sodalitii ecclesiam si extet, secus cuiusque curialem singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, pariter Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea dictis nunc et in posterum existentibus Societatis eiusdem Confratribus et Consororibus quoties corde saltem contriti iuxta Archisodalitatis tabulas pietatis seu charitatis opus exercuerint, in forma Ecclesiae solita de poenalium numero sexaginta expungimus. Tandem largimur liceat Sodalibus ipsis, si malint,

plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxv Iunii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. ✠ S. Nicolaus Marini, ***Substitutus.***

EX SECRETARIA STATUS

Speciales facultates conceduntur Societati Hispanicae pro Navigatione Transatlantica.

Beatissime Pater,

Claudius Lopez Brìi, Marchio de Comillas, Praeses Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica, ad pedes S. V. humiliter provolutus implorat prorogationem et quamdam necessariam ampliationem nonnullarum facultatum ipsi Societati iam pridem ad decennium concessarum, nempe:

I. — ***Pro eiusdem Societatis presbyteris cappellanis.***

i°. Celebrandi per mare Missam, cum adsistentia tamen, si fieri possit, alterius sacerdotis superpelliceo induti, dummodo mare sit tranquillum et nullum adsit periculum irreverentiae; facta etiam potestate iis qui Missae adstiterint accedendi ad Sacram Synaxim.

2°. Celebrandi item per mare Missam, cum potestate admittendi fideles ibi adstantes ad Sacram Communionem, etiam in adimplementum praecepti Paschalis, Feria V in Coena Domini.

3°. Administrandi pueris Sacramentum Baptismatis, ***non tamen solemniter,*** cauto semper obligationi dandi quampri-

mum baptizati parentum parocho collati Baptismatis testimonium.

4°. Administrandi infirmis Sacramentum Extremae Unctionis, atque etiam Communionis in forma Viatici, statim post Missam, cum particula in eodem Missae Sacrificio consecrata, ac servatis servandis.

5°. Impertiendi iis qui in navi fuerint in articulo mortis constituti, Apostolicam benedictionem cum Indulgentia Plenaria, dummodo iidem vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem contriti, ore si potuerint, sin minus corde, SS. Nomen Iesu invocaverint, iuxta formam in Ecclesia consuetam.

6°. Benedicendi coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata eisque applicandi Indulgentias quae continentur in elencho a S. C. de Propaganda Fide typis edito.

7°. Concionandi atque sacras fidelium confessiones in navibus excipiendi, dummodo sacerdotes a proprio Ordinario ad confessiones sint approbati; et quoad confessionem mulierum, dummodo opportuna adhibeatur cratícula.

8°. Utendi omnium praedictarum facultatum non tantum per mare ac durante itinere, sed etiam dum naves in portu vel in sicco adsunt prout aliquando contigit.

II. — ***Pro cappellanis, viatoribus ac vectoribus necnon ceteris omnibus navium servitio addictis vel inibi quomodocumque adstantibus.***

I°. Vescendi carnibus, ovis ac lacticiniis singulis anni diebus etiam ieiunio consecratis, facta quoque exemptione a lege ieiunii, et adiecta facultate permiscendi carnes cum piscibus.

2°. Lucrandi Indulgentiam Plenariam benedictioni Apostolicae adnexam in articulo mortis, etiam si naufragio vel alia quavis causa sacerdos absens fuerit; dummodo vere poe-

nitentes et contriti ore si potuerint, sin minus corde SS. Nomen Iesu invocaverint.

3°. Adimplendi in navi Praecepto Communionis Paschalis, si diebus Paschatis iter agere eis contigerit ; et pro vectoribus aliisque navium servitio addictis, etiam si naves praedicto tempore firmae in statione steterint.

4°. Peragendi Sacramentalem Confessionem apud quemcumque sacerdotem saecularem vel regularem, dummodo a proprio Ordinario ad Confessiones sit approbatus.

5°. Satisfaciendi Praecepto in diebus festis pro iis omnibus qui in navi Missam audiunt, quamvis non in cappella fixa, sed in altare portatili Sacrum celebretur.

Et Deus, etc.

***Ex Audientia SSmi die** 20 **Martii anno** 1906.*

Beatissimus Pater benigne excipiens preces quae supra scriptae sunt, a clarissimo Marchione de Comillas oblatas, omnes ac singulas gratias quae iisdem precibus implorantur, concedere dignatus est ***ad decennium,*** ea non excepta quae est de permiscendis, in comestionibus Quadragesimalis temporis, carnibus cum piscibus: qua tamen posteriore gratia uti non licebit sextis feriis Quadragesimae aliisque diebus, quibus abstinere ab eadem permixtione iubetur exercitus Hispaniae.

Datum a Secretaria Status die, mense et anno supradictis.

L. ✠ S. R. Card. MERRY DEL VAL.

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

DECRETUM

De ieiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.

Feria IV, die *5* ***Septembris*** *1906.*

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae Praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae legis ieiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV, die **5** currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt:

i°. In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unicae per diem refectionis, servandum erit:

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum;

Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Do-

minicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2°. Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, laete scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis :

Feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima ;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3°. Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae ;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

Vigiliis : S. Ioseph Sponsi B. M. V. ; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat; Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit ; ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis (i).

4°. Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum (2).

(1) **Ita in Italia suppressum remanet Indultum Apostolicum pro Quadragesimali tempore a S. Sede hucusque concedi solitum** ***(N. R.).***

(2) **Hoc sane modo per legem generalem in Italia insulisque adiacentibus permittitur usus carnium etiam diebus per annum sabbatis** ***(N. R.).***

5°. Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6°. Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit (i). Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7°. Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne ***Bulla*** quidem ***Cruciata*** (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis SSmus Dnus N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori huius S. Supremae Congregationis imper-

(1) **Hinc in sua integritate ex. gr. remanet ieiunium, quod ex voto hucusque Romae fieri consuevit in Vigilia Purificationis B. M. Virginis. E contra penitus abrogata censentur nedum omnia specialia indulta alicubi concessa, sed etiam quaelibet ieiunia vel abstinentiae, quae, praeter recensita in praesenti Decreto, nonnullis in locis vi consuetudinis etiam immemorabilis vigent, quemadmodum verificatur pro Hetruria et Sardinia, ubi loco et vice Adventus ab immemorabili observatur ieiunium in Vigiliis SS. Apostolorum *(N. R.).***

tita haec omnia et singula Sibi relata Suprema Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

L. S. Petrus Palombelli, ***S. R. U. I. Notarius.***

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

POSNANIEN.

PENSIONIS

De pensione ob paroeciae resignationem solvenda.

Expositio facti. Sacerdos Evaristus Gajewski, Posnaniensis dioecesis, per plures annos rexit paroeciam loci vulgo ***VolsUrner,*** cui a. 1894 nuntium mittere coactus fuit ob superventam sibi infirmitatem, habita tamen a Gubernio annua pensione 900 marcorum. Verum a. 1904 Archiepiscopus omnes suae dioecesis sacerdotes eméritos simul adunare cogitans in quadam domo, ubi vitam communem agerent, a Gubernio petiit et obtinuit capitalem fundum iisdem sublevandis destinatum, Quibus expletis dictos presbyteros ad praefatam domum inhabitandam invitavit, simul eos admonens ut si obedire renuissent, se non amplius soluturum esse pensionem.

Contra quam ordinationem sacerdos Gajewski recursum obtulit ad hanc S. C, quae, rationibus ab Episcopo adductis perpensis, eidem die 20 Febr. 1905 rescripsit: «Attentis omnibus rerum adiunctis in hoc speciali casu concurrentibus, canonicae aequitati consonum videretur praefatum sacerdotem non inquietare, nec privare impetrata pensione, qua decem

ab annis gaudet » ; eumque Archiepiscopi caritati commendavit. Hic tamen penes hanc S. C. institit ut recederetur a decisis ; sed e contra confirmata fuit prior decisio. Quum deinde Archiepiscopus exciperet se non habere unde pensionem solveret sacerdoti Gajewski, quamque soluturum esse adderet si progressu temporis fundi necessarii superessent, idem S. O. die io Martii 1906 causam proponere censuit dirimendam in hodierno plenario Emorum Patrum coetu.

Disceptatio Synoptica. Archiepiscopus in primis suum agendi modum erga sacerdotem Gajewski defendit ex eo quod in erigenda praefata Emeritorum domo prae oculis habuit praescriptum a Bulla Apostolica a. 1821 de circumscriptione ecclesiarum in Borussia, necnon mentem Pii IX pluries expressam. Addit praeterea in dicta domo presbyteris emeritis omnes vitae commoditates praesto esse, adeo ut ipsi nullam aliam habere debeant curam nisi propriae salutis. Asserit etiam quod sacerdos Gajewski sufficiens habet patrimonium, quo et sine emeritura seipsum substentare valet. Quod si, concludit, sententia sacerdoti in casu favorabilis ederetur, haec frustaneos redderet labores omnes a se suisque praedecessoribus passos ad eamdem fundandam domum, quum et coeteri sacerdotes, eius vestigia sectantes, non' amplius illam ingrederentur.

— Ex adverso sacerdos Gajewski opponit quod mentem Archiepiscopi in erectione domus pro Emeritis fuisse, ut iidem vitam agerent communem ; hoc autem ipse iam a sex annis implet, tamquam hospes in Collegio Iesuitarum Neo-Pandecensi, cuius sub regula vivit. Dein recenset pia opera ab ipso peracta; ita ex. gr. integram ecclesiam paroecialem interius renovavit, eamque paramentis et ornamentis locupletavit, et picturis altaria exornavit; item duo millia marcorum Seminario dioecesano obtulit, et 50000 coronas Episcopo Tarnoviensi pro domo Incurabilium donavit. Quod proinde

nunc eidem superest de patrimonio familiari, una simul cum pensione emeritali, ipsi necessarium omnino est tum pro victu in Collegio Iesuitarum, tum ad substentationem propriae sororis infirmae, tum ad curandam suam infirmitatem, ob quam saepe saepius mitiori Italiae aere indiget. Caeterum subdit observationem sui Ordinarii asserentis eum sufficienti frui patrimonio ad honestam vitam ducendam nullum nexum habere cum pensione emeritali, quae ex iustitia et ex beneficii paroecialis resignatione ei debetur.

Tandem sacerdoti Gajewski favet egregius vir de suo voto ab hac S. C. consultus, qui ostendit nedum iustitiae sed et caritati consentaneum esse ut praefato presbytero solvatur annua pensio, eo vel magis quod hic in religiosa domo degit, pias fecit oblationes, et modo in necessitate versatur.

Dubium. ***An et quomodo Archiepiscopus solvere teneatur sacerdoti Evaristo Gajewski annuam pensionem marcorum poo in casu.***

Responsum. Sacra Congr. EE. et RR., re diligenter perspecta, die r8 Maii 1906 rescribere iussit:

Attentis omnibus, affirmative et amplius et ad mentem. Mens est ut Archiepiscopus praedictam pensionem solvat ex aerario domus Emeritorum, si suppetat ; si vero non suppetat, ex propria pensione quam ipse recipit a Gubernio, edocta S. Congregatione infra mensem de sollicita executione iam peracta praesentis Decreti'.

Colliges. i°. Annua pensio, quam alicubi Gubernium solvere solet parochis ob laudabile servitium in animarum cura praestitum, ex iustitia iisdem debetur; neque illam **vel** in alios usus converti potest, nisi de consensu interesse habentium.

2°. Diversa insuper est conditio Emeritorum, qui pensione iam fruuntur ab illis, qui eam nondum sunt assecuti; pro quibus facilius peculiares dispositiones sumi valent.

3°. In casu attendenda quoque sunt pia opera a sacerdote oratore peracta, eius provecta aetas et gravis infirmitas, nec non actualis vivendi modus.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PONTISCURVI

IURIS FUNERANDI

Non sustinetur praxis vi cuius Capitulum Cathedrale in alienis ecclesiis paroecialibus funera persolvit.

Compendium facti. Capitulum Cathedrale dioecesis Pontiscurvi funera defunctorum suae iurisdictioni minime subiectorum in alienis ecclesiis parochialibus sicuti in propria, quum vocatur, persolvere solet, hoc ius ex immemoriali consuetudine repetens. Verum omnes quinque civitatis parochi mordicus refragati sunt; atque, postquam exaratus fuerit hac de re processus apud Curiam dioecesanam, quaestio ad hanc S. C. dirimenda delata fuit.

Argumentationes parochorum. Isti in primis observant quod parochi, etiam praesente Capitulo Cathedrali, intentionem habent in iure fundatam quoad exequias filianorum persolvendas. Ita Ferraris ***(verb.*** parochus, ***art.*** *3,* ***n.*** *54)* habet: « Parochus facere debet officium supra corpus defuncti, etiamsi adsint Canonici Cathedralis in sua parochiali ecclesia ». Item S. Rituum C. in ***Calaritana*** 12 Sept. 1857, n. 3062, ad dubium : « Num Capitulum ecclesiae Metropolitanae habens in funerum associatione praecedentiam supra parochum defuncti, possit, etiam in associatione cadaveris suae iurisdictioni minime subiecti, erigere suam crucem, exclusa illa parochi ; eaque elevata ingredi in ecclesiam parochialem defuncti; ac in illa solemne Sacrum ac reliqua munia super cadaver persolvere, invito parocho », respondit: « Quoad primam et se-

cundam partem, affirmative; quoad tertiam, negative ». Unde arguunt ad parochum exclusive pertinere sive aspergere corpus defuncti, sive intonare antiphonam et psalmum, sive Missam exequialem celebrare ; quae omnia e contra Capitulum Pontiscurvi nunc peragit.

Deinde accedunt ad refutandas rationes quas Capitulum pro adstruenda consuetudine in sui favorem adducit, quaeque tum documentis tum testimoniis continentur. Quod autem spectat ad ducumenta, ipsi ea ad rem non pertinere sustinent. Statuta enim Capitularia a. 1745 nihil iuridice demonstrare possunt, quia cum ipsa decernant officia et iura Canonicorum, officia et iura aliorum tangere haud possunt, constituendo ius in damnum aliorum. Caeterum eiusmodi statuta mentionem tantum praecedentiae faciunt, qua Capitulum Cathedrale prae omnibus fruitur, nihil autem habent quoad ius funerandi. Praeterea quoad testes a Capitulo allatos, parochi recensent dotes requisitas in testibus pro immemoriali consuetudine demonstranda, qui insuper, iuxta Reifïenstuel ***(lib. I, tit.** 4, **n.** 180),* deponere debent: « i° de visu per quadraginta annos; 2° de auditu a suis maioribus qui dixerunt et ab aliis audierunt, semper ita observatum fuisse; **3°** quod nunquam viderint nec audierint servari contrarium; 4° quod fuerit et sit vox publica seu fama, memoriam non extare nec extitisse in contrarium ». In specie autem parochi infirmare conantur fere omnes testes a Capitulo adductos quum vel bonis moribus non sint imbuti, vel sibi ipsi contradicant, vel de recentioribus tantum funeribus deponant, vel demum contra ipsum Capitulum testentur. Nec maior vis iuxta ipsos tribuenda est attestationi Pauli Bergamaschi, Episcopi Troiani, qui per litteras refert hanc controversiam a. 1869 iam motam fuisse, in qua egit partes defensoris Capituli, et ait cives seniores in favorem Capituli tunc auditos et documenta collecta fuisse, et Episcopum illius temporis Capitulum in quasi possessione sui iuris reliquisse. Nam arguunt quod nec documenta tunc

collecta neque testes nec processus nec sententia neque ipsa defensio producuntur; imo nec pars adversa audita fuit.

Testibus autem a Capitulo allatis parochi opponunt alios testes, qui probant recentiorem esse consuetudinem, loquentes quidem de casibus quos ipsi viderint.

Tertio parochi demonstrare satagunt consuetudinem in casu vim nullam iuridicam habere; nam consuetudo quae adducitur non est rationabilis, quia ipsi iuri naturali adversatur, quatenus iustum est parochos percipere fructus pro officiis quae filianis praestant; neque est legitime praescripta, quia ad hoc bona fides et toto quidem tempore exigitur, quae in Capitulo supponi nequit, cum Capitulares iura parochialia probe noverint. Neque, reponunt parochi, ius funerandi in Capitulo derivari potest ex facto matricitatis quam ecclesia S. Bartholomaei, nunc Cathedralis, praetendit; quia, ut docet Rota ***(part.*** *18,* ***tom. i, dec.*** 7, ***n. iß):*** ***«*** licet potuerit (in dismembratione) reservare sibi ecclesia matrix, in signum subiectionis, ius sepeliendi vel similia, id debet expresse facere; alias omne id quod non est exceptum, in dismembratam ecclesiam translatum dicitur ». At neque matricitas a Capitulo probatur, nisi ex praecedentia in quibusdam, quae nullimode matricitatem arguunt, sed pendent ex facto quod ecclesia S. Bartholomaei sit Cathedralis.

Praeterea haec quae vult appellari consuetudo, iuxta parochos non fuit nisi actus facultativus, qui a gratiosa concessione et parochorum urbanitate dépendit; quique ideo praescriptione non est susceptibilis, sed ad libitum revocari potest. Addunt ipsi quod consuetudo in casu peremptivam vim non habet ex eo quod quaevis consuetudo contraria parochialibus iuribus quoad funera abrogata fuit praesertim Decreto S. C. Rituum ***Super exequiis*** 23 Apr. 1895, n. 3854, in quo declaratur: «Ius et onus inesse semper, etiam praesente Capitulo Cathedralis ecclesiae, extra hanc tamen, parocho induendi stolam et officia omnia persolvendi super cadaver

defuncti ad suam pertinentis ecclesiam » ; idque « quacumque in contrarium consuetudine minime obstante ». Et iura parochialia praescriptionem non admittere nec vi consuetudinis centenariae et immemorabilis parochi deducunt ex responsis huius S. C. in ***Melevitanae Funeris*** 28 Iulii 1878; ***Andrien.-Iurium*** 2 Iunii 1883; ***Melevitana-Finium et iurium parochialium*** 23 Iulii 1892; item ***Melevitana-Iuris associandi*** 30 Apr. 1904. Praesertim vero opponunt quod in themate contra invocatam consuetudinem ipsi ab ineunte saeculo XIX usque in hodiernum diem semper movisse querelas, uti ipsi Canonici admittere coguntur.

Argumentationes Capituli. Ex altera parte Canonici violata parochorum iura in sola Missae celebratione consistere dicunt, quam tamen ad se pertinere contendunt. In primis consuetudinem immemorabilem in casu adesse, Capitulum potissimum probare satagit per plures seniores testes, qui omnes, excepta quadam circumstantia parvi momenti, per diuturnum aevum testantur Capitulum funera in parochialibus ecclesiis semper peregisse, iidemque addunt se nihil de querelis parochorum super hac re contra Capitulum audivisse. Canonici praeterea insistunt praesertim testimonio iurato Pauli Bergamaschi, Episcopi Troiani, olim Canonici Pontiscurvi, et postea etiam Vicarii Generalis, qui affirmat iam ab anno 1869 huiusmodi quaestionem agitatam fuisse a parochis, funerandi nempe in propriis ecclesiis etiam praesente Capitulo, sed, attenta defensione ab eodem peracta in Capituli favorem, Episcopum tunc temporis Canonicos in proprii iuris quasi possessione reliquisse.

Exceptiones a parochis contra testes adductas facili negotio refelli Capitulum contendit. Adnotat enim quod a testimonio ferendo reiiciuntur illi qui de periurio sunt convictu et qui taxative a iure excluduntur (Cfr. Card. Gennari: ***Sulla privazione del benef, ecclesiastico, cap.*** 4, ***pag. pl),*** non vero qui cuiusvis delicti rei fuerint, praesertim si se emendave-

rint. Neque praetendi potest ut testes aliati specifica facta commémorent, ut vellent parochi, quod etiam Canonicis, extemplo rogatis, facile non esset. Atque iterum si in circumstantiis quas testes indigitarunt, adiunctum aliquod, caligine temporis obrutum, ipsos effugerit, non ideo de veracitate quoad facti substantiam argui possunt.

Ulterius Capitulum originem praedictae consuetudinis nititur inquirere, eamque ex hoc repetit quod ipsius ecclesia sit maior et matrix quoad alias ecclesias eiusdem urbis, quemadmodum constat ex signis subiectionis, quae documentis ostenditur alias ecclesias erga ecclesiam S. Bartholomaei, nunc Cathedralem, semper praebuisse. Hinc nil mirum arguit si eidem etiam in aliena paroecia ius funerandi competat.

Deinde Capitulum rationes parochorum refellere nititur, tum eorum confessionem urgendo, cum testes ac documenta refutando. Nam vel ipsi fatentur antecessores parochos hunc agendi modum Capituli tolérasse, ex quo consuetudo postea introducta fuit. Imo posteriorum parochorum querelae ostendunt Capitulum in quasi possessione funerum, durante saeculo, extitisse. Quoad vero parochorum testes, praeterquam quod innuit Capitulum eos nullius esse famae ideoque fide minime dignos, illos arguit ut inter se pugnantes, quatenus alii asserunt parochum, praesente Capitulo, Missam funebrem celebravisse ; alii Capitulum parochiales ecclesias pro funeribus ne ingressum quidem fuisse; alii Capitulum, favente parocho, peregisse funus. Documenta autem a parochis allata, Capitulum ait, vel nil probare vel pro Capitulo probare ; quippe alia quaestionem inter Capitulum et parochos non attingunt, alia sunt querelarum acta quae a parochis in causa propria intentata, sed a superioribus admissa non fuerunt.

Neque demum iuxta Canonicos praefata consuetudo sive naturaliter sive iudicialiter interrupta dici potest. Non est interrupta naturaliter, nempe spatio decem annorum (Cfr. Reiffenstuel : ***Ius can., tit. de consuet., n.*** *194),* quod con-

stat ex testibus et ex ipsa serie recursuum ex parochorum parte. Neque est civiliter interrupta, videlicet ope legalium actuum qui ius interrumpendi praescriptionem habeant, quia in casu dicti actus, nullo secuto exitu, perempti fuerunt.

Pergentes demum Capitulares ad vim iuridicam huius consuetudinis vindicandam, insistunt heic agi de consuetudine ab immemorabili, quae appellatur ***privilegiata.*** Ad cuius abrogationem non sufficit communis clausula abrogativa, quae in generalibus Decretis pro tuendis parochialibus iuribus invenitur, sed opus est speciali mentione: « non obstante quacumque consuetudine etiam ab immemorabili ». Cfr. Lega ***(Prael. can., vol. i, n.*** *302).* Et si iura parochialia dicuntur nunquam praescribi posse, id de praescriptione ordinaria vel extraordinaria, non de ista quae est privilegiata, intelligi debet. Sunt enim quaedam parochorum iura quae nullimode contrariam consuetudinem admittunt, et habet haec S. C. in ***A ndrien,-Iurium*** 2 Iunii 1883; sed quoad reliqua parochialia iura et etiam quoad funera consuetudo admitti potest, ut S. Rota in una ***Romana-Oblationum*** 26 Ian. 1726 tenuit: « Etiam in actibus Ecclesiae praeiudicium divinique cultus detrimentum inferentibus plenam (consuetudinem) amplissimamque inducere cuiuscumque melioris tituli ac proinde etiam beneplaciti Apostolici praesumptionem >. Et S. Congr. EE. et RR. in ***Thelesina-Iurium parochialium*** 22 Aug. 1901, consuetudinem quoad funera contra parochos confirmavit; ita etiam haec S. C. ut in ^9. ***Severi-Iuris funerandi*** *27* Maii 1893.

Dubium. ***An inducta praxis funerandi sustineatur, vel potius servandum in omnibus sit ius commune in casu?***

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, rationibus hinc inde discussis, die 30 Iunii 1906 rescribere rata est:

Servandum esse ius commune.

Colliges. i°. Parochi, etiam praesente Capitulo Cathedralis ecclesiae, intentionem habent in iure fundatam quoad funera suorum parochianorum persolvenda.

2°. Congruit enim iustitiae ut curam animarum exercentes percipiant fructus pro officiis, quae filianis praestant.

3°. Ad hoc obstare tantum posset privilegium Apostolicum vel consuetudo legitime praescripta; at in themate eorum existentia minime probata apparet.

4°. Imo praxis a Capitulo inducta nonnisi uti actus facultativus ex gratiosa parochorum concessione exurgens habendus est, qui proinde praescriptioni obnoxius esse nequit.

IANUEN.

IURIUM

Episcopus iure pollet definiendi numerum cappellanorum de Massa Collegium non efformantium.

Facti species. In Metropolitana Ianuensi ecclesia praeter Capitulum extant cappellani de Massa nuncupati, qui eversivis italici Gubernii legibus editis, a numero 24 ad sex tantum redacti sunt, eorumque patrimonium taxae 30 °/₀ subiectum fuit. Haec tamen cum nunquam usque ad annum 1904 soluta fuerit, aes alienum favore Gubernii effbrmavit libell. 33355,49 quae antea singulis annis inter eosdem distributae sunt. Interea Archiepiscopus illius temporis ut damna ab iisdem legibus allata quodammodo repararet, Decreto diei 28 Febr. 1896 novos eidem Massae assignavit reditus libell. 1054^ adiecto onere Missas 196 quotannis celebrandi, ac statuit ut ipsi duodecim usque esse deberent.

Verum cum Fiscus praedictam summam repeteret, iidem presbyteri in acceptando Decreto conditionem apposuerunt ut, si causa caderent, tres ex ipsis novissime nominati eidem Massae nuncium mitterent. Lis transactione dirempta fuit, qua eadem Massa diminutionem suorum redituum libell. 2674 passa est. Exinde instantibus presbyteris ut tres nuperrime nominati recederent, hodiernus Archiepiscopus die ii Apr. 1905 Decretum edidit, quo illud praedecessoris confirmavit, statuit-

que presbyteros de Massa etiam nunc duodecim esse debere, ipsis tamen novo annuo reditu taxis onerato libell, iooo assignato. Aegre id ferentes sacerdotes Massae, ad hanc S. C appellarunt. E contra Capitulares petunt ut, iuxta Episcopi Decretum, presbyteri Massae numerum 12 pertingant, iique tum ab ipso Capitulo tum ab Episcopo dependeant.

Disceptatio Synoptica. Qui iura presbyterorum Massae tuetur, ut demonstret beneficium eiusdem Massae laicalem naturam induere, recolit in primis Metropolitanum Ianuense templum iam pertinuisse titulo fundationis et aedificationis Gubernio serenissimae Reipublicae et Communitatis, ac in praesens successionis titulo ad Gubernium et municipium spectare. Addit quod iisdem cappellanis nil cum Cathedrali Capitulo commune esse nisi servitium chorale, cum habeant proprias constitutiones, massam communem bonis propriis conflatam, ius nominandi cappellanos, adeo ut ipsi nullo modo ab eodem Capitulo pendeant vel subiiciantur, quamvis cum hoc emolumenta adventitia aeque percipiant.

Addit praeterea quod caeterorum cappellanorum, praeter sex, bonis a Gubernio ereptis, iam patet absque novis fundationibus et dotationibus haud posse eorum numerum augeri. Nihilominus animadvertit dictos cappellanos proprio marte quinque alios sibi sociasse, imo Archiepiscopum praedecessorem die 28 Febr. 1896 eosdem ad duodecim auxisse. Verum cum Fiscus cappellanis tributum 30 °/₀ solvendi indixisset, quod ab anno 1867 solutum ab ipsis haud fuerat, iidem una cum Episcopo statuerunt, ut si causa caderent, tres cappellani supranumerarii sub hac conditione nominati se dimittere deberent. Lite peracta, eadem Massa diminutionem annui reditus libell. 2674 passa est; et nihilominus hodiernus Archiepiscopus praedictum sui decessoris Decretum in pristinum revocavit, duodecim scilicet cappellanorum numero, inauditis cappellanis, • statuto. Arguit proinde Episcopum facultate non pollere* augendi ad libitum, inauditis cap-

pellanis et absque sufficienti dotatione, eorum numerum. Quod quidem a iure communi exorbitat, prout habet Ferraris *[vero.* Canonicatus, ***art.*** *11,* ***n.*** /7): « Canonicatum erigere Episcopus non potest sine consensu Capituli ; S. C. Conc. in ***Clodien.*** 5 Iulii 1608, in ***Aquinaten.*** 20 Febr. 1677, in ***Nazarien.*** *20* Sept. 1692, et in ***Sabinen.*** 14 Apr. 1696 ».

Cum igitur in casu agatur de cappellanis qui unum constituunt corpus, pronum est etiam eorum consensum necessarium fuisse; quem tamen praebere eos renuisse constat. Idque eo vel magis, iuxta ipsum, quod cum annui redditus imminutio, supputatis libell. 800, sit libellarum 1874, profecto haec summa revera exigua dici debet, ut ea soluta, una simul cum proventibus certis et incertis, iidem presbyteri cum decore vivere possint. Quapropter, concludit patronus, iustitia postulat ut nonnisi octo cappellani esse debeant; si autem servetur dos pro uno cappellano ab Archiepiscopo decessore tradita, et illa 800 libell, ab hodierno exhibita, decem etiam esse possent, nullo tamen modo ad duodecim augendi erunt nisi pro aliis duobus sufficiens ac certa dos constituatur.

— Ex adverso patronus qui Ianuensi Archiepiscopo patrocinatur, presbyterorum de Massa originem repetens, cum isti nec Beneficiati sint nec Collegium utcumque efforment, nullam iuridicam personalitatem eos habere contendit; ideoque sicut invocare nequeunt, ***ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur,*** ita pariter nequeunt iura Portionariorum ecclesiae receptitiae pro se vindicare. Itaque contendit dictos presbyteros esse mercenarios Capituli, quod nulla obligatione sese erga ipsos obstrinxit, nisi contributionem aliquam iisdem dandi ut obligarentur ad quotidianam Missae celebrationem in Metropolitana et ad praestandum aliquod servitium tum choro tum paroeciae.

Historice enim ait notum esse nunquam nec de certo presbyterorum numero nec de certo ipsis reditu statuendo actum fuisse, adeo ut iidem edito Decreto die n Apr. 1905

sese iure opponi nequeant, nisi forte vel cappellania vel aliqua contributione indeterminata privarentur; cum maior vel minor retributio haud iuridicum eorum statum immutet. Quapropter nil aliud ipsis superesse ait nisi perpendere num tali retributione eiusmodi onera convenienter obire possint. Iamvero cum ultro admittant per dictum Decretum nonnisi libellas annuas 128 fuisse sublatas, profecto haud admitti posse contendit talem redituum imminutionem, incongruam substentationem reddere; quinimo in facto adnotat dictam redituum diminutionem, ut refert Archiepiscopus, valde minorem esse.

Quin imo etsi concederetur, pergit ipse, eisdem presbyteris aliquod vel Beneficiatorum vel Collegii ius competere, tamen sine legitimae auctoritatis venia vel privilegio, eorum numerus imminui a Gubernio atque ab ipsis acceptari non poterat. Immerito etiam addit ipsos autumare ecclesiasticam auctoritatem ratam habuisse conditionem, qua deperdita contra Gubernium lite, tres novissimi presbyteri haud amplius in possessione suarum cappellaniarum remanerent, cum in Archiepiscopi antecessoris Decreto nulla de eadem conditione mentio fiat. Neque officere addit eosdem presbyteros nolle huiusmodi Decretum acceptare, utpote ius patroni laedens, cum factum fuerit insciis Massa et municipio. Nam cum Massa personalitate iuridica sit destituta, iidem nec Collegii nomine uti possunt, eoque proinde minus Collegii iura praetendere. Hinc memorat eosdem presbyteros a Capitulo Metropolitano et populo fuisse dotatos, imo addit ipsos noluisse Reipublicae patronatum recognoscere, prout idem Capitulum in sua memoria anni 1770 probat. Nihilosecius recolit Rempublicam ius patronatus in eos exercuisse, dein Gubernium successisse, quod tantum illorum sex recognoscit, ac proinde ipsum tantum eorumdem cappellanorum patronatus ius habere, quamvis in facto huic renunciaverit. Proinde concludit sex illos sub omnimoda Archiepiscopi dependentia manere, qui proinde cum consensu Capituli Metropolitani, in quo, non

existente patrono laico, totum ius consolidatum censeri debet, iure dicendus est donationem fecisse numerumque presbyterorum definiisse.

Dubium. *An Archiepiscopi Decretum diei II Aprilis ipso sit confirmandum vel infirmandum in casu?*

Responsio. Sacra Congr. Concilii, re mature perpensa, die 30 Iunii 1906 rescribendum censuit:

Confirmandum esse Decretum Archiepiscopi ; et ad mentem, quae est ut tres sacerdotes dimissi statim restituantur, et in posterum secuta vacatione duarum Participationum, eaedem non provideantur, donec dos Massae proportionaliter non augeatur.

Colliges. 1°. Cappellani de Massa, qui Collegium non constituunt, iuridica personalitate minime gaudent, ideoque sibi vindicare nequeunt iura ecclesiae receptitiae.

2°. Episcopus proinde ordinaria auctoritate valet ipsorum numerum augere vel imminuere iuxta ecclesiae necessitatem vel utilitatem, congrua substentatione eisdem assignata.

3°. In casu haec facultas in Archiepiscopo Ianuensi recognoscitur, et una simul prospicitur ut dotatio Massae communis in posterum augeatur.

TIBURTINA
ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS

Conceditur erectio fontis baptismalis in singulis ecclesiis paroecialibus civitatis Tiburtinae.

Factispecies. In urbe Tiburtina, praeter ecclesiam Cathedralem ubi unicus extat baptismalis fons, sex aliae paroeciae numerantur. Harum vero parochi, ut respectivis paroecianis baptismum conferant, ab antiquissimo aevo accedere solent ad Cathedralem, quae tamen oblationes occasione administrationis huius sacramenti traditas lucratur. Item baptizatorum nomina describuntur quidem a parochis in libro inibi

asservato, sed attestationes recepti baptismi a Capitulo relinquuntur, in cuius proinde favorem cedunt emolumenta.

Novissime autem sex praefati parochi ad hanc S. C. supplices preces, a Praesule Tiburtino commendatas, dederunt, expostulantes ut sibi indulgeretur gratia in sua quaque ecclesia paroeciali erigendi baptismalem fontem, non obstante Capituli Cathedralis oppositione.

Rationes contrariae. Capitulares imprimis negant paritatem cum casu oppidi ***Vallecorsa*** in una ***Caietana*** 23 Ianuarii 1904, quia ibi sermo erat de Collegiata dumtaxat, de cuius propterea matricitate certo non constabat : e contra in themate quum agatur de Cathedrali, ipsa iure gaudet matricitatis respectu ad coeteras ecclesias, et hinc privilegium obtinet fontem baptismalem exclusive habendi. Ad rem invocant auctoritatem praesertim Fagnani ***(De paroeciis, cap.*** Cum contingat), et Benedicti XIV ***(Inst. eccl., I).*** Ab initio enim in solis Cathedralibus extabant baptisteria, penes quas privative usque ad saec. III cura paroecialis exercebatur; et nonnisi progressu temporis constitutae sunt ecclesiae Collegiales et etiam simplices paroeciales. Est igitur originarium pro Cathedrali ius parochialitatis et consequenter fontis baptismalis, derivatum vero et exceptionale pro aliis ecclesiis ; hinc nil vetabat quod in erectione istarum ius fontis baptismalis uni Cathedrali esset reservatum.

Praeterea Capitulum contendit duo requiri pro erectione novi fontis baptismalis: 1°, ut absit laesio iuris alterius; et 2°. ut extet gravis necessitas. Atqui in themate vitari nequit laesio iuris Cathedralis, cum parochus eiusdem privetur emolumentis ipsi obvenientibus ex attestationibus fidem baptismi facientibus; inservientes quoque non amplius fruuntur pecuniariis incertis. Nec pariter adest gravis necessitas ; quia populi numerus non ita tamen excrevit ut erectio novorum fontium baptismalium merito praetendi debeat ; viarum accessus ex alia parte commodior est effectus ; nec pariter

obiici potest longinquitas itineris. Relate autem ad incommodum accedendi ad Cathedralem, hoc abunde compensatur ab aliis commodis obvenientibus ex dicta fontis unicitate, uti ex. gr. occurrit pro attestationibus ex libris baptizatorum extrahendis, pro inquisitionibus in redigendo schemate genealogico etc.; quae facilius et expeditius obtineri valent. Quin obiiciatur aliquando parochis impossibile esse accedere ad Cathedralem, quia aliis occupationibus detinentur; hoc enim inconveniens vitari potest per cappellani vel Beneficiati Cathedralis deputationem qui parochum suppleat.

Rationes favorabiles. Ex adverso sex parochi civitatis Tiburtinae contendunt erectionem fontis baptismalis in suis ecclesiis esse concedendam. Et primum argumentum desumunt ex iure communi. Recolunt enim cum Benedicto XIV ***(Inst. eccl., I, n.** 4)* antiquitus usque ad saec. X solum Episcopum fuisse baptismi ordinarium ministrum : hinc nil mirum quod baptisteria tantum in ecclesiis Cathedralibus extiterint. Decursu vero temporis ob auctum fidelium numerum, erectis paroeciis parochus coepit esse ordinarius baptismi minister, et hinc necessitas etiam in hisce ecclesiis habendi fontem baptismalem, uti refert Catalanus ***(ad Rit., Rom., cap. ßo, n.** 8).* Quare non semel Concilia provincialia id inculcarunt, uti referunt Francés ***(De Cathed., cap. ip, n.** 2f),* Roya ***(Inst. can., lib.** 4, **tit.*** de paroch.), et non semel statuit S. Carolus Borromaeus in sua prima et tertia synodo provinciali Mediolanensi. Nec alia est doctorum sententia ut facile videre est apud Fuscum ***(De visit, et regim. eccl., lib. i, cap. y),*** Barbosa ***(De paroch., part.** 2, **cap.** 18)* et Crispino ***(Della Visita past., p.** 2, **n. i).*** Quare S. Rota in una ***Romana-Iuris baptizandi*** 13 Ian. 1733 ait: « convenientissimum est omnes ecclesias paroeciales suum habere fontem baptismalem, cum ita fiat, ut suus cuique pastor sacramenta administret ».

Traditae doctrinae consonam esse parochi aiunt praxim huius S. C, quae in ***Urbinaten.*** 15 Iunii 1824 declaravit,

« in omnibus ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem » ; in ***Urbevetana*** 3 Aug. i 748 concessit novi fontis erectionem licet unica ecclesia baptismalis esset matrix; in ***Caietana*** 23 Ian. 1904, et ita porro.

Alterum argumentum deducunt parochi ex variis inconvenientibus quae profluunt ex unicitate fontis; quae desumuntur ex plus quam dimidii kilometri distantia Cathedralis ab ecclesiis paroecialibus; ex difficultate accessus ad ipsam praesertim hiemali tempore; ex loco seu situ valde húmido et ventoso fontis baptismalis in Cathedrali necnon ex eo quod exorcismi rituales et, tempore functionum solemnium, ipsa baptismi administratio fieri debent private in sacrario.

Animadvertunt etiam parochi quod vigens praxis in maximum vergit detrimentum ministerii parochialis, praesertim si ratio habeatur aucti numeri baptizandorum, qui plerumque a parentibus ruricolis et operariis afferuntur diebus festivis et dominicis. Item iuxta canonici iuris sanctiones unusquisque parochus baptizatorum librum retinere deberet in paroeciae archivio custodiendum ; at in casu unicus baptizatorum codex habetur, qui a Capitulo asservatur. Addunt praeterea quod erectio fontis aliquando concessa etiam fuit ecclesiis filialibus et non parochialibus. Hinc S. Carolus Borromaeus in tertia provinciali synodo tradit, quod ex concessione Episcopi fons baptismalis in ecclesiis non parochialibus erigi potest, quando ecclesia paroecialis nimis distet: id etiam concessum fuit ab hac S. C. pro oppido Itri a. 1900, uti apparet ex una ***Caietana*** eiusdem anni : et nuper Episcopus Tiburtinus iussit erectionem sacri fontis in ecclesia S. Symphorosae prope ***Bagni di Tivoli,*** quae non est parochialis.

Ultimo loco parochi evertere conantur difficultates, quae ex adverso afferri possunt, et praesertim argumentum in consuetudine fundatum. Reponunt enim quod haec consuetudo ex mutatis circumstantiis est effecta potius iuris corruptela, cum in religionis et boni spiritualis fidelium dispendium nunc

vergat. Hinc est improbanda et tollenda iuxta ***cap. ult. litui.*** *4* ***de consuetud.*** Quin ex adverso opponatur, recensitis incommodis occurri posse per constitutionem cappellani aut Beneficiati in Cathedrali, qui nomine parochorum baptismum administraret ; nam, praeter quam quod parochi essent impediti ab exercendo proprio munere incertisque percipiendis, fieri etiam posset ut pro patrinis reciperentur personae minus dignae utpote non cognitae cappellano baptizanti. Quod si erectio fontis baptismalis aliquando ecclesiis parochialibus fuit denegata, parochi respondent hoc evenisse vel quia non aderat urgens necessitas, vel quia iustitiae laesio intercedebat ; sed contrarium in themate evenit.

Rationes ex officio. Iuxta Conc. Trid. ***(Sess.*** *21,* ***cap.*** *4,* ***de Reform.)*** fons baptismalis non ita est connexus ecclesiae paroeciali, ut ab ea non posset disiungi : dari enim possunt ecclesiae baptismales, quin sint parochiales ; inibi enim dicitur « in ecclesiis parochialibus vel baptismalibus ». Et reapse si in praxi res inspiciatur, extra Italiam adest consuetudo, synodis etiam provincialibus firmata, ut singulae paroeciales ecclesiae fonte baptismali sint instructae: in Italia vero plures adsunt civitates, in quibus unicus tantum extat fons baptismalis, licet plures adsint paroeciae, uti in civitate Florentina, Bononiensi, Pisana, etc. Huius privilegii Ecclesiam hucusque fuisse retinentissimam argui potest tum ex facto Benedicti XIV ***(Inst. eccl., I, n. 8)*** qui cum esset Archiepiscopus Bononiensis fontem baptismalem noluit concedere ecclesiis paroecialibus Bononiensibus, licet ageretur de perampla civitate; tum ex eo quod haec S. C. non semel hanc doctrinam amplecti visa est uti in ***Matkelicen.*** 18 Feb. 1879 et in ***Camerinen.*** io Febr. 1748. Quare etiam in themate erectio fontis baptismalis videretur esse deneganda.

Verum cum sacramenta sint propter homines et in collisione iuris particularis alicuius ecclesiae cum bono spirituali fidelium, hoc praevalere debeat, inspiciendae sunt potius spe-

ciales- facti circumstantiae et etiam mutata hodierna tempora ad diiudicandum, utrum in casu magis expediat antiquum retinere privilegium, vel potius illud prorsus abolere.

Decisio. Sacra C. Concilii, matura deliberatione praehabita, die 28 Iulii 1906 in casu rescribendum esse mandavit:

Pro gratia erectionis fontis baptismalis in unaquaque paroecia iuxta petita, firmo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate, facto verbo cum SSmo et ad mentem.

Colliges. i°. Primis Ecclesiae saeculis, cum soli Episcopi baptismum conferrent, baptisteria nonnisi in ecclesia, in qua episcopalis cathedra aderat, erecta inveniebantur.

2°. Progressu vero temporis ob auctum fidelium numerum fundatae sunt paroeciae, quibus plerumque concessa fuit erectio fontis baptismalis, quamvis nonnullis in locis uni ecclesiae Cathedrali hic reservatus fuerit, ut vestigium aliquod primaevae disciplinae conservaretur.

3°. Attamen mens Ecclesiae semper fuit ut ordinarie in unaquaque paroeciali ecclesia etiam fons baptismalis adesset, ut suus cuique parochus sacramentum baptismi administraret atque baptizatorum librum caute custodiret.

4°. Cuius dispositionis salutares effectus praesertim hodie deprehenduntur, quum propter mutata personarum ac temporum adiuncta, non raro sacramentum baptismi tantopere necessarium nimium differretur et quandoque etiam omitteretur cum discrimine salutis aeternae.

5°. In themate derogatur quidem unici fontis privilegio, sed una simul relinquitur ecclesiae Cathedrali facultas baptizandi puerulos aliarum paroeciarum ad eam delatos.

NEAPOLITANA

IURISPATRONATUS

Decernitur iuspatronatus in casu cognatitium esse.

Restrictus facti. **Bulla** *Sincerae devotionis* diei 17 Aprilis 1521 Leo X Hannibalem de Ianuario, cuiusdam Masotti **filium** atque Canonicum Primicerium in Cathedrali Neapolitana, gratioso favore prosequi cupiens, eo quod ipse propriis reditibus bona Primiceriatus ad supradotis instar auxit, eiusdem « familiae de Ianuario, videlicet ex quondam Masotto de Ianuario, a quo idem Hannibal descendit, descendentibus et in illius domo, in qua idem Hannibal inhabitat, pro tempore habitantibus..., tamquam non ex privilegio sed ex vera fundatione et donatione competeret », iuspatronatum activum dicti beneficii concessit.

Porro res pacifice processerunt usque ad a. 1839, quo tempore contestationes exortae sunt inter praetendentes ad iuspatronatum Primiceriatus, qui proprium candidatum Archiepiscopo praesentarunt. Hinc quaestio agitata fuit coram Curia Metropolitana, quae per sententiam diei 9 Iulii 1841, coeteris exclusis, dumtaxat in Marchionissa de Auletta iuspatronatus admisit ab eaque praesentatum instituit;, addens tamen quod, ipsa demortua, beneficium (quod est prima post Episcopalem dignitas) liberae evaderet collationis. Interea latis legibus Italicis, quae assem ecclesiasticum everterunt, etiam praebenda Primicerialis comprehensa fuit; quare a. 1869 Emmanuela Marchionissa de Auletta, una cum proprio marito Antonio Castriota Scanderbech, petiit et obtinuit redemptionem suppressi beneficii, soluta taxa 12000 libellarum; cui oneri ut satisfaceret, a S. Sede facultatem habuit alienandi quamdam fundi beneficiarii portionem.

Anno vero 1896 cum beneficium Primiceriale iterum vacasset, quaestio renovata fuit, atque Comes Cuomo Marchionem Antonium, cuius uxor iam defuncta erat, una cum filio

Ioanne Scanderbech apud iudicium laicum Neapolitanum convenit, rogans ut declararetur non suppressum vi legis 1867 beneficium, ideoque nullam eiusdem redemptionem ab ipsis Scanderbech factam nullamque subsequentem alienationem fundi beneficiarii. Sed tribunal civile a. 1898 Comitem Cuomo actione omni destitutum, atque beneficium valide suppressum declaravit. Ab hac tamen sententia Comes Cuomo appellavit ad tribunal secundae instantiae, coram quo Ordinarius Neapolitanus sponte comparuit pro sustinenda libera Primiceriatus collatione. Hoc autem appellationis Consilium a. 1899 emisit sententiam, qua supradotationem Primiceriatus uti non suppressam habuit, ideoque nullam fuisse peractam - redemptionem; familiarem indolem patronatus admisit, atque pronuntiavit Comitem Cuomo ius habere ad idem iuspatronatum. Cum praeterea Marchio Scanderbech recursum interposuisset apud supremum Cassationis Consilium, hoc appellationem reiecit.

Interea anno 1903 ob mortem titularis denuo vacavit Primicerialis dignitas, ad quam Marchio Scanderbech praesentavit Rmum Contarmi, Marchiones Morra Rmum Marano, et Comes Cuomo una simul cum Principibus de Sirignano et de Castagneta Rmum Dominicum Sersale. Haec quaestio per recursum Marchionis Scanderbech delata fuit dirimenda ad Curiam dioecesanam, quae sententia diei 18 Sept. 1905: i°. extra causam posuit Marchiones Morra, quippe qui suam a fundatore supradotationis beneficii Primicerialis descendentem evincere neglexerunt; 2°. recognovit in Marchione Scanderbech de Auletta ius praesentandi clericum ad Primiceriatum; 3°. demum idem ius etiam in Principibus de Sirignano et de Castagneta, necnon in Comite Aloisio Cuomo de Ianuario, tamquam a familia Masotta descendentibus, admisit. At ab huiusmodi sententia, praesertim vero quoad tertium punctum omnes contendentes in causa, nempe Marchio Scanderbech

ex una parte, et Comes Cuomo, Princeps de Sirignano ac Princeps de Castagneta, ex altera, apud hanc S. C. appellarunt.

Restrictus iuris. Patronus a Marchione Scanderbech de Auletta adlectus reformandam esse contendit sententiam Curiae Neapolitanae quoad tertium punctum, quia in casu agitur de iurepatronatu agnatitio. Et hoc imprimis deducit ex verbis ipsius Bullae ***Sincerae devotionis,*** in qua Leo X taxative ad iuspatronatum vocavit familiam seu gentem de domo Masotta cum suis descendentibus, adeo ut ipsi in eadem domo pro tempore habitare atque unam eamdemque familiam constituere deberent. Iamvero, iuxta ipsum, iuspatronatus, quod fundator descendentibus ac successoribus de sua familia vel domo reliquit, familiare agnatitium esse docuit Rota ***{part. i, dec.*** *842,* ***n. i ; part.*** *3,* ***dec.*** *j8i,* ***n.*** *4;* ***part.*** *64,* ***dec.*** *462,* ***n. i,*** etc.). Idem tradere dicit canonistas omnes, qui tenent testatorem exclusive vocare velle lineam agnatitiam, quum suam domum seu familiam ad iuspatronatum vocat simpliciter per cognomen. Ita Card. De Luca ***(De iur., disc.*** *60,* ***n. jo),*** Pitonius ***(De controv. patron., alleg.*** *100,* ***n.*** *12p);* quibus accedunt Rota in ***Cingulana - Testamenti*** 25 Aug. 1818, et S. C. Concilii in ***Fabrianen.-Iurispatronatus*** *2* Iulii 1845.

Quum praeterea, arguit defensor, omnes descendentes masculi de domo Masotta, nemine ex cognatis reclamante, iure praesentandi ad dignitatem Primicerialem indesinenter usi fuerint, iam sequitur, agnatis masculis desinentibus, illud assequutam fuisse Emmanuelam Marchionissam de Auletta, utpote quae fuit unica et universalis haeres Raymundi de Ianuario, legitimi descendentis in linea recta ab illo Masotto de Ianuario. Ad rem enim haec habet Pitonius ***(loc. cit., disc.*** *21,* ***n.*** *14):* « Reservato iurepatronatus in favorem domus seu familiae, succedunt nedum masculi, sed et feminae, ita ut taliter sit observantia subsequuta, etiamsi restricta foret ad masculos, haec tam aliud operari non posset quam simplicem praelationem masculorum in concursu foeminarum, quae pro-

pterea per posterius in defectu illorum succedere non prohibentur ». Et Gagliardi ***(De iur., vol. i, cap.** 2, **n.** 12)* addit: « Quamobrem feminae quoadusque inter vivos agunt, etiamsi extra familiam nuptae sint, retinent una cum sanguine fraterno agnomen et praerogativas familiae suae, et consequenter familiarem quoque patronatum ».

Hisce proinde de rationibus Curia Neapolitana in sua sententia a. **184**1 nedum decrevit in themate agi de vero patronatu agnatitio, sed praesentationem candidati ab Emmañuela Marchionissa de Auletta tunc temporis factam acceptavit et confirmavit. Quare subsumit advocatus, cum praefatae Marchionissae successisset unicus filius Ioannes de Scanderbech in omnibus et singulis iuribus, etiam iuspatronatus in Primiceriatu obtinuit. Hoc enim confirmari sustinet a Pitonio ***(loc. cit., disc.** ß2, **n. il)*** testante: « Celebris et a foro recepta Ancharani theorica edocuit ut iuspatronatus gentilitium in ultimo de familia fiat haereditarium et ad eius haeredes transeat quamvis extraneos ». Quam doctrinam S. Rota ***(dec.** 563, **n. p, coram Merlino)*** docet, et omnes doctores tenent, uti Gratianus ***(disc.** J2i, **n. ij et seq.),*** etc.

Advocatus praeterea addit in Bulla fundationis deesse omnino taxativas clausulas, ex quibus univoce et exclusive vocarentur masculi, uti essent: ***ad illos et non ad alios;*** vel: ***nonnisi ad solos agnatos,*** etc. Caeterum, etiamsi huiusmodi clausulae reservativae adessent, iuxta ipsum, nihil item deduci posset contra praefatam Emmanuelam, quum illae eo dumtaxat tendant ut, perdurantibus agnatis, non possint alii per titulum haereditarium admitti ; non autem respiciunt casum in quo personae vocatae deficerent, quia tunc haberetur casus sic dictus ***omissus,*** in quo subintrat dispositio iuris communis concedentis transmissionem iurispatronatus ad haeredes. Ita S. Rota ***(dec.** 220, **n.** 31, **part.** 2 **recent., coram Bichio; dec. j8i, n. 8, coram Panimolle; dec. io recent., n.** 20),* et Riccius ***(Praxis, part. i, resol, i pi, n. ß).*** Hoc autem fit non ex

provisione hominis sed iuris, cui provisio hominis non adversatur, imo cum eo convenit, cum utraque servetur in suo casu; seu dispositio hominis quamdiu duraverit sua familia, dispositio vero legis quando illa defecerit. In casu proinde quum per mortem ultimae agnatae, nempe Marchionissae Emmanuelae de Auletta cessaverit fundatoris dispositio, subintravit dispositio legis, quae haeredes ad iuspatronatus exercendum vocat.

Nec iuxta ipsum officit sententia tribunalis civilis appellationis, quia ipsa, falso innixa principio quod nempe in Bulla fundationis nomen ***familiae*** lato sensu sumatur, admisit etiam cognatos ad exercendum iuspatronatus. E contra ***familiae*** nomen importat agnationem, et solummodo agnatis tribuitur, ut docent S. Rota ***(Recent., part.*** *4,* ***tom. i, dec.*** *388,* ***n. j),*** De Luca ***(disc.*** *26,* ***n.*** *6* ***et j),*** Pitonius ***(alleg, yy),*** necnon Digestum ***(leg. ipj, de verb. signif).*** Quando autem De Luca observat quod ***familiae*** nomen lato sensu accipitur iuxta ius Iustinianeum, tunc historice tantum loquutus est; eo vel magis quod ius Digesti in omnibus scholis semper praevaluit. Ita Gagliardi ***(cap. ii, n, ij)*** habet: « Communi iure Pandectarum familia pro cognatione accipitur;... ob universalem nihilominus consuetudinem Italiae et huius regni mores, potius antiquum ius Digestorum quam Codicis hac in re sequimur, nam agnati praeferuntur cognatis in successoribus ascendentium, et cognatos familia minime complectitur ex communi loquendi usu et interpretatione, sed agnatos solum, seu descendentes per virilem sexum ». Nec in casu, subdit patronus, facienda est distinctio inter familiam contentivam et effectivam, quum omnis ambiguitas excludatur in ipsa fundationis Bulla. Quando vero constat testatorem sensisse tantum de familia effectiva, tunc veniunt tantum eius descendentes, non autem transversales. Cfr. S. Rota ***(Recent., part.*** *2,* ***dec. joy, n. j),*** Ferraris ***(v.*** familia, ***n. i)*** et alii passim.

— E contra qui Cuomo, Sirignano et Castagneta iura tuentur, praemittunt Marchionem Scanderbech carere quocum-

que interesse ad hanc causam prosequendam. Siquidem quum sententia Neapolitanae Curiae diei 18 Sept. 1905 patronatum Primiceriatus cognatitium esse declarasset, atque ad eius exercitium omnes cognatos Masotti de Ianuario, inter quos idem Marchio erat, admisisset, si ipse eam impetere voluisset, profecto necesse fuisset vel cognationem Cuomo, Sirignano et Castagneta cum Masotto de Ianuario impugnare, vel agnatitiam qualitatem patronatus et propriam cum fundatore agnationem insimul ostendere. Quod minime fecit, quinimo admissa agnatitia patronatus qualitate, ipse primus, utpote Masotto cognatus, non vero agnatus, ab eius exercitio esset excludendus.

Contendunt praeterea auctoritatem ecclesiasticam, ob specialia adiuncta quae in casu verificantur, haud posse reiicere sententiam tribunalis civilis a supremo Cassationis Consilio confirmatam, vi cuius declaratur ius patronatus super beneficio Primiceriali esse naturae familiaris, idque repetunt ex eo, quod Archiepiscopus, qui in iudicio coram dicto supremo tribunali agitato intervenit, eiusdem appellationis tribunalis sententiam firmam ratamque esse voluit; proinde si defectum competentiae in iudice laico ad hunc effectum deprehendisset, contra violationem iurisdictionis ecclesiasticae reclamasset. Neque officere addunt Curiam Neapolitanam sua sententia a. 1841 hoc patronatum agnatitium definiisse, siquidem in illo iudicio nemo ex illis tribus, scilicet Cuomo, Sirignano et Castagneta partem habuit, et si quis eorum antecessorum in eodem intervenit, cum in casu agatur de iurepatronatu cognatitio, factum inter alios actum illis nocere nequit, nam ipsi iure proprio ad hoc iuspatronatum vocantur. Cfr. S. C. Conc. 6*. ***Severini-Beneficii*** 16 Iunii 1841; ***Tibur•tina-Iurispatronatus*** 23 Iunii 1838; ***Neapolitana-Cappellaniae*** 28 Iulii 1883; ***Forolivien.-Iurispatronatus*** 28 Iulii 1838. Ceterum sententia Curiae Neapolitanae a. 1841 nec expresse nec praecise agnatitiam patronatus naturam definivit; sed omnes recensendo no-

minationes factas, unam admisit a Marchionissa Emmanuela de Auletta propositam; quippe unica erat nuncupata patrona, iuspatronatus habens et in quasi possessione existens.

Imo addunt alio sub respectu dictam Curiae sententiam ipsis potius favere. Siquidem si haec, vigente adhuc agnatione, cognatos excludebat, nunc, hac extincta, cognatorum exclusio importaret eversionem iurispatronatus. Iamvero adnotant hunc effectum nunquam in iure admitti nisi ex actu fundationis seu concessionis iurispatronatus ipsa cognatorum vocatio ***per posterius*** seu ***in subsidium,*** deficiente scilicet linea agnatitia, apertis verbis prorsus exclusa appareat. Ita S. Rota ***(Recent., part.*** *14,* ***dec.*** *462* ***; part.*** *9,* ***tom. i, dec.*** *2****f S)*** etc., Vivianus ***(De iur., dec.*** *69,* ***n. ß),*** Ancharanus ***(Cons. jSi),*** Seraphinus ***(Dec.*** *364,* ***n.*** *4,* ***et dec. JJ<$),*** Rochus de Curte ***(De iur., v.*** competens, ***n. i)*** ubi dicit quod non reperit aliquem contrarium sentire.

Ulterius ipsi, expendentes verba quibus Pontifex Leo X in hoc iurepatronatu concedendo usus est, scilicet ut ius hoc « familiae de Ianuario, videlicet ex quondam Masotto de Ianuario a quo ipse Hannibal descendit, descendentibus » pertineret, animadvertunt cuique patere haec non ad agnationem modo, verum etiam ad universam cognationem esse referenda. Nam certum esse adnotant ipsum ***familiae*** vocabulum tam agnatos quam cognatos recte comprehendere. Sane in /. ***j Cod., de verb. signif.*** praecise statuitur: « ***familiae*** nomen talem habere vigorem per hanc vocem parentes et liberos, ***omnesque propinquos significari*** ». Idque passim receptum est.

Quin obiiciatur, ex communi loquendi usu Italiae, ***familiae*** vocabulo demonstrari solos agnatos, uti personas idem cognomen habentes. Notum siquidem esse recolunt hanc consuetudinem tantum ad fideicommissariam vel feudalem materiam se retulisse, nam sive in feudo sive in fideicommisso votum conservandae et augendae agnationis peculiarissime inerat. Eo magis autem quod huiusmodi regula consuetudinaria in

casu haud ad rem facere videtur, cum agatur de materia indifferenti, qualis est illa iurispatronatus, in cuius terminis verbum ***familiae*** accipitur in sensu naturali ac magis lato, ita ut includat indistincte tam agnatos quam cognatos ut in puncto iurispatronatus reservati pro familia. Cfr. S. Rota ***(dec.** 101, **n. iß, part.** 6 **recent),*** Card. De Luca ***(De Praeemin., disc, iß, n.** 7, **io, il et** 12),* et in ***A uximana-Iurispatronatus*** 9 Martii 1703; Pitonius ***(De controv. patronor., alleg.** 100, **n. ipi).*** Idem ad rem habet Card. De Luca ***(De Praeemin., disc, iß, n.** 11):* « Non descenditur autem ad hos terminos, an scilicet veniant cognati et descendentes per foeminas, quo casu cum agatur de materia ecclesiastica, regula potius est (non constito de contraria voluntate fundatoris) venire omnes coniunctos, et de sanguine iuxta sensum iuris canonici magis quam iuris civilis.... Et sic quoad vocabulum ***familia*** etiamsi solum esset et de per se consideratum, non bene ex eo inferri videtur ad restrictionem ad solos agnatos ».

At in hac facti specie comprehensionem cognatorum in iurepatronatu deduci aiunt etiam ex vocabulo ***descendentes,*** quod ***familiae-*** additum in Bulla invenitur. Sub hoc enim vocabulo omnes veniunt qui sive per agnationem sive per cognationem a primostipite originem ducunt. De Luca ***(De iur., disc.** 2j, **n. j)*** S. Rota ***(Recent., part.** 6, **dec.** 21J, **n. ß; part.** 18, **tom..** 2, **dec.** 806, **n. j)*** etc., S. Congr. Concilii ***Nursina-Iurispatronatus*** 23 Apr. 1842. Eo magis, addunt, in casu vocabulum hoc ***descendentium*** etiam ad cognatos convenit extendi et ampliari, quia, concurrente ditione copulativa ***familia*** et ***descendentes,*** stat magis ampliative quam qualificative. Addunt Bullam ***Sincerae devotionis*** docere Hannibalem institutorem in hoc iurepatronatu a Pontifice impetrando sibi cordi habuisse absque linearum vel agnationis praedilectione universam posteritatem; cui et Pontificem sine limitatione annuisse ex ipsius Bullae verbis constat.

Caeterum concludunt patroni etiamsi iuspatronatus mere

agnatitium existeret, cum soli Ecclesiae libertatem eius vindicare fas sit, profecto ipsa de cognatorum exclusione certare debuisset; e contra cum auctoritas ecclesiastica non modo libertatem a iuspatronatus non vindicet, sed imo expresse respuat, absurdum esset cognatos ab eodem repellere, dum hodie agnatio perempta est, et eadem Curia Neapolitana iurispatronatus continuationem admittit.

Dubium. ***An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae*** *18* ***Septembris ipoj sit confirmanda vel infirmanda super tertio articulo in casu.***

Resolutio. Emi Patres S. C. C , omnibus maturo examini subiectis, die 28 Iulii 1906 respondendum rati sunt:

Sententiam esse confirmandam.

Colliges. i°. Iuspatronatus activum dicitur ***agnatitium*** si dumtaxat ad agnatos seu ad descendentes per virilem sexum coarctetur; vocatur autem ***cognatitium*** si etiam ad cognatos seu ad descendentes per foeminas extendatur.

2°. Lege quidem Pandectarum ***(leg.*** *195,* ***de verb. signi/.)*** sub ***familiae*** denominatione veniebant dumtaxat agnati: « communi iure familiam dicimus omnium agnatorum ».

3°. Attamen hoc ius reformatum fuit a Iustiniano ***(Cod. j, de verb. signifi)*** hisce verbis : « Decernimus ***familiae*** nomen talem habere vigorem, parentes et liberos omnesque propinquos.... designari ».

4°. Communis praeterea est inter doctores sententia quae tenet, deficientibus agnatis, cognatos ***per posterius*** seu ***in subsidium*** vocari.

5°. Imo vocabulum ***familiae*** lato sensu in themate accipiendum esse suadent adminicula ***descendentes*** et ***posteri,*** quae in Bulla Leonis X leguntur.

6°. Quum igitur iuspatronatum Primiceriatus sit cognatitium, ad praesentandum ius habent citati quatuor in causa contendentes, qui omnes per lineam femininam a primostipite originem ducunt.

ROMANA ET ALIARUM

EXCARDINATIONIS ET S. ORDINATIONIS

Lex excardinationis extenditur etiam ad laicos in ordine ad Episcopum ordinantem facilius obtinendum (i).

Iam a die 8 Februarii 1899 Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad hunc Sacrum Ordinem has litteras dederat: « Cotesta S. C. dei Concilio con Decreto 20 luglio 1898 ha stabilito che, circa l'ordinazione dei laici o dei chierici provenienti da altre diocesi, che non possono usufruire del beneficio dell'escardinazione, ***standum sit dispositionibus Const. " Speculatores*** ,, ; giusta le quali disposizioni il Vescovo non può ordinare se non che i propri sudditi ***vel ratione originis, vel ratione domicilii.*** Affinchè poi uno possa dirsi suddito ***ratione domicilii relate ad ordines suscipiendos,*** è necessario che almeno per un tempo notevole abbia dimorato sul luogo, e che con giuramento affermi di volervi rimanere in perpetuo.

« Ora accadendo assai spesso nei luoghi di Missione soggetti alla ***Propaganda*** che gli Ordinari accettino giovani specialmente laici provenienti da altre diocesi, ***purché muniti delle testimoniali e del consenso del rispettivo Ordinario,*** inviandoli poi per gii studi e per le ordinazioni in Collegi esteri, ***senza prima farli recare nel proprio territorio,*** onde evitare le ingenti spese dei viaggi ; (quo fit ut domicilium in territorio Episcopi ordinantis non acquirant, deficiente uno ex elementis necessariis ad domicilium acquirendum, nempe facto commorationis) fu umiliata istanza a Sua Santità, per ottenere che con ispeciale Indulto gli Ordinari dei luoghi di Missione possano accettare giovani laici provenienti da altre diocesi, col solo giuramento di volere servire in perpetuo alla rispettiva diocesi o Missione, prima che di presenza ne acqui-

ci **Causa haec et sequens ob peculiare earum momentum per extensum referuntur** ***(N. R.).***

stino il domicilio, come appunto per particular privilegio si usa cogli alunni del Collegio Urbano : — ed a questa istanza il Santo Padre, nell' udienza del 24 gennaio scorso, si degnò rispondere ordinando che si domandasse in proposito il parere di cotesta S. Congregazione ».

Die vero 22 mensis Februarii 1899 Episcopus Ratisbonensis alteram praecedenti intime connexam quaestionem ad hanc S. C. resolvendam movit :

« In Germania adhuc in usu erat ut sicuti clericis ita etiam laicis concederentur litterae dimissoriales, quibus ab una dioecesi dimittebantur, ut statim in aliam dioecesim in perpetuum reciperentur, absque conditionibus in Constitutione ***Speculatores*** praescriptis. Nunc quaeritur: 1°, utrum eiusmodi litterae dimissoriales laicis concessae ante Decretum S. C. C. diei 20 Iulii 1898 validae fuerint necne; - et quatenus affirmative : 2°. utrum etiam post citatum Decretum eiusmodi litterae dimissoriales laicis valide concedi possint ».

Porro dicta dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt in generalibus comitiis EE. PP. die 17 Iunii anni 1899 sub hisce dubitationis formulis :

I. ***An attenta consuetudine, vir laicus qui cum litteris testimonialibus et de licentia proprii Episcopi apud alienum Episcopum eligit domicilium, statim vi electionis domicilii iuramento confirmatae ad Ordines promoveri possit in casu.***

II. ***An et quomodo providendum sit in casu.***

At tunc temporis Emi Patres ab edenda sententia sese abstinuerunt, mandantes hac in re exquiri votum unius ex Consultoribus, quem ipsi Emi Patres designare voluerunt. Hic autem quamvis instanter saepiusque compulsus esset, consultationem tamen suam semper edere distulit, usque dum ad ultimum declinavit officium et positionem restituit, aestimans provisum iri per novam legum ecclesiasticarum ordinationem, quam SSmus D. N. faciendam decrevit.

Sed nuperrime ex parte S. C. christiano nomini propa-

gando praepositae, novae instantiae factae sunt ut res examini subiiceretur. Haec enim Emus illius S. C. Praefectus scribebat :

« Questa S. Congregazione di Propaganda con officio degli 8 febbraio dell'anno 1899, per ordine dato dal Sommo Pontefice Leone XIII di fel. me. nell'udienza del 24 gennaio del medesimo anno, si rivolgeva a cotesta S. Congregazione del Concilio perchè volesse esprimere il suo parere sulla domanda fatta da alcuni Ordinari di luoghi soggetti alla Propaganda sul modo di accettare ed ordinare per le proprie diocesi o Missioni i giovani laici forastieri, che senza essere mai stati nel territorio a cui sono destinati, compiono in Collegi esteri la loro educazione, ed ivi sono promossi alla sacra tonsura ed agli ordini....

« Non essendosi però finora ricevuta risposta, e pervenendo alla Propaganda nuova domanda per provvedere a casi che occorrono frequentemente, il sottoscritto Cardinale Prefetto della S. C. di Propaganda, riferendosi al più particolareggiato esposto fatto con l'ufficio del giorno 8 febbraio 1899, torna a pregare l'Eminenza Vostra Rma, acciò voglia compiacersi di dare in proposito quell'autorevole parere, che fu richiesto alla S. Congregazione del Concilio per volontà del Sommo Pontefice ».

Simul vero Delegatus Apostolicus in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis a S. C. de Propaganda dubium definiri poscebat, quod ad eamdem materiam pertinet. Litterae eius ab illa ad hanc S. C. pro opportuna provisione transmissae, hae sunt:

«La S. C. dei Concilio a di 20 luglio 1898 emanava un decreto sull' incardinazione e scardinazione dei chierici, nel quale (n. 2) viene stabilito: ***Incardinationem faciendam esse ab Episcopo, non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum.*** Nel III Concilio di Baltimora (A. D. 1884) nel n. 66 si legge: ***Praesumptam incardinationem haberi dec ¿a-***

ramus, si Episcopus, elapso triennio vel respectivo quinquennio probationis, actum adscriptionis formalem omiserit.

« Si domanda se in forza del detto decreto del Concilio, il quale richiede 1'incardinazione ***in scriptis,*** sia restato annullato il citato decreto dei Conc. di Baltimora, che ammette ***I'incardinazione presunta;*** ed in caso affermativo, se detta legge abbia vigore retroattivo riguardo a casi quando il triennio o quinquennio di prova, secondo il detto Conc. di Baltimora (n. 62, 63), sia già spirato prima dell'emanazione del citato decreto della S. C. del Concilio ».

Instat autem Emus S. C. de Propaganda Praefectus, ut etiam haec quaestio definiatur.

Cum itaque, postulante S. illo Ordine, et urgente necessitate, propositorum dubiorum solutio differri ulterius non possit, quamvis Consultoris votum obtineri nequiverim, rem tamen Emorum Patrum iudicio subiiciendam duxi nonnullis ex officio de more adnotatis.

— Atque in primis quaestiones ipsae enucleate atque in terminis statuendae videntur. Et incipiendo a faciliori, quam Rmus Delegatus Apostolicus Wasingtoniae instituit, quaeri posset :

i°. An dispositio Concilii Baltimorensis, quae admisit incardinationem praesumptam, abrogata fuerit ex decreto ***A primis*** 20 Iulii 1898, quo statutum fuit ut incardinatio in scriptis fiat. - ***Et quatenus affirmative :***

2°. An haec abrogatio retrotrahenda sit ad casum quo aliquis clericus admissus in non propria dioecesi, ibi expleverit triennium vel quinquennium commorationis (quo praesumitur incardinatio) ante diem 20 Iulii 1898, scilicet ante Decretum ***A primis,*** quo vetus disciplina mutata est.

Et haec est primi ordinis quaestio. Alia vero est relate ad usum in Germania atque alibi molitum concedendi excardinatorias litteras (seu, uti vocant, dimissoriales) ipsis laicis, ad effectum ut hi possint ordinari ab Episcopo benevolo re-

ceptore, tamquam proprio, non servatis regulis Constitutionis ***Speculatores,*** eodem modo ac cum clericis fieri coeptum erat. Et quoad hoc punctum quaeri posset:

1°. An haec consuetudo vim legis obtinere potuerit, seu praescribere contra ius commune, adeo ut Episcopi legitime inolitam praxim servare potuerint.

2°. An Decretum ***A primis,*** vi clausulae finalis superius citatae, has particulares consuetudines abrogaverit.

3°. In quocumque casu (et haec est quaestio practica) utrum haec ratio obtinendi proprium Ordinarium ad effectum S. Ordinationis probanda sit, et quibusnam cautelis: uno verbo, utrum extendenda sit ad laicos norma pro clericis introducta, ad Episcopum ordinatorem facilius acquirendum.

Tertio loco est quaestio specialissima, quam S. C. de Propaganda iam pridem diluendam postulaverat, et nunc denuo instat ut definiatur. Porro ut punctum clara lucescat, casum practicum confingam. Titius iuvenis laicus dioecesis Westmonasteriensis in Anglia acceptatur ab Ordinario Sydneyensi in Australia subsequenter ad conventiones quae per epistolas intercesserunt, exhibito consensu cum dimissorialibus litteris Archiepiscopi Westmonasteriensis. Ast Titius non proficiscitur ad dioecesim adoptionis, sed convenit cum Archiepiscopo Sydneyensi, ut studia peragat in Lovaniensi Universitate : ibique durante studiorum curriculo, cum dimissoriis litteris Archiepiscopi Sydneyensis (qui illum retinet qua proprium subditum) ad sacros ordines gradatim promovetur, ac demum Sydneyum pergit sacerdos iam factus. Ut patet, haec quaestio non parum differt a praecedenti. In praecedenti supponitur, laicum hominem, qui discessoriales obtinuit et Episcopum benevolum receptorem invenit, in eius dioecesim migrasse, et in ea domicilium canonicum incoepisse: heic vero non ita. Illic igitur minor iuris communis offensio, minor legis derogatio; heic maior. Illic supponitur Episcopum personaliter cognoscere et experiri hominem quem recepit; heic autem excluditur. Ita-

que casus ille ab hoc differt, et species facti ac quaestio diversa sunt.

Hisce positis, et quaestionibus variis maiori qua valui perspicuitate distinctis et enucleatis, modo ad singulas nonnulla animadvertam.

Et ad primum quod attinet nempe circa dispositionem Synodi Baltimorensis, quae incardinationem praesumptam admisit et probavit, quaeri debet utrum dispositio haec abrogata fuerit ex contraria dispositione Decreti generalis ***A primis.***

Et pro responsione negativa stare videtur principium illud, quod nova lex generalis non censetur tollere aut revocare rationabiles consuetudines et particularia statuta locorum, nisi id exprimatur. En verba capitis i, ***de Constit, in 6:*** «Quia tamen locorum specialium et personarum singularum consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare». Concinunt et doctores, uti videre est penes Reiffenstuel ***(Ius can., lib. i, tit. i, n. 4çS).***

Accedit quod, priusquam dictum Decretum evulgaretur, fortasse, praeter incardinationem scriptam, viguit etiam incardinatio oralis vel aequipollens, quae parum vel nihil differunt a praesumpta, post expletum commorationis triennium vel quinquennium admissa. Hoc generatim innuit Lega ***(de iudiciis eccl., vol.** 2, **pag.** 363 **in nota),*** qui ut probet potestatem legiferam S. C. Concilii, in exemplum profert Decretum ***A primis,*** quippe quod « complura statuat quae hactenus iure communi non continebantur». Et explicitius ***Acta S. Sedis (vol** 39, **pag.** 211)* tradunt « quod veteri iure ***(seu ante citati Decreti promulgationem)*** praeter scriptam incardinationem, etiam oralis, imo et aequipollens seu implicita incardinatio in usu erat, dummodo certo constaret de voluntate utriusque

Episcopi clericum perpetuo et absolute dimittendi, eumque item perpetuo et absolute recipiendi» (i).

Quapropter non immerito concluditur sufficientem non adesse rationem cur incardinatio praesumpta, de qua sermo est in Synodo Baltimorensi, dummodo debitis conditionibus sit vallata, debeat improbari.

At ex adverso observandum est extra controversiam minime esse quod ante Decretum ***A primis*** incardinatio fieri valide posset absque scripto instrumento. Excardinatio enim et incardinatio veram important alienationem clerici de una ad aliam dioecesim, cuius effectus iuridici certo certius probari debent; quod quidem nonnisi per documentum scriptum obtinetur. Nil mirum proinde si etiam veteres auctores, uti Fagnanus ***(lib.** 3, **tit. de paroeciis, cap.*** Significasti, ***n.** 2 **et** 4),* Reiffenstuel ***(lib.** 3, **tit.** 29, **n. II),*** Ferraris ***(verb.*** Testimoniales, ***n.** io)* loquantur de excardinatione clerici scriptis facienda. Hinc probata ephemeris ***II Monitore ecclesiastico (vol.** 8, **part.** 2, **pag.** 2JJ **in nota*** d) multo ante evulgatum Decretum ***A primis,*** haec docebat : « Questo decreto d' incardinazione ***(nempe documentum scriptum)*** deve notificarsi così al sacerdote che s'incardina, come al clero o al Capitolo a cui si incardina ».

Nolim tamen huic doctrinae innixus sustinere nullius, valoris esse Decretum Baltimorensis Concilii de incardinatione praesumpta. Nam etsi veriorem et opportuniorem aestimem sententiam, requirentem scriptum documentum ad incardinationis effectum ; nihilominus in re haud undequaque perspicua non dicam Baltimorensibus Patribus prohibitum fuisse quominus normam quamdam contrariam hac de re statuerent et in usum deducerent.

(i) Hanc nostram sententiam mirifice comprobari censemus ab hodierna S. Congr. Concilii decisione, qua validae declarantur incardinationes praesumptae, ideoque etiam orales et aequipollentes, quae sine scripto documento ante evulgatum Decretum *A primis* diei 20 **Iulii 1898 peractae fuerunt *(N. R.).***

Quo posito videndum superest, utrum generale Decretum ***A primis*** particularem dispositionem contrariam Synodi Baltimorensis abrogaverit. Et ratio id affirmandi utique non deest. Siquidem verba Decreti ***A primis,*** si in se inspiciantur, absoluta sunt, et cuiuslibet alterius modi incardinationis peragendae abrogatoria.

Quod fortius tenendum videtur si legis finis inspiciatur. Ideo namque Decretum illud datum fuit et certae normae statutae ad incardinationem et excardinationem peragendam, ut contentiones, difficultates et abusus, quae circa hanc rem obtinebant, de medio tollerentur.

Contraria itaque praxis hoc ipso irrationalis evadere videtur et implicite ex ipso legis fine abrogata censenda est.

Nec aliquid valere videtur difficultas, quod legislator incardinationem aliter quam scripto factam expresse non irritaverit; hoc enim necessario non requiritur, qiium profluat ex ipsa natura rei.

Et ipse Iustinianus ***(Cod. lib.*** *i,* ***tit.*** *14,* ***n. j)*** nos docet: « Ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, ceteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est ut ea, quae legi fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere quod factum est ». Congruit et ius canonicum in ***cap. i, de Constit, in 6,*** ubi decernitur : « Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscitur ».

Caeterum in fine ipsius Decreti apposita adest specialis quoque clausula derogatoria, nimirum « contrariis quibuscumque minime obstantibus », per quam contraria omnia censentur abrogata ac si essent in specie expressa. Cfr. Laymann ***(lib. i, tit.*** *2,* ***cap. i, n.*** *12,* ***in 6).***

Relate vero ad dubium subordinatum, nimirum utrum dis-

positio Decreti ***A primis*** retrotrahenda sit in detrimentum eorum, qui ex triennio aut quinquennio commorationis in aliqua dioecesi, incardinationem praesumptam obtinuerint ante dicti Decreti evulgationem, vix locus disputationis esse videtur.

Lex enim non agit retro, nisi aperte id caveat, sed quae futura sunt opportune disponit. Decretum autem ***A primis*** minime improbavit incardinationes praesumptas aut oretenus praecedenter factas; ergo eae stare debere videntur.

Gradum deinde faciens ad alteram quaestionem quam primum Ratisbonensis Episcopus, et deinde alii quoque Ordinarii fecerunt, observo hoc quaestionis genus in tria dubia posse dispesci, ceu superius innui, nempe quaeri posse: i°. an ex consuetudine Constitutioni ***Speculatores*** contraria introduci potuerit novum ius, quo liceret Episcopis ordinare laicum hominem, qui litteras excardinationis seu dimissoriales a suo Episcopo obtinuerit, non servato spatio temporis quod ad acquirendum utile domicilium Constitutio ***Speculatores*** praescribit; 2°. utrum particulare hoc ius adhuc vigeat, an potius abrogatum fuerit a Decreto ***A primis***\ **3°.** (quidquid sit de duobus prioribus dubiis) an et quibusnam cautelis novum hoc ius ratum haberi, seu introduci possit.

Iamvero de primo et altero dubio pauca dicam. Nam quod alicubi novum ius Constitutioni ***Speculatores*** contrarium introduci potuerit, ex valore et aestimatione consuetudinis pendet. Examinari enim in primis oporteret, an in hac illave dioecesi seu regione consuetudo iis de facto induta fuerit requisitis, quae ad praescribendum contra communem legem necessaria sunt. Deinde vero in linea iuris discutiendum esset, utrum contra dispositionem Const. ***Speculatores*** de qua agitur, praescribi potuerit. Et quisque intelligit haec omnia haud facilis solutionis futura.

Posito autem quod primo huic dubio responsio affirmativa data esset, quaestio altera subordinata tunc nasceretur, an scilicet particulare hoc ius abrogatum fuerit per Decretum

A primis. In articulo enim VI haec statuuntur: « Denique quoad laicos aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Constitutionis ***Speculatores,*** quae, nihil obstante praefato Decreto, ratae ac firmae semper manere debent ». In fine autem Decreti additur SSmum resolutionem S. C. approbare et confirmare dignatum esse « contrariis quibuscumque minime obstantibus ». Unde quaeri posset, an articulus VI ita coniungatur cum clausula finali abrogatoria ut abrogatae censeri debeant consuetudines, quae forte invaluerint, Constitutioni ***Speculatores*** contrariae.

Plura hac de re hinc inde disputari certe possent. Sed si id, quod verius primo intuitu apparet, mihi liceat exponere, fatear clausulam abrogatoriam (saltem eo modo conceptam ut in Decreto ***A primis*** invenitur) afficere non posse nisi id quod constituit ius novum: de eo enim obvie et naturaliter decerni potest, ut valeat utique « contrariis quibuscumque minime obstantibus ». Sed in eo in quo ius vetus manere debere declaratur, clausula abrogatoria non intelligitur. Declaravit itaque Decretum ***A primis*** quod relate ad laicos, itemque quoad clericos, qui uti nolunt vel nequeunt excardinationis beneficio, standum sit dispositioni Constitutionis ***Speculatores.*** Quod confirmatum invenitur ab hac S. C, quae in una ***Manizalen,—Dubiorum quoad sacram ordinationem*** diei 21 Ian. 1905 nonnisi ex gratia concessit Episcopo Manizalensi facultatem ordinandi, absque proprii Ordinarii dimissoriis, extraneos laicos, licet ipsi in illo Seminario iam per triennium commorari fuerint. Porro hoc valet pro iis omnibus locis ubi dispositio praefata viget: si vero alicubi alia dispositio vel per consuetudinem vel per aliud speciale ius introducta fuerit, haec stare debet, utpote dispositioni ***Speculatores*** subrogata; et clausula finalis « contrariis etc. » ad hoc respicere non potest, neque ad hoc eam extendere licet.

Quidquid tamen sit de his omnibus, quaestio gravior, quae

peculiarem considerationem meretur, et de qua Emi Patres alia vice potissimum quaesierunt, tertia est, utrum scilicet nova disciplina pro clericis introducta ad Ordinarium proprium facilius obtinendum pro sacra ordinatione ope excardinationis, extendenda quoque sit - analogo saltem modo - etiam ad laicos.

Hic usus certe vigebat in Germania, in Gallia, et, ceu audivi, etiam in Hispania, et certissime imo vel ampliori modo in locis Missionum recipiebatur, ut apparet ex postulatione S. C. de Propaganda.

Iamvero observari in primis posset quod litteras excardinationis laicis concedere absurdum per se sit. Nam cum laici incardinati non sint (nam incardinatio in aliqua dioecesi efficitur et obtinetur per ordinationem), et cum incardinati sint et esse possint dumtaxat clerici; iam liquet ne cogitari quidem posse de laicorum excardinatione : et ideo excardinatorias litteras iis concedere contradictionem involvit, et impossibile videtur.

Verum ex altera parte magis factis quam verbis videtur attendendum. Utique litteras excardinationis laicis concedere locutio impropria et absurda est : quod quidem et intellexerunt plurimi Ordinarii, qui idcirco has litteras laicis concessas, potiusquam excardinationis, vocare maluerunt ***excorporationis,*** vel etiam ***dimissoriales.*** Sed quidquid sit de nomine, si res in se inspiciatur, nulla videtur esse valida ratio qua Episcopus prohibeatur, quominus ius suum nativum quod habet in laicos suae dioecesis alteri Episcopo cedat.

Imo si concessum est ut Ordinarii dimittere et excardinare clericos sibi subditos possint, a fortiori hoc ipsis concedendum videtur pro laicis. Hi enim minus devincti dioecesi, minusque paroeciae et ecclesiae mancipati dicendi sunt; ideoque naturaliter dimitti facilius debent. Qua in re citasse sufficiat ex recentioribus Many ***(de S. Ordin., n. ji),*** qui signanter haec habet: «Caeterum usus est immemorialis in

Gallia et praesertim hic Parisiis, ut etiam laici excorporentur. Porro Decretum ***A primis*** non tollit expresse consuetudines contrarias; ergo hae consuetudines, caeteroquin rationales et legitime praescriptae, dici debent vi ***cap. i de Constit, in 6*** adhuc vigere ».

Videtur itaque, congrua congruis aptando, ac debitis cum cautelis permitti posse ut Episcopi ius suum nativum, quod in laicos suae dioecesis habent, cedere possint alii Ordinario; et hic laicum hominem quem hac ratione sibi subditum effecit, postquam rite cognoverit et probaverit, ad Ordines promovere possit iisdem sub modis et conditionibus ac pro clericis excardinatis statutum est, firma utique semper dispositione nuperrime data de alumnis a Seminario dimissis.

Denique quod ad tertiam et ultimam quaestionem pertinet, lex quae viget certe contraria est postulationi et desiderio plurium, qui vellent faciliorem modum inveniri ad proprios faciendos laicos extradioecesanos. Siquidem iuxta praescriptum Decreti ***A primis,*** necesse omnino est ut candidatus iuret: « se vere et realiter animum perpetuo permanendi in dioecesi habere »; quod peragi nequit, nisi, praeter animum, etiam domicilium verificetur.

Tota quaestio igitur est utrum expediat hanc disciplinam immutare. Speciales enim conditiones, in quibus versantur catholicae Missiones, id exigere videntur; quum ipsis fere impossibile sit tot tantosque iuvenes e dissitis locis in loca Missionum transferre, ut inibi proprium acquirant domicilium et Ordines suscipiant. Suffragatur quoque exemplum privilegii concessi Collegio S. C. de Propaganda aliisque piis educationis Institutis. Unde videtur commorationis factum suppleri posse per alias cautelas, quae ab EE. PP. decerni poterunt.

Quin ex adverso obiiciatur, quod hoc modo Episcopus incardinans cognoscere non valeret suos clericos; quum ipse bene possit necessarias atque opportunas eorum informationes a Seminariorum moderatoribus aliisque haurire, ceu praecise

evenit pro alumnis qui commorantur in Collegio de Propaganda aliisque Institutis, qui simili privilegio fruuntur.

Erit igitur prudentiae et sapientiae EE. PP. statuere quid in Domino magis expedire iudicaverint.

Quare etc.

Decisiones. Emi Patres S. Congr. Concilii interpretes, omnibus sedulo perpensis, die 15 Septembris 1906, respondendum mandarunt:

In prima quaestione: ***ad I affirmative, ad II negative.***

In secunda quaestione : ***ad I et II providebitur in tertio. Ad III affirmative iuxta nor?nas per Decretum evulgandas, facto verbo cum SSmo.***

In tertia quaestione : ***Provisum in praecedenti,***

Colliges. i°. Decretum ***A primis*** diei 20 Iulii 1898, quum generale et absolutum sit, quodlibet incardinationis peragendae modum, praeter scriptum, abrogasse dicendum est, ideoque etiam incardinationem praesumptam prouti eam Synodus Baltimorensis III admisit ac probavit.

2°. Quum vero lex ex se vim retroactivam non habeat, necessario sequitur incardinationes etiam absque scriptis ante citati Decreti evulgationem factas tamquam validas habendas esse.

3°. Insuper vi iuris communis hucusque recepti litterae excardinatoriae **(i)** concedi minime poterant laicis in ordine ad benevolum Episcopum receptorem inveniendum ; ideoque ipsos non secus ac clericos, qui excardinationis beneficio uti nequiverint vel noluerint, dispositionibus in Constitutione ***Speculatores*** praescriptis sive quoad domicilium acquirendum sive quoad iuramentum praestandum subiici necesse fuit.

4°. Verum pluribus in regionibus contraria inducta fuit

(i) Hae litterae vocari etiam solent dimissoriae quo fit ut non raro confusio exinde oriatur, quum sub dimissoriarum nomine communiter veniant litterae, quibus unus Episcopus alteri facultatem facit proprium ordinandi subditum *(N. R.)*.

praxis, vi cuius Episcopi etiam laicis excardinationem indigebant, quamque non constat per Decretum ***A primis*** fuisse abrogatam.

5°. Caeterum incardinatio, quae hodie ad laicos quoque, sub certis cautelis per edendum Decretum statuendis, extenditur ad Episcopum ordinatorem facilius obtinendum, non est nisi improprie dicta, quum hoc tantum importet ut unus Episcopus suum ius nativum ordinandi proprium laicum alteri Episcopo cedat.

6°. Hoc extraordinario remedio satis provisum est etiam sacris Missionibus, pro quibus factum commorationis in territorio Episcopi ordinantis suppletur per ipsam laici excardinationem, addito tamen iuramento in perpetuum manendi in respectiva dioecesi vel Missione.

ROMANA ET ALIARUM

DUBIORUM CIRCA SACRAM COMMUNIONEM

De SS. Communione puerorum nuper ad S. Synaxim admissorum, necnon infirmorum morbo chronico laborantium et naturale ieiunium servare non valentium.

Die 30 Decembris 1905 SSmus D. N. Pius PP. X ex S. H. C. consulto Decretum edidit ***De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione,*** quo « omnibus cristifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis » summopere commendatur « Communio frequens et quotidiana, utpote **a** Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima ; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Inibi praeterea sub n. **7** statuitur: « Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur...; quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio, item in aliis christianis omne genus ephebeis ».

Quin imo ut laudabilis ac valde Deo acceptus Communionis quotidianae usus efficacius in dies ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 Maii 1905 omnibus christifidelibus, qui devote recitaverint orationem pro pii usus quotidianae Communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per Decretum ***Urbis et Orbis*** diei 14 Februarii 1906 a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita datum, benigne elargitus est ut per quotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentiae, absque onere confessionis hebdomadariae.

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant litterae quamplures Episcoporum, ac Superiorum Ordinum religiosorum ad S. C. directae, nec non ephemerides non paucae quae de Decreto diei 20 Decembris 1905 egerunt (i).

At una simul dubia et postulationes ad S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes.

En quae ad rem scribebat religiosus vir e Belgio:

« D'abord, les pauvres ***malades*** resteront-ils seuls exclus des faveurs du Saint-Siège? Ceux qu'une infirmité chronique ou prolongée empêche d'observer dans toute sa rigueur le jeûne eucharistique n'obtiendront-ils pas quelque adoucissement, de manière à n'être pas privés, durant de longues semaines, du Pain de Vie. Actuellement la plupart des prêtres ne croient pas pouvoir accorder la Communion, sauf à ceux qui ont reçu les sacrements des mourants, et dans la période où le danger persiste.

« Un autre vœu concerne les ***enfants.*** Le Décret du Saint-Père, quoique reçu avec la plus entière soumission, ne dé-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3y, pag. 794; vol. .38, pag. 400, nec non vol. 09, pag. 62, ubi respective prostant tria supra citata Decreta *(N. R.).*

truit pas subitement l'effet de longs préjugés, puisés dans l'étude et accrus par la pratique. Pour ce motif, des prêtres sages et pieux redoutent qu'on ne se montre encore hésitant et sévère pour accorder la Communion quotidienne aux jeunes enfants. Leur 'crainte s'augmente de ce que le mot ***ephebeis*** du Décret, pourrait être restreint, par des esprits prévenus, aux seuls adolescents. Il est pourtant certain, et par la raison et par l'expérience, qu'il importe ***avant tout*** de faire communier les plus jeunes enfants, afin qu'ils s'imprègnent de la grâce de Notre Seigneur - ***imbuantur Christo*** - avant que les passions n'aient ravagé leurs cœurs. Hélas ! trop souvent maintenant c'est le contraire, et la difficulté grossit doublement et de faire accepter un remède aussi nécessaire, et de détruire les effets déjà si profonds, dans l'esprit, dans le corps et dans la volonté, des passions mauvaises aux quelles les enfants sont plus exposés que jamais. Les prêtres qui pensent ainsi vous offrent leurs humbles et instantes prières pour que Sa Sainteté daigne redire avec autorité à tous les prêtres la parole de Jésus-Christ : ***Sinite parvulos venire ad me!*** Leurs vœux seraient complés si en même temps l'exemple de Cottolengo, de don Bosco, et d'autres apôtres, si saints et si éclairés, de l'enfance, était publiquement loué et proposé à l'imitation ».

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus mos hucusque fuisse quod pueri et puellae ad primam Communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare ; imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae Mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe solemni functione primae Communionis.

Unde clarissimus vir rogavit SSmum D. N. ut dignaretur duo haec dubia resolvere :

I. ***Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi ne debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem*** *t*

II. ***Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne Pane eucharistico tam longo tempore priventur?***

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad S. H. O. remiserit, nonnulla de more hinc inde quoad utrumque dubium adnotabo.

— Et quoad primum rationes quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur.

Ipsi enim non ea adhuc discretionis mente praediti apparent, quae requiritur ad hoc ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Quum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur, saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiae ita exponentes.

Iamvero, uti docet Card. Bellarminus ***(De sacram. Euchar. lib.*** *4*, ***cap.*** *23),* « ex duobus malis semper est eligendum minus malum : est autem minus malum ut homines aliqui careant bono non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenter periculo irreverentiae exponatur ». In casu igitur cum pueri quotidiana Communione non necessario indigeant, nec sine irreverentia eis dari possit, consultius eisdem deneganda esse videtur.

Accedit quod per nimiam Communionis quotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde vi etiam metus reverentialis in maiora quoque sacrilegia prolabuntur. Unde Tarino ***(Il libro del buon pastore),*** quamvis moneat rectorem clericorum in Seminariis degentium, ut in genere frequentiam sacramentorum, praesertim vero Communionis, indigitet, addit tamen: «Ma ti guarda assai dal dire a qualcheduno che si accosti più di frequente

alla Comunione, perchè le tue parole potrebbero essere causa di sacrilegio e d'ipocrisia».

Quinimo Innocentius XI in Bulla ***Cum aures*** diei 12 Februarii 1679, normam tradens Communionis quotidianae concedendae, eam dimetiendam esse docet « ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu, et ad pietatem profectu ». Quae omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabuntur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt.

Demum in ipso Decreto H. S. C. sub n. 7 edicitur ut haec Communio « quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis..., item in aliis christianis omne genus ephebeis ». Quapropter non satis patet Communionem in casu aliis pueris, qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper ***ephebus*** idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 14 pro maribus, et 12 pro feminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri ex* elusi videntur.

At ex adverso non minora stant pro frequenti puerorum Communione. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat Card. Bona ***{Rerum liturg., lib.*** *2,* ***cap.*** *12,* ***n.*** *2).* Tunc temporis in usu erat ut quicumque baptizabantur, sive adulti sive infantes, una simul Pane eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, quum et ipsum Conc. Trid. ***(Sess.*** *21,* ***cap.*** *4,* ***de Comm.)*** dicat: « Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit ». Et merito; nam, ut habet Bellarminus ***(loc. cit., lib. i, c.*** *7),* «infantes in baptismate ius acquirunt ad Eucharistiam percipiendam ».

Quocirca factum est ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemadmodum idem Card. Bona ***(loc. cit.)*** ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio cur haec frequens, imo et quotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

Idque eo vel magis quia necesse omnino est ut pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro ***De imitatione Christi (lib.*** *4,* ***cap. j)*** haec leguntur : « Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua ; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad peiora.... Retrahit ergo sancta Communio a malo et confortât in bono ». Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt ***ex opere operato,*** quandocumque obicem in suscipiente non reperiant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis expectandum est ***ex opere operantis,*** quia, praeterquamquod ignorantia in pueris ab innocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

Unde De Segur ***(La SS. Comunione)*** haec inter alia habet : « I giovanetti, al pari degli adulti, possono e debbono comunicarsi spesso. Nostro Signore non richiede da loro, se non quel che son capaci di dargli; ed egli conosce meglio di noi questa leggerezza che ci spaventa; ma egli sa altresì, e molto meglio di noi, che ***V*** innocenza è il più prezioso di tutti i tesori, che il demonio vuol rapirla ad essi per tempo, e che la sola Comunione può difenderli dalle astuzie del nemico.... Per ben comunicarsi basta ricevere il Salvatore con buona volontà. Ciò si avvera tanto nei fanciulli che negli adulti; e l'esperienza fa conoscere che nella buona vo-

lontà di un fanciullo, che ha fatta la sua prima Comunione, si trova la sincerità più schietta. Egli ama Gesù Cristo, egli lo desidera; e perchè non darglielo? Bene spesso egli è degno di riceverlo più di noi altri, che non apprezziamo la di lui pietà.... La leggerezza non fa ostacolo alla santa Comunione, se non quando è volontaria.... I ragazzi son leggeri. Sì, ma son buoni ed affettuosi; e perciò al bisogno che hanno di amare, fa d'uopo dare il suo vero alimento. Bisogna far loro amare Gesù Cristo, e a tal fine metterli spesso in intimo rapporto con lui. I loro difetti, per quanto sieno reali, hanno poca consistenza; ed è appunto la pietà quella che impedisce a questi difetti di diventar vizi ».

Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini : ***Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum.*** Regnum autem coelorum in terris nonnisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris, quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 Martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim : «. . . . .Que même après les avant admis ***(nempe infantes)*** pour la première fois à la table eucharistique, on a coutume de les en tenir éloignés pendant long-temps, leur défendant, dans certains endroits, de communier au temps de Pâques, l'année qui suit leur première Communion. Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage d'éloigner pour plusieurs mois les jeunes élèves du sacrement de l'Autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre préparation. Sachant combien la fréquentation des sacrements de pénitence et d'eucharistie importe à la garde et à la conservation de l'innocence dans les enfants ; sachant que cet

usage fréquent des sacrements contribue admirablement à alimenter et fortifier la piété naissante dans les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les pratiques de notre sainte religion...; le Saint-Père, désireux de voir modifier un système si mal entendu et si préjudiciable aux intérêts spirituels des jeunes enfants, m'a chargé d'appeler sur cet abus l'attention de V. S.... afin de parvenir à réformer, dans un sens plus conforme à l'esprit, et à la discipline de l'Eglise, ce défectueux système de soins spirituels à l'égard des enfants ».

Hoc idem eruitur ex Decreto ab hac S. C. die 20 Decembris 1905 edito, in quo ***omnibus christifidelibus*** commendatur frequens ac quotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis Decretis S. C. Ind. et SS. Rei., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia ***omnibus*** indiscriminatim ***fidelibus*** conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros, qui usum rationis adepti sunt, quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus ***ephebeis*** quam maxime foveatur quotidiana Communio, sed praeterquamquod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac ephebeis facta, quin alii fideles excludantur, vox ***ephebeorum*** lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia Instituta, in quibus etiam pueri instruantur atque educentur.

Ex quibus omnibus non immerito infertur quotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis sed etiam pueris summopere suadendam esse.

— Quoad alterum quaestionis punctum, notum Emis Patribus est, S. C. S. Officii concedere solere, nostro aevo largius ac benignius quam olim, ut senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale ieiunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monia-

libus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, aliquid prius per modum potus quamvis sumpserint.

Verum occasione arrepta Decreti diei 20 Decembris 1905, aliquid amplius postulari videtur, et super hoc sententia EE. PP. requiritur, an scilicet et quaenam nova disciplina hac de re possit opportune induci.

Uti patet, heic sermo non est de infirmis graviter aegrotantibus atque in proximo mortis periculo versantibus, qui etsi non ieiuni, ad Eucharistiam per modum Viatici sumendam admitti possunt ac debent. Rituale enim Romanum ***(tit.** 4, **cap.** 4, **n.** 3 **et** 4)* ad rem statuit: « Pro Viatico autem ministrabit ***(parochus)*** cum probabile est, quod ***(infirmus)*** eam amplius sumere non poterit.... Poterit quidem Viaticum brevi morituris dare non" ieiunis ». Consuetudo autem Ecclesiae, ut habet Reuter ***(Neo-confessarius, part.** 3, **cap.** 6, **n.** 3)* « videtur absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos, si commode non possint manere ieiuni ».

Aliqua dumtaxat extat dissensio inter doctores in praefiniendo temporis spatio, quod intercedere deberet ad hoc ut infirmo periculoso, intra eamdem infirmitatem, iterum dari possit Viaticum. Sunt enim qui cum Navarro, putant multum temporis inter unam alteramve Communionem intercedere debere; alii unum mensem; alii decem, octo aut etiam tres dies; alii denique cum Laymann ***(Summ., lib. f, tract.** 4, **cap.** 6, **n.** 20)* toties quoties devotio et dispositio poenitentis hoc suadeat, ac proinde singulis quoque diebus. Cfr. S. Alphonsus *(6, 2, 83, **d. i),*** Ferraris ***(verb.*** Infirmitas, ***n.** 21),* De Lugo ***(De Sacr. Euch., disp.** 13, **sect.** 3, **n.** 64)* etc. Practice autem quae vera, quae pia, quae iusta sit doctrina, tradit Benedictus XIV ***(De Syn. dioec, lib. j, cap.** 12, **n.** 4) :* « Ne parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium servare nequeunt, percipere cupiunt ».

Sed missa quaestione de infirmis graviter decumbentibus, si discussio fiat de infirmis chronicis aliisque diuturno morbo absque discrimine laborantibus, ne vetus disciplina mutetur, stat in primis dispositio Ritualis Romani, quae ita sonat : « Coeteris infirmis qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum ».

Accedit quod si a lege generali ieiunii cum infirmis extra mortis periculum dispensaretur, non pauci abusus obrepere possent.

Praetermisso enim parochorum incommodo, quod grave fieri posset si praesertim plures infirmi chronici in paroecia haberentur ; considerandum insuper est, iuxta Rituale Romanum ***(loc. cit., n. 6,*** 7 ***et 8)*** SSmum Sacramentum infirmis deferendum esse manifeste atque honorifice. Et Sacra Rituum Congregatio in ***Mantuana*** diei 6 Februarii 1875, n. ***3Z$J***> uti abusum eliminandum decrevit consuetudinem ad infirmos Viaticum deferendi secreto, sine ullo exterioris cultus signo, nisi adsint gravia motiva sic agendi.

Ast si chronici ad Communionem admittantur non ieiuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SSmae Eucharistiae, vel paullo frequentius per vias et in infirmorum aedes deferri oporteret; et id vix aut ne vix quidem cum debita reverentia fieri posset.

Firma autem lege hucusque vigente, et devotioni ac pietati infirmorum succurrendo per opportuna indulta, incommodis hucusque expositis aditus maneret praelectus. Unde nil innovandum videretur.

Ex altera vero parte observari potest legem ecclesiasticam ieiunium naturale etiam aegrotis praescribentem, antequam S. Communionem ipsi sumant, datam esse tum ad praecavendos abusus quorumdam qui, potu et escis repleti, ad S. Mensam accedere non verebantur, tum ad reverentiam excolendam erga augustissimum Sacramentum. Atqui cum infirmis

chronicis praefati abusus contingere non possunt; nec reverentia erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis detrahitur; nam causa excusans intercedit. Ergo videtur adesse ratio ad legis moderationem inducendam.

Aliunde quum omnibus indiscriminatim christifidelibus consulatur quotidiana vel saltem frequens Communio^ nulla adest ratio cur infirmis, qui ieiunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica: et Concilium Constantiense ***(Sess. ij),*** quamvis edicat quod « huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis », addit tamen: « nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis ».

Lex itaque ieiunii, utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec unquam ita, ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret.

Quoad incommoda vero quae superius indicata sunt, forsan distinctio fieri potest inter eos qui degunt in Seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis, aliisque piis Institutis, a ceteris qui in privatis domibus versantur, nec privilegio oratorii domestici fruuntur.

Liquet autem incommoda superius recensita non posse contingere quoad infirmos prioris conditionis; eo vel magis quia Sacra RR. C. die 7 Februarii 1874, n. 3322, permisit, ut in piis domibus nosocomiisque Eucharistia deferatur modo minus publico et solemni.

Quoad ceteros vero succurri posset, dando Ordinariis potestatem, ut saltem in maioribus anni festivitatibus, eisdem per opportunas dispensationes occurrant.

De cetero prudentia ac sapientia Emorum Patrum ut su-

per, ita etiam in praesenti causa quae iusta, quae aequa sint statuet.

Quare etc.

Resolutiones. Sacra Congr. Concilii, omnibus rite perpensis, die 15 Septembris 1906 decernendum censuit:

Ad I. ***Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum Decreti*** (i) ***etiam pueris, qui ad sacram Mensam iuxta normas in Catechisino Romano, cap.*** *4,* ***n.*** *63,* ***semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente*** (2).

Ad II. ***Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo*** **(3).**

(1) **Quod nempe datum fuit die** 20 **Dec. igo5** ***De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione (N. R.).***

(2) **Catechismus Romanus** ***(loc. cit.)*** **propositae sibi quaestioni: « Qua aetate pueris sacra mysteria danda sint », ita respondet: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ». Ex quibus sequentes normae practicae eruuntur: i°. Nullam esse aetatem taxative statutam qua pueri admitti possint vel debeant ad primam Communionem percipiendam'; 2°. Huiusmodi vero aetatem in singulis pueris diversam exsistere, prout nempe ipsi ostendunt possidere aliquam sacramenti .Eucharistiae cognitionem et gustum ; nempe, ut idem Catechismus Romanus** ***(loc. cit., n.*** *62)* **sese exprimit, rationis usum adepti sunt, et sacram Eucharistiam a communi et profano pane discernere valent, atque ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt; 3°. Admissionem proinde puerorum ad primam Communionem pendere ab arbitrio et conscientia confessarii, qui prae ceteris noscere valet, an puer in casu particulari dispositiones praeseferat necessarias ad corpus Christi sumendum ; 4°. Demum parochos aliosque animarum curatores ne plus aequo sese immisceant oportere in pueris admittendis vel repellendis a primae Communionis perceptione, secus ac pluribus in locis communiter fieri consueyit** ***(N. R.).***

(3) Interea nomine lectorum ac nostro enixas porrigimus preces Summo Pontifici ut indultum, quod hodie per organum S. Officii sat facile concedere solet, vi cuius infirmi chronici aliique diuturno morbo laborantes sed absque vitae discrimine et naturale ieiunium servare non valentes, bis in hebdomada si sint moniales et religiosi viri, vel saltem bis in mense si sint laici, ad sa-

Colliges. 1°. Dispositiones, quae necessario requiruntur ut quis etiam frequenter imo et quotidie ad sacram Synaxim accedere valeat, sunt status gratiae et recta intentio.

2°. Iamvero hae dispositiones potissimum in pueris nuper ad primam Communionem admissis inveniuntur, quorum intellectum nondum mutavit malitia, et quorum anima non est a fictione decepta.

3°. Quapropter frequens ac quotidiana Eucharistiae sumptio praesertim pueris commendanda est, quum optandum sit ut ipsi, antequam passionibus praeveniantur, imbuantur Christo, atque ita corroborentur in innocentia et in pietate.

4°. Haec saluberrima praxis quam maxime foveatur oportet in Seminariis, monasteriis utriusque sexus aliisque piis Institutis, in quibus etiam infantes instruuntur et educantur.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS CISTERCIENSIS

In Kalendario Cisterciensium quaedam ritus elevationes ac variationes inducuntur.

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, Rmus D. Amedeus de Bie, Abbas Generalis Ordinis Cistercensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SSmo Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit, nimirum :

eram Mensam accedere possint, licet aliquid prius sumpserint per modum potus, tamquam legem generalem pro universa Ecclesia, si ita in Domino expedire iudicaverit, benigne decernere dignetur *(N. R.).*

1°. ut festum Sacratissimo Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava elevetur, extendendo integrum Decretum diei 28 Iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense.

2°. ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia Universali, iuxta Decretum diei 23 Aprilis 1895.

3°. ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris elevetur, sicut obtinet in Ecclesia universali.

4°. ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 Augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quoties impeditum occurrat Dominica Passionis aut quindena paschali, adsignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum **5°.** ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 Iunii 1896 extendantur ad Breviarium Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de solemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinale Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis ceterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque **(1)**.

Die 8 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Haec et non alia est authentica praesentis Rescripti forma, prouti extat in S. Rituum Congr. Tabulario *(N. R.).*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE DECRETALES

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Pii D. P. PP. X, quibus Beato Gerardo Majella, laico professo Congregationis SS. Redemptoris, Sanctorum honores decernuntur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Haud tenui perfundimur animi laetitia, quod, pro supremo munere Nobis, licet indignis, collato, Beatum Gerardum Majella in Sanctorum numerum referre, eumdemque ut eximium exemplum christifidelibus universis imitandum proponere, Nobis contingat. Eum equidem despexit mundus, et fatuum arbitratus est: non item vero Deus, qui pridem dixerat: ***Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (Luc. VI,*** *20);* ***Deus, qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra, suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum. cum principibus, cum principibus populi sui (Ps. CXII, f***-*7);* Deus itaque hunc Servum suum plurimi fecit ; et per eum, quum adhuc viventem, tum vita iam functum, omnipotentiam suam saepius exseruit, ut fideles homines memoriam eius colerent, et eius virtutes imitarentur. Etenim ***quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret (I Cor. I,*** *27, 28).*

Tenui loco natus est Gerardus, ix kalendas maias anno MDCCXXVI, Muri, quae est urbs Lucanorum, ex Dominico Majella et Benedicta Galella coniugibus. Qui curaverunt eum baptismatis aquis lustrari, ac pro sua pietate eum sancte instituerunt. Ille, parentum sedulitati, et gratiae divinae, quae

eum mature occupabat, impulsionibus volenti animo respondens, puerilibus iocis et cupiditatibus abstinebat, precibus frequentem dabat operam, et cum aequalibus sacros ritus imitabatur. Puerilis animi candorem sibi acceptum esse Deus prodigiis manifestaban Cum enim ille templum B. Virgini dicatum, ad alterum Muro lapidem, petebat, Iesus infans, Matris brachiis relictis, ad eum accedebat, atque cum eo puerili more ludebat. Et quando sacro aderat, postquam sacerdos hostiam consecraverat, puerum Iesum inter eius manus videbat, ipsumque ab eo frangi, ipsum comedi.

Adolescens factus, addictus fuit a matre vestiariae cuidam officinae, ut artem sarcinatoris addisceret. Ipse simul, in eius tabernae angulis, precibus incumbebat, aut inde egrediebatur, ut in templo interesset sacro : hac de causa, a praecipuo operario odio habebatur, direque vapulabat : quas vexationes aequo animo, Christi amore, sustinebat. Cumque sarcinatoriam artem didicisset, eam, iam patre amisso, exercebat, et ex perceptis lucris nihil fere sibi reservans, iis matrem sustentabat, stipem erogabat pauperibus, piacularia sacra, ad animas admissa expiantes recreandas, confici curabat. Quem cum consumptis lacerisque vestibus indutum patruus, qui erat pater Capulatus, conspexisset, novas ei emit: at ipse paulo post pauperi homini eas donavit, aiens illum, se magis, eis indigere.

Frequens erat in sacramentis excipiendis : quotidie intererat sacro: coram SS. Eucharistia noctes integras pervigilabat; nec raro, in commentandis divinis rebus, extra sensus rapiebatur: fidei christianae elementa adolescentes docebat. Singularem erga B. Virginem pietatem exhibuit, quo die simulacrum eius sacra supplicatione circumferendum erat: accessit enim ipse, et digito eius annulo inducto, obtestatus est cives, quod eam sibi spoponderat.

Verum, cum vitam religiosam inire exoptaret, petiit, ut in Capulatorum sodalitium adscriberetur: nec tamen, propter

insignem maciem, ab eis exceptus est. Quamobrem instituit asperrimam, et a consortio hominum segregem vitam ducere. In deserto loco, ciliciis et afflictationibus corpus macerans, radicibus atque amaris herbis vescebatur: neque inde egrediebatur, nisi ut Sacramenta exciperet. Hanc tamen eremiticam vivendi rationem deinde reliquit, ut conscientiae rectoris iussui obtemperaren Nec vero contemptuum amor dolorumque est imminutus, quibus Christi effici similis exoptabat. Gaudebat enim, quum eum ut fatuum pueri sequebantur, aut in eum spuebant, et lapidibus petebant; ac genam caedenti alteram humiliter obiiciebat: imo amicos iubebat, ut se caederent flagellis, vel capite inverso suspenderent, ac subiicerent fumum, vel pedibus ligatum per saxa rupesque permanerent.

Septem ac decem annos natus, Beatus Gerardus aggressus est famulari Episcopo Laquedoniae, cuius pervagatam morositatem patienti animo toleravit. In ea urbe reconciliandae cum Deo gratiae cuidam sacerdoti, qui sacris sacrilege operabatur, auctor fuit, intimo conscientiae statu ei palam facto. Narratur etiam, cum aquam haurienti clavis episcopalis diaetae in puteum concidisset, simulacrum Iesu pueri in puteum demisisse, illudque manu clavem gerentem inde retraxisse. Quare post haec puteus ille a Gerardo nomen invenit. Post tres famulatus annos, Episcopus Laquedoniensis obiit, quem ex animo Gerardus deflevit, et Murum est reversus.

Murum cum advenissent non ita pridem a S. Alphonso instituti sodales a SS. Redemptore, sacras, more suo, obeuntes expeditiones, Gerardus illis in omnibus praesto fuit, petiitque ut inter eos reciperetur. Attamen tunc etiam obstáculo erat corporis gracilitas et extenuatio: mater quoque Gerardi consilio totis viribus reluctabatur, eoque die, quo illi Muro profecti sunt, filium domi clausum secum detinuit. Ipse vero, cum facta nox esset, linteis suspensus, demisit se per fenestram, et per 'alpestrem atque asperam duodecim millium

passuum viam eos assequutus, preces iteravit, velint sui experimentum facere, dimittantque, nisi idoneum invenerint. His efflagitationibus litteras obtinuit, ad praepositum collegii Iliceti : quibus arreptis, pedestri duorum dierum itinere, eo laetus pervenit.

Ibi religionis vota anno MDCCLII nuncupavit, omnibusque viribus, ad virtutum perfectionem assequendam, animum intendit. In gravioribus quibusque laboribus, praesto erat sodalibus ; cumque noctu illi quieti, ipse ante SS. Sacramentum orationi vacabat. Cibi ac potus severa abstinentia erat, asperrimisque macerationibus corpus afflictabat : simul mira supra naturam dona illi impertiebat Deus. Cum ulcerosum cuiusdam crus ore suo suxisset, homo e vestigio sanatus est. Cum Ilicetani collegii praepositus quatuordecim millibus passuum longe abesset Iliceto, apud Melphitanum Episcopum, ex illo intervallo Gerardum iussit, ut eo veniret. Venit revera: miratusque Episcopus tantum virum viginti saltem dies secum retinere voluit, ut consiliis eius uteretur. Sed afflictationum cruciatuumque, quibus Christo Domino similis fieret, inexplebile hominis desiderium. Ipse enim homines, quos ad bonam frugem revocaverat, tertio vel quarto quoque die, ad solitarum locum secum ductos, iubebat, ut se flagellis aspere caederent, manibus scopulo alligatis ; spineam deinde coronam imponerent capiti, baculoque premerent; tandem, ex duobus tignis cruce composita, se illi affigerent.

Inimicitias hominum conciliare ac tollere missus est. Castri Grandinis cum adolescens esset interfectus, pater eius, ab uxore potissimum inflammatus, inhiabat occisionem ulcisci. Gerardus, eo accitus, furentium coniugum domum accurrit, coram eis in genua se provolvit, et Christi cruci affixi e sinu educta imagine, et humi deposita, clamabat eam conculcarent, antequam ad sanguinem caedesque currerent. Quibus vocibus illi commoti ac territi, iram posuerunt, et cum inimicis gratiam reconciliaverunt.

Hae tamen Beati Viri praeclarae virtutes eum non exemerunt, quominus flagitii insimularetur. Quaedam enim puella, quae Gerardi opera, doteque ab eo comparata, in fodianum asceterium a SS. Servatore excepta fuerat, paulo post cum asceterium dereliquisset, ut animi levitatem tegeret, coepit contra eas sanctimoniales crimina fingere, et contra ipsum Beatum Virum, quem insimulabat cum laquedoniensis hospitis filia inhonestum commercium inivisse. Crimen S. Alphonsus credidit, qui Nuceriam arcessitum et severe increpuit, et duas ab eo poenas expetivit : nam vetuit communicare cum extraneis, ieiunare iussit, quodque Beato Viro acerbissimum, a sanctis Epulis removit. Ipse vero tam dura fortissime ultra mensem ita toleravit, ut ne verbum quidem, ad se purgandum, proferret : donec illa femina, cum graviter aegrotasset, conscientiae stimulis agitata, rei veritatem detexit, ac Gerardi quum innocentia, tum singularis virtus explorata omnibus fuit.

Post haec, cum Beatus Gerardus Neapolim missus esset, et prope littus ambularet, navem vidit quae tempestate confecta, neque appellere posset ad terram, et iam prope esset ut a fluctibus obrueretur. Pereuntium commotus misericordia, cum nemo esset, qui auxilium ferre valeret, mare securus est ingressus, et per furentes Auctus ad navem accessit, arreptamque manu, et iussam per SS. Trinitatem, ut se sequeretur, ad littus incolumem deduxit.

Deinde ad collegium Matris Domini se transferre iusso ianitoris munus commissum est. In quo explendo, ad ferendam indigentibus opem, studiosissime intendebat animum. Non modo enim, quae per superiores licebant, tribuebat eis, sed de necessario cibo sibi ipse detrahebat, quem eis largiebatur. Caritatis tempore, cum ad famem eorum explendam collegii horrea exhauriret, ea paulo post iterum prodigio referta reperiebantur : aliquando autem panem omnem sodalibus paratum illis distribuebat, qui tamen simili miraculo

integrabatur. Simul spiritualem etiam eis cibum praebebat, fidei christianae eos rudimenta docens. Sed erga aegrotos mirabilis sollicitudo: ad quos Caput Silari se per diruptam semitam conferebat, eisque eleemosynis, pharmacis, notationibus ipso tandem conspectu suo subveniebat, quem, ut adesset pluribus, miraculo quandoque multiplicaban

Eodem vero tempore magis magisque Dei caritate flagrans, aiebat unum sibi in vita agendum esse, unum exquirendum, ut Deo placeret, Deo afferret delectationem, Dei in omnibus faceret voluntatem. Quare in Deum toto animo intentus, alienas res aliquando oblivisceb'atur : ut quodam mane accidit, quod fere integrum, caelesti cibo refectus, in divinarum rerum commentatione consumpsit, muneris oblitus sibi commissi parandi sodalium cibos. Id quidam ex eis cum advertissent, ad eum monendum perrexerunt. Qui placide respondit: Sed angelis ecquod negotium est? Cum vero prandii datum est signum, stupentibus sodalibus, omnia, quae ad alimoniam eorum spectabant, apte instructa erant atque parata.

Deo devotae virgines sedulae curae ei fuerunt. Nam non pauca asceteria in disciplinam eius ultro se tradebant; et ipsi Episcopi Melphis, Trojae, Muri, Compsae, Laquedoniae sacras suarum dioecesum virgines ei commendabant. Quibus, tam dissitis in locis, aut praesens, aut litteris missis, praesto erat, ut vel perfectionem conantibus adipisci adderet alacritatem, vel tepentes negligentesque ad pristinae disciplinae severitatem revocaret.

Erat Gerardo incredibilis quidam peccati horror, ut non modo procul ab illo ipse fugeret, sed illud ab aliis etiam eripere totis viribus conaretur : quod si assequi id nequiret, et ab hominibus offendi Deum videret, terrore perculsus, vultus hilaritatem ponebat, et se in terram prosternens, qua ratione fas erat, Dei offensionem resarcire conabatur. Cum esset Compsae scelestus quidam homo, qui, sacerdotem se esse simulans, et sacrum ministerium exercens, in errorem

•omnes induxerat; eum adivit Gerardus, occultisque facinoribus, quae divinitus illustratos cognoverat, patefactis, assecutus est, ut nequissimam eam vitam ille abiiceret.

Tam eximiae Viri virtutes iam eum maturum efficiebant, qui caelestem earum mercedem a Deo reciperet. Augusto mense anno MDCCLV, cum esset annos natus undetriginta, missus ad finitima oppida est, ut saepe fiebat, ad corrogandas eleemosynas pro construenda domu Matris Domini. Cumque elanguens confectusque ad oppidum Olivetum pervenisset, magnam ibi vim sanguinis evomuit, et ad collegium Matris Domini, iussu moderatoris, reversus est. Qui, cum eum cadaveris speciem referentem conspexit, fletum continere nequivit. Contra Beatus Vir eum hortabatur, laeto animo esset: Dei quippe voluntatem hilare faciendam esse aiebat. Quamquam vero, mox moriturus, extremis sacramentis est munitus, tamen, ita obedientia iussus, visus est consanescere: sed praefixit, eo ipso anno, sibi ex eodem morbo esse monendum.

Quare, cum mense octobri in tabem recidisset, aiebat velle se mori, quo ad Deum advolaret, velle vivere, quo* pro Christo pateretur. Singulari animi ardore SS. Eucharistia quotidie reficiebatur; et in imagines Iesu cruci adfixi et Matris eius coram se positas amantissime intuebatur. Petierat a Deo, ut ab omnibus derelictus moreretur, idque obtinuit. Nocte enim, quae idus octobres antecessit, sodales, ex medici sententia, non esse eum tam cito moriturum arbitrati, in sua quisque cubicula recesserunt, relicto penes eum fratre Stephano Sperduto. Beatus Gerardus pie orans, admissorumque veniam a Deo humillime petens, eam noctem traduxit* •et Iesu ac Mariae nomina iugiter invocans ac benedicens. Cumque aliquantum aquae poposcisset, abiit ad eam sumendam Stephanus, reversusque invenit eum iam morientem, •qui, vix patre Bonamano appellato, animam exhalavit. Mortuus est tricesimo aetatis anno, die exeunte S. Theresiae sacro, quam ipse singulariter colebat.

Mane sequenti funus habitum est, ad quod tanta multitudo atque ex adeo remotis oppidis confluxit, ut id prodigio adscriptum fuerit. Suavis odor e corpore manabat ; frons, pectus sudorem emittebant; secataque vena, vivus sanguis exsiluit. Urgebat se circa corpus populi multitudo, cupientibus omnibus sudorem illum vel sanguinem linteis excipere, vel quidquam inde sibi assumere, quod pio ac religioso cultu servarent. Ita tres dies corpus insepultum relictum est, custodesque circa positi, qui a pio fidelium impetu illud defenderent. Tandem in ipso templo collegii Matris Domini separato sepulcro conditum est.

Huic sepulcro multum christifideles honorem tribuerunt, Beatique Viri suffragationum pondus experti sunt. S. Alphonsus animo deliberaverat eius historiam exarare: sed aliae curae eum impediverunt. Alphonsi obitum adversa tempora sequuta sunt: cumque licuit, prima Ligorianorum sodalium cura fuit, ut Conditori suo superum honores quaererent. Potissimum hoc desiderium adepti, curaverunt de Beati Gerardi virtutibus institui ordinarias quaestiones : quibus Pius IX f. r. Decessor noster nisus, commissionem causae eius ineundae signavit, XV calendas octobres anno MDCCCXLVII.

Quare, apostolicis quaestionibus habitis, idem Pontifex,, vi idus iunias anno MDCCCLXXVII, decrevit : ***Ita constare de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico Ven. Servi Dei Gerardi Majella, laici prof essi ex Congregatione SS. Redemptoris, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum.***

Quatuor igitur proposita sunt miracula: primum fuit: ***Instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Theresiae Dehenejfe ab inveterato vulnere fistoloso, nullo relicto cicatricis vestigio;*** alterum: ***Instantaneaeperfectaeque sanationis Laurentii Riola a gravi tuberculosi meseraica;*** tertium : ***Instantaneae perfectaeque sanationis Ursulae Solito a tumore canceroso conclamato ;*** quartum : ***Instantaneae perfectaeque sanationis***

Iosephi Santorelli ab ileo-typho gravissimo. De hisce miraculis solemniter edixit constare Leo XIII f. r. Pontifex Maximus, VIII calendas apriles anno MDCCCXCII. Idemque, vi idus septembres anni ipsius, decrevit : ***Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Gerardi Majella beatificationem.***

Beatificationis vero solemnia celebrata sunt apud Vaticanam Basilicam, iv calendas februarias anno MDCCCXCIII. Cumque, Beati Viri precibus, nova prodigia effecta esse narrarentur; iv idus iulias anno MDCCCXCIII, id. f. r. Decessor Noster commissionem signavit resumptionis causae. Ergo Postulatores tria prodigia protulerunt, a Sacra Congregatione approbanda: ac deinde duo alia. Ex his omnibus duo (tot enim requirebantur) probata sunt. Primo, pridie calendas septembres anno MDCCCXCIII, sanata est Valeria Baerts a gravi febri typhoidea, cui cum méningites accessisset, infelix puella, agnoscendi facultate amissa, horrendis exagitata spasmis, morti imminenti iam erat addicta, cui eam fore se erepturos nec medici, nec necessarii sperabant. Verum, cum ad eam accessisset pater Cousin ex Ligoriana familia, et reliquias B. Gerardi imposuisse^ hunc flagitaverunt qui adstabant, ut puellae sanationem ac fere resurrectionem a Deo impetraret. Statim illa placide obdormivit, cumque expergefacta est, compos erat sui, et quaevis morborum symptomata plane evanuerant: quaedam tantum remansit debilitas virium, quae tamen et ipsae, paucorum dierum spatio, restitutae sunt.

Altero prodigio Vincentius De Geronimo Compsani seminarii alumnus optimam recuperavit valetudinem, qua infirma et imbecilla a nativitate usus fuerat. Verum, exeunte anno MDCCCXCVI, incidit in tam vehementem pleuritidem exsudativam, ut, post novem dies, de sanatione eius medici desperarent, iamque morti proximus esset. Hisce angustiis impulsus, seminarii moderator Beati Gerardi reliquias super aegrotantis pectus imposuit. Qui illico tranquillo somno se dedit, postque aliquas horas eo excusso, sensit se esse morbo perfecte liberatum, viresque sibi rediisse.

Quater de primo prodigio, ter de secundo cum esset disceptatum, Nos, divino lumine invocato, xvin calendas septembres huius anni, solemniter sanximus: ***Constare de duobus propositis miraculis, scilicet de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Valeriae Baerls in supremo vitae agone constitutae, ex febri typhoidea ad extremum stadium perducta, et meningiti cerebrali consociata; et de altero : Instantaneae ferfectaeque sanationis Vincentii De Geronimo a lethali pleuritide exsudativa.*** Tum, die eodem, pronunciavimus : ***Tuto procedi posse ad solemnem Beati Gerardi Majella canonizationem.***

Verum, ut in tanto negotio iuris ordo servaretur, quem Decessores Nostri iam pridem constituerunt, primum universos S. R. E. Cardinales in Consistorio habendo xvin calendas décembres huius anni, sententiam eorum rogaturi, Nobis adesse iussimus, qui Beati Gerardi gestis a dilecto filio Odoardo Marchetti, Consistorialis aulae advocato, auditis, Nos ad causae huius legitimam definitionem sunt uno ore cohortati. Interea curavimus ut, datis a Sacra Concilii Congregatione litteris, non viciniores solummodo Episcopi, sed etiam remotissimi quique de tanta solemnitate commonerentur, et, si esset eis facultas, sententiam suam ipsi quoque dicturi, Nobis adessent. Eorum ex orbe universo non pauci ad urbem convenerunt, qui, causa plene cognita, et ex iis, quae in publico Consistorio acta fuerant, et ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum singulis exemplar tradi voluimus, in Consistorio semipublico coram Nobis nonis decembribus hoc anno coacto, in eamdem, quam Patres Cardinales, sententiam iverunt. Cuius rei publica instrumenta, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis relata sunt.

Huic vero solemni Canonizationi celebrandae praefiximus diem III idus décembres: et, ieiunio indicto, fideles sumus etiam atque etiam hortati, ut preces, iis praesertim in aedi-

bus ingeminarent, in quibus publica augustissimi Sacramenti indicta esset adoratio, ut et ipsi uberrimum fructum possent ex tanta solemnitate percipere, et Nobis, in illa absolvenda Spiritus Paraclitus adesset.

Cum ergo praesignata a Nobis dies advenerit, omnes quum saecularis tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi in Vaticanam Basilicam magnifice ornatam convenerunt, quibus solemni supplicatione praeeuntibus, et Nos ingressi sumus. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Octavio Pio Conti Consistorialis aulae advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum et universae Ligorianorum familiae, ut Beatum Gerardum Majella, una cum Beato Alexandro Sauli in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum ac tertio memoratus Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis aulae advocatus precibus institissent, Nos superno lumine iterum ferventiusqüe implorato, « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi et Nostra, matura deliberatione, et Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, Beatum Gerardum Majella, laicum professum Congregationis SS. Redemptoris, Sanctum esse, et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus ». Cui, eodem decreto, copulavimus B. Alexandrum Sauli, caritate in Deum hominesque, pastorali studio, reliquisque eximiis virtutibus insignem. Mandavimus etiam ut Sancti Gerardi Majella memoria die 16 Octobris in Martyrologium Romanum referretur; et christifidelibus, qui exuvias eius eo die fuerint venerati, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in

perpetuum concessimus. Gratias denique de tanto beneficio Deo Optimo Maximo cum egissemus, Sacrum solemne fecimus. Post Evangelium vero clerum ac populum homilia allocuti sumus, atque hortati, ut omnes non Apostolorum Principes modo, sed novensiles etiam Sanctos, fidei pieni et caritatis, sibi, Ecclesiae, hominum denique societati universae propitios mererentur. Plenariam tandem indulgentiam cunctis praesentibus peramanter impertiti sumus, atque Apostolicas hasce Litteras Decretales sub Plumbo expediri mandavimus.

En ergo, o christifideles, duo alii Sancti, e feracissimo Ecclesiae Dei gremio orti, colendi vobis atque imitandi proponuntur. Oh quam inter se dissimiles ! Unus nobili genere natus; alter infima conditione et fortuna: ille liberalibus artibus, ac sacris profanisque disciplinis eruditissimus ; hic, praeter rudimenta litterarum, doctus tantum manuum labore sibi victum comparare: illi Christi grex pascendus traditus; hic religiosis sodalibus famulus addictus, et ad eorum alimoniam per oppida ac domos rogitans stipem. Verum adeo inter se dispares coniunxit pene infinita erga Deum caritas, quarumcumque rerum humanarum despicientia, coelestium vehemens desiderium: ut perspicuum sit, omnium conditionum ac statuum homines ad se Deum appellare, omnes perfectos, omnes sanctos esse velle. Quare hunc quoque imitamini : qui non est conatus, ex humili conditione se extollere, nec divitias, potentiam, voluptates persecutus est: sed Deus deliciae eius, eum quaesivit, ei adhaesit, eum toto animo dilexit. Ecquis tandem inter homines eo sapientior ? Etenim ***divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non m-inuentur omni bono (Ps. XXXIII, io).*** Deus quippe ***dispersit superbos mente cordis sui : deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Luc. I, ji,*** *32).* Ipse, miris patratis prodigiis, etiam in hac mortali vita, coram hominibus humilem ac simplicem Servum suum extulit. Qui et intima animorum penetrabat, et futura praevidebat, et annonam multiplicaban liberabat in discrimine

positos, sanabat aegrotos, peccatores cum Deo reconciliabat. Quod si tam gratae Deo fuerunt S. Gerardi virtutes, vestigiis eius omnes ingrediantur, quotquot Christi sanguine regenerati sunt; fluxas quasque res aspernentur, ac Deum unum totis animi viribus diligant atque expetant.

Omnibus itaque, quae consideranda erant, bene perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus ; mandantes, ut praesentium litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo quarto, III idus décembres, Pontificatus Nostri anno II.

•f- EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

f Ego A. Episcopus Ostiem et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus.

f Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior Poenitentiarius.

f Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancellarius.

f Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.

f Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli.

f Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla,

f Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di Pietro.

f Ego Fr. H. M. Ord. Carmel, excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

f Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

f Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

f Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali Del Drago.

f Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.

f Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Samminiatelli.

f Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu,

f Ego P. tit. S. IV Coronatorum Presbyt. Card¿ Respighi,

f Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli,

f Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gennari,

f Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella,

f Ego B. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni.

f Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.

f Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.

f Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Macchi,

f Ego A. Soc. les. S, Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.

f Ego F* S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna,

f Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

f Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Delia Volpe.

f Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.

f Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. TripepL
f Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis„

A. Card. Di PIETRO, ***Pro-Dat.*** - A. Card. MACCHI

VISA

DE CURIA **I.** DE AGLUILA *e Vicecomitibus*

Loco Plumbi

Registi*, in Secret. Brevium

V. CUGNONIUS.

EPISTOLA

Pii PP. X vota nuncupantis pro concordi et utili conventu catholicorum Germaniae Essendiae cogendo.

DILECTO FILIO
FRANCISCO LAAERMAN DOCTORI
PRAESIDI COETUS CONVENTUI CATHOLICORUM GERMANIAE
ESSENDIENSI IN URBE APPARANDO
ESSENDIAM.

PIUS PP. x

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Legimus laeto cum animo quibus ipse et collegae tui cum voluntatum sensibus instatis congressui catholicorum Germaniae, Essendiensi in urbe, apparando. Et quoniam de rerum exitu coniicere fere licet e primordiis, spem minime levem e tua collegarumque fide et sollertia concipimus, futurum ut memorandis ceteris catholicorum Germaniae **con**gresssionibus, quum gravitate, dignitate numeroque sodalium, tum consiliorum efficacitate ac vi, iste etiam, qui proxime est habendus, Essendiensis conventus par exsistat. Filios e Germania Nostros ad eam scimus constantiam fortitudinemque fidei esse informatos, progrediens bonum debere per

eos religioni gigni non ambigimus. Progressionem enim indicant perpetuam celebrati per vos adhuc coetus, annos amplius quinquaginta; quo quidem satis longo tempore docuit Germania nationes, oportere catholicos non tam verbis, quam actione decertare, strenueque pro Ecclesia qui contendant, summa etiam comparare rei publicae bona. Itaque sive vestrorum recordatione patrum, sive ipsa cuiusque vestrum virtute, splendidam de vobis ac de cogendo coetu fovere expectationem iubemur, exemplumque idcirco debere a vobis in universas proficisci gentes confidimus, unde christiana fides, sicuti languescat in orbe aut iaceat, quod quidem dolentissime conspicimus, excitata reviviscat. Placet autem delectan* congressui sedem urbem Essendiam fuisse, quae nomen prae se fert duplici clarum incremento, id est vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Ea porro civitas, si tantum ad fluxas caducasque res valuit, quas tamen ominamur ei sine intervallo laetabiles, aeque certo multum 'ad animorum tuenda et amplificanda non caduca bona valebit, quod quidem propositum congressioni est. Quamobrem fervida pro concordi utilique conventus disceptatione vota nuncupamus," illudque conventuris edicimus, sic iis esse pro ubertate eventus enitendum, quasi novam Essendia gloriam ex eorum studio desideret. Auspicem caelestium gratiarum, Nostraeque benevolentiae pignus, tibi collegisque tuis, iisque universis, qui ad participandus congressus labores confluent, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Associatio precum Deiparae Perdolenti pro unione ecclesiarum dissidentium, in ecclesia S. Marcelli de Urbe erecta, privilegiis ac facultate alias aggregandi ditatur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dilectus filius Iosephus Angelucci, sacerdos Ordinis Servorum B. M. V. et parochus ad S. Marcelli de Urbe, retulit ad Nos in suo templo curiali piam Associationem precum ad Virginem Perdolentem canonice erectam nonnullis abhinc annis extare, ad finem provehendi unionem omnium ecclesiarum christianarum in orbe Ecclesiae Catholicae Romanae; eamque pluribus indulgentiis ac spiritualibus gratiis a Decessore Nostro Leone PP. XIII ven. me. fuisse auctam. Nunc autem cum idem sacerdos parochus enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut eidem Societati nova addere privilegia de Apostolica benignitate dignaremur: Nos ut tam frugifera Societas potiora capiat, Deo favente, incrementa, votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus dictam in Societatem collectis vel in posterum inscribendis, qui per solidum mensem quotidie precem piae Associationis propriam contrito saltem corde recitent, unoque mensis ipsius die ad cuiusque lubitum eligendo vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti propriam Societatis ecclesiam supradictam curialem visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam: praeterea cum

singulis annis ipsa in ecclesia S. Marcelli de Urbe Dominica in Albis ac tribus diebus continuis immediate praecedentibus, piae ad impetrandam coelestem opem haberi soleant supplicationes, sodalibus Consociationis ipsius nunc et in posterum pariter existentibus, qui hisce supplicibus precibus singulis tribus diebus intersint, et vel Dominica in Albis, vel uno e tribus dictis diebus ad cuiusque lubitum eligendo admissorum pariter confessione expiati ac coelestibus epulis refecti, ecclesiam ipsam, ut superius dictum est, orantes visitent, quo ex riinc die id agant, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Tandem iisdem Sociis quo die memoratis supplicationibus contrito saltem corde intersint, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas expungimus. Porro largimur Sodalibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vitae labes poenasque expiare. Praeterea cum sicut memoratus sacerdos parochus curavit exponendum Nobis, plures tum in Italiae cum in externis regionibus eiusdem nominis atque instituti Consociationes canonice erigantur, quarum Moderatores huic ad S. Marcelli de Urbe institutae aggregationem efflagitant; Nos de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut Moderator pro tempore existens piae Associationis precum Deiparae Perdolenti in ecclesia parochiali S. Marcelli de Urbe canonice erectae, Societates alias omnes canonice institutas, sive in posterum in universo terrarum orbe instituendas, tum eiusdem tituli, cum quae ad finem eundem intendant, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri ven. me. aliisque Apostolicis ordinibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi urbanae Societati a Nobis et a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite possit

ac valeat. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibita vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xi Iulii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. *J* S. Nicolaus Marini, ***Substitutus.***

Associatio "Sacerdotalis Eucharistici Foederis,, in archiassociationem primariam erigitur et privilegiis decoratur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes pias societates ad pietatis et charitatis opera exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus ut iis auctae uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet iure ac merito esse accensendam piam 'sacerdotum associationem, quae sub titulo ***Sacerdotalis Eucharistici Foederis*** in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii

canonice instituta existat (i), ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon procuratoris generalis Instituti Sacerdotum SSmi Sacramenti votis ultro libenterque annuentes associationem ipsam tam frugiferam, quae hisce potissimum tam gravibus temporibus, iuxta tenorem Decreti a Congr. Sacrae Triden-

(i) ***En decretum quo praefata sodalitas erecta fuit in Urbe:***

€ Piam sacerdotum sodalitatem quae inscribitur *Lega Sacerdotale Eucaristica,* cuius finis est fideles ad quotidianum vel frequentem usum SSmae Eucharistiae inducere, iuxta mentem Decreti S. C. Conc. die 20 Decembris 1905, quod incipit *Sacra Tridentina Synodus,* Nos auctoritate Nostra ordinaria rite et legitime in venerabili ecclesia S. Claudii de Urbe penes Congr. Presbyterorum SSmi Sacramenti erigimus et canonice erectam esse edicimus. Leges vero seu Constitutiones eiusdem sodalitatis, quinque articulis conscriptas, triennali experimento probandas esse declaramus.

« Datum Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 27. Iulii 1906 ».

L. ^ S. PETRUS RESPIGHI, ***Card. Vicarius.***

Franciscus Can. Faberi, ***Secretarius.***

Constitutiones autem eiusdem sodalitatis, quas recenset Emus Card. Vicarius, sunt sequentis tenoris:

« Caput I. — Societas sacerdotum titulo *Eucharistici Sacerdotalis Foederis* Romae ad S. Claudii instituta.

« Caput II. — Constans et assidua propagatio pii usus frequentis et quotidianae Communionis iuxta Decretum Sacrae Congregationis Tridentinae Synodi interpretationi propositae *De quotidiana SSmae Eucharistiae sumptione* die XX Decembris mensis, anno MDCCCCV editum, Foederi finis esto.

« Caput III. — Sacerdotes omnes, queis usum frequentis et quotidianam Communionis provehere in christianum populum consilium est, foedus ineant.

« Caput IV. :— Propositum Foederi finem ut nansciscantur sodales, precibus, verbo, ac typis editis scriptis pro viribus in frugiferi operis apostolatum intendant; nec praetermittant ad frequentem et quotidianam Synaxim, iteratis hortationibus excitare gentes, libros et opuscula ad hoc diribentes in vulgus.

« Caput V. — Sacerdotibus inscriptis, quo facilius proposita obtineant, brevis *Instructio* tradatur. Foederis fastorum index, etsi ephemeris, quae cura Patrum Congregationis SSmi Sacramenti, titulo *Annalium Sacerdotum adoratorum* diversis edita linguis, singulis mensibus prodit ».

Sacerdotes qui proprium nomen* Foederi Sacerdotali Eucharistico *dare cupiunt, litteras dirigant ad moderatorem generalem :* (via del Pozzetto, n. 160, Roma), *a quo* Instructionem *accipient pro propagatione pii usus Communionis quotidianae (N. R.).

tinae Synodi interpretationi praeposita, die xx Decembris mensis anno superiori editi exauspicato intendit ad Communionis frequentis et quotidianae usum inter fideles provehendum (i) singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Foedus adlectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegii personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus ; nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora Sacris operari, et similiter a prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim diribere (2), atque, iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virginis et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari ; et intra celebrationem triduanae supplicationis, iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem generalem, christiano adstanti populo, plenaria adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque praescriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quoties iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive charitatis opus adimpleant, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita iisdem adlectis in ipsum Foedus, nunc et in posterum sacerdotibus trecentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in Sacerdotali Eucharistico

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 38, pag.** 400.

(2) **Hoc autem haud absolute intelligendum videtur, sed quum iusta ac rationabilis causa habeatur ex parte fidelium Eucharistiam sumendum, nec periculum scandali adsit, prout explicant" doctores, inter quos S. Alphonsus** ***(lib. 6, n.*** *32),* **de Communione pomeridiana disserentes. Secus enim quis in hac concessione discrepantiam aliquam invenire posset cum decreto** ***Ordinis Fratrum Minorum*** **a S. C. Rituum edito die** 11 **Iunii** 1904 **ad III (Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 37, **pag.** 108), **quo S. Communionem ultra tempus Missae celebrationi concessum, ideoque usque ad occasum solis, distribui ordinarie vetatur** ***(N. R.).***

Foedere nunc et in posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam poenitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Praeterea Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum, associationem memoratam sub titulo ***Sacerdotalis Eucharistici Foederis*** in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in archiassoctationem, sive primariam cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalitii autem eiusdem moderatori et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe, canonice erectas sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri r. m. aliisque Apostolicis ordinationibus desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi archisodalitio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant Apostolica item Nostra auctoritate praesentium vi facultatem perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die x Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

L. ✠ S.

Pro Dno Card. MACCHI
Nicolaus Marini, ***Substitutus.***

EX SECRETARIA STATUS

Conventio inter S. Sedem et regnum Congi.

Le Saint-Siège apostolique, soucieux de favoriser la diffusion méthodique du catholicisme au Congo, et le gouvernement de l'Etat indépendant, appréciant la part considérable des missionnaires catholiques dans son œuvre civilisatrice de F Afrique centrale, se sont entendus entre eux et avec les représentants de missions catholiques du Congo en vue d'assurer davantage la réalisation de leurs intentions respectives.

A cet effet, les soussignés :

S. Exc. Mgr. Vico, archevêque de Philippes, nonce apostolique, grand'croix de l'ordre de la Conception de Villa Viçosa, commandeur avec plaque de l'ordre de Charles III, etc., dûment autorisé par Sa Sainteté le Pape Pie X, et

Le chevalier de Cuvelier, officier de l'ordre de Leopold, commandeur de l'ordre de Saint-Grégoire-le-Grand, etc., dûment autorisé par S. M. Leopold II, roi-souverain de l'Etat indépendant, sont convenus des dispositions suivantes :

i°. L'Etat du Congo concédera aux établissements de missions catholiques au Congo les terres nécessaires à leurs •œuvres religieuses dans les conditions suivantes:

2°, Chaque établissement de mission s'engage, dans la mesure de ses ressources, à créer une école **où** les indigènes recevront l'instruction. Le programme comportera notamment un enseignement agricole et d'agronomie forestière et un enseignement professionnel pratique des métiers manuels ;

3°. Le programme des études et des cours sera soumis au gouverneur général et les branches à enseigner seront fixées de commun accord. L'enseignement des langues nationales belges fera partie essentielle du programme;

4°. Il sera fait par chaque supérieur de mission, à des dates périodiques, rapport au gouverneur général sur l'organisation et le développement des écoles, le nombre des élèves, l'avancement des études, etc. Le gouverneur général, par lui-même ou un délégué qu'il désignera expressément, pourra s'assurer que les écoles répondent à toutes les conditions d'hygiène et de salubrité;

5°. La nomination de chaque supérieur de mission sera notifiée au gouverneur général;

6°. Les missionnaires s'engagent à remplir pour *Y* Etat, et moyennant indemnité, les travaux spéciaux d'ordre scientifique rentrant dans leur compétence personnelle, tels que reconnaissances ou études géographiques, ethnographiques, linguistiques, etc.;

7°. La superficie de terres à allouer à chaque mission, dont l'établissement sera décidé de commun accord, sera de ioo hectares cultivables; elle pourra être portée à 200 hectares en raison des nécessités et de l'importance de la mission. Ces terres ne pourront être aliénées et devront rester affectées à leur utilisation aux œuvres de la mission. Ces terres sont données à titre gratuit et en propriété perpétuelle; leur emplacement sera déterminé de commun accord entre le gouverneur général et le supérieur de la mission;

8°. Les missionnaires catholiques s'engagent, dans la mesure de leur personnel disponible, à assurer le ministère sacerdotal dans les centres où le nombre des fidèles rendrait leur présence opportune. En cas de résidence stable, les missionnaires recevront du gouvernement un traitement à convenir dans chaque cas particulier;

9°. Il est convenu que les deux parties contractantes recommanderont toujours à leurs subordonnés la nécessité de conserver la plus parfaite harmonie entre les missionnaires et les agents de l'Etat. Si des difficultés venaient à surgir, elles seront réglées à l'amiable entre les autorités locales re-

spectives, et si l'entente ne pouvait s'obtenir, les mêmes autorités locales en référeraient aux autorités supérieures.

En foi de quoi les soussignés ont signé la présente convention et y ont apposé leurs cachets.

Fait en double exemplaire à Bruxelles le 26 mai 1906.

Ch. **DE CUVELIER.**

VICO,
Archevêque de Philippe s. Nonce apostolique.

——< r > ^ e ^ . o >——

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

VIENNEN.

EXEMPTIONIS

Circa exemptionem monasteriorum a iurisdictione Ordinarii.

Factispecies. In dioecesi Viennensi extat antiqua canonia seu praepositura Claustroneoburgensis, quae fundata fuit anno 1113 a pio Leopoldo Austriae marchione, in qua residentiam habent Canonici Regulares. Quum autem dicti Religiosi decertent pro eiusdem monasterii exemptione a iurisdictione Ordinarii dioecesani, et e contra Episcopus Viennensis illam neget, Visitator Apostolicus ab hac S. C. postulat ut quaestio dirimatur.

Rationes pro exemptione. Imprimis observatur quod regulariter Ordines Religiosi, hinc et Canonici Regulares, privilegio exemptionis gaudent, quod proinde iuridice praesumi debet. Ita Passerini ***(De homin. stat., vol.*** *3,* ***quaest*** *189,*

art.* io, *n.* jii)** docet: « Privilegium generale, per quod Regulares sunt exempti a iurisdictione ordinaria Praelatorum ordinariorum, cum sit expressum in corpore iuris, et tam facto quam iure notorium et manifestum, non est exhibendum ». Et Barbosa ***(Ius eccles, univ., part. *2,* ***cap.*** *12,* ***n.*** *22)* haec habet: « Ex privilegiis specialibus Summorum Pontificum omnia fere Regularium monasteria sunt ab Ordinariorum potestate exempta, sive privilegia directe, sive indirecte per communicationem, talem largiantur exemptionem, et consequenter monasteria his temporibus habent iurisdictionem pleno iure quasi episcopalem ». Quoad Canonicos vero Regulares idem Barbosa ***(loc. cit., n.*** *23)* addit: « Canonici Regulares praesupponuntur a Dioecesano cum imperio soluti in i, 2, 3 et 4 privilegiis Paschalis II dicto Ordini concessis ». Eadem tradit Tamburini ***(De iure Abbatum, vol.*** *3,* ***disp.*** *3,* ***quaest. Ii, n.*** *15).*

Iamvero circa monasterium Ciaustroneoburgense Innocentius II Bulla diei 30 Martii 1134 ita scribit ad eiusdem fundatorem : « Beati Augustini ecclesiam ***(nempe Claustroneoburgensem)*** a nobilitate tua B. Petro oblatam sub defensione Nostra suscipientes, eam Apostolici privilegii robore communivimus». Et idem Pontifex in alia Bulla 30 Nov. 1137 de praefata ecclesia habet : « Ecclesiam S. Dei Genitricis Mariae B. Petro oblatam... sub eiusdem Apostolorum Principis tutelam protectionemque suscipimus, et Apostolicae Sedis privilegio communimus » ; dein addit : « Ad indicium autem perceptae huius a Romana Ecclesia libertatis, unum bizantium Nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvens ».

Qui omnes dicendi modi significare videntur exemptionem a potestate Ordinarii. Ita Schmalzgrueber ***(Ius canon., vol.*** *3,* ***part.*** *2,* ***tit.*** *33* ***De privil., n.*** *268* ***et*** *269)* enumerat formulas, quibus Pontifices uti solent ad exemptionem decernendam: « i°. Si in eiusmodi rescripto dicatur ecclesia ali-

qua vel monasterium existere iuris B. Petri, vel ad proprietatem Romanae Ecclesiae, ad Sedem Apostolicam, aut Ecclesiam Romanam specialiter, vel nullo mediante, aut etiam simpliciter pertinere... 2°. Si dicatur in privilegio quod ecclesia talis Ecclesiae Romanae annuum censum solvat in signum et indicium libertatis ab. ea perceptae ; nam libertas et exemptio idem sonant». Concinunt Barbosa ***(De off. et potest. Episc., part.** 3, **all. I2ß, n.** 21);* Passerini ***(De homin. stat., tom.** 3, **quaest.** 18**p, art. io, n.** 693);* Tamburini ***(De iure Abbatum, disp.** 13, **quaest. J, tom. i);*** Donatus ***(Rerum Regul. praxis, tom. i, tract, ij, n. j et** 6);* Pirhing ***(Ius canon., tom.** 3, **tit,** 27**, assert, i),*** etc.

Alii quoque Pontifices ecclesiae Claustroneoburgensi plura concesserunt privilegia, quae exemptionem continere videntur. Ita Eugenius II Bulla 27 Dec. 1146 dictis Religiosis « sepulturam liberam concedit, et sententiam Praepositi in parochianos suos . . . ratam habet; . . . . Praeposito potestatem coercitivam in contumaces ***(Religiosos)*** concedit». Item Urbanus III Bulla diei 26 Maii 1187 monasterii immunitatem ad ipsos Religiosos extendit, etc. Caeteris omissis, plures Pontifices, inter quos Pius V Bulla diei 16 Dec. 1587 exemptionem concessit Ordini Canonicorum Regularium Lateranensium ; atqui horum Generalis Abbas proprio Ordini aggregavit monasterium Claustroneoburgense, eidem extendendo omnes facultates ac privilegia Ordinis ipsius.

Rationes contra exemptionem. Ex altera vero parte animadverti potest quod exemptio natura sua non praesumitur, cum de iure communi monasteria et praeposituræ, quae intra ambitum dioecesis continentur, iurisdictioni Ordinarii subiiciantur, sed probari debet vel per privilegium a Sancta Sede obtentum, vel per legitimam praescriptionem. Iamvero adductae Bullae Romanorum Pontificum privilegium exemptionis minime ostendunt. Nam verba « sub Apostolorum Principis tutelam et protectionem », exemptionem non

importare videntur, uti colligitur ex Innocentio III ***(cap. ex parte** 18, **De privilegiis)*** : « Ex parte tua fuit quaesitum utrum clerici et laici qui literas protectionis ostendunt, in quibus personae suae expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, a iurisdictione Episcopi dioecesani sint exempti. Nos autem tibi respondemus quod per litteras huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur » .

Ita etiam verba « annuus census ad indicium perceptae huius a Romana Ecclesia libertatis », exemptionem non arguunt, quia, ut habet Alexander III ***.(cap.*** Recepimus, ***De privilegiis)*** « sicut non omnes qui specialiter Beati Petri iuris existunt, annuatim Apostolicae Sedi censum exsolvunt, ita non omnes censuales ab Episcoporum subiectione habentur immunes». Sola igitur census impositio etiam ***ad indicium perceptae libertatis*** non sufficit ad exemptionem arguendam, sed requiritur praeterea quod ex Bulla dignoscatur in casu agi de libertate totali, non autem particulari. Et Bonifacius VIII ***(cap.*** Si Papa, ***De privil.)*** nedum formulas recenset quibus exemptio totalis concedi solet, sed etiam modum quo ipsa exprimí debet, nempe non ***enunciative*** sed ***dispositive.*** Ait enim : « Si Papa in aliquo privilegio vel scriptura non facta principaliter super donatione vel sententia exemptionis, aliquam ecclesiam ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere, vel consimilia verba narret, non propterea illius ecclesiae exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur. Si autem ecclesiae vel monasterio exemptionis privilegio concedendo vel super ipsius exemptione sententiando (cum de ipsius exemptionis negotio ageretur) asserat ipsam ecclesiam fore exemptam, aut etiam iuris B. Petri, sive ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae, aut sine medio, vel etiam simpliciter pertinere : per hoc plene debet exempta huiusmodi ecclesia iudicari ».

Neque pro exemptione adduci valent subsequentes Pon-

tificum Bullae, quum ipsae nihil novi indulgeant sed privilegia iam concessa confirment. Demum favore exemptionis utiliter invocari nequit praescriptio quadragenaria, sed requiritur omnino immemorialis, ut ostendit Benedictus XIV in Const. ***Apostolicae servitutis*** diei 14 Martii 1743. In themate vero constat Episcopos statuta et ordinationes canoniae Claustroneoburgensis approbasse et confirmasse, eamque propria auctoritate canonice visitasse; atque ipsum Praepositum a. 1854 propriam subiectionem Ordinariis dioecesanis professum fuisse.

Aggregatio demum dictae praepositurae ab Abbate Generali Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium facta, communicare non poterat exemptionem, quae dumtaxat a Pontifice tribuitur.

Dubium. ***An canonia vel praepositura Claustroneoburgensis Canonicorum Regularium in Austria, dioecesis Viennensis, uti exempta habenda sit ab Ordinarii iurisdictione in casu f***

Resolutio. Emi Patres S. C. EE. et RR., re sedulo perpensa, die i Decembris 1905 hoc responsum dederunt:

Ex hactenus deductis non satis constare de exemptione.

Colliges. i°. De iure communi monasteria Regularium, nisi probentur exempta, censentur Episcopo subiecta, in cuius territorio inveniuntur.

2°. Hoc tamen exemptionis privilegium, ex peculiaribus Romanorum Pontificum concessionibus vel etiam ex immemorabili consuetudine, fere omnibus Regularium domibus praesumitur hodie competere.

3°. Formulae vero, quae in Bullis Apostolicis plerumque habentur, accipiendi nempe ***sub tutela et protectione Apostolica,*** aut imponendi ***annuum censum ad indicium libertatis,*** per se non demonstrant concessionem perfectae exemptionis.

4°. Non enim sufficit ut privilegium exemptionis ***enuntiatae*** in Bulla exponatur, sed requiritur praeterea ut exhibeatur

dispositive, videlicet ut vel expressis verbis concedatur, vel iudiciali sententia declaretur.

5°. E contra in factispecie, quamvis plura recenseantur privilegia a Summis Pontificibus canoniae Claustroneoburgensi concessa, privilegium tamen plenae exemptionis a potestate Ordinarii, probatum non apparet.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

HIERACEN.

NOMINATIONIS AD CANONICATUM

Circa resignationem et provisionem beneficii ad canonicatus dignitatem evecti.

Factispecies. Capitulum cathedralis Hieracensis olim 24. hodie vero, ob eversivas Italiae leges, 12 tantum canonicis constat. Praeterea saltem ab a. 1593 adcensetur etiam sacrista maior, qui aliud obtinet beneficium, ultimum post canonicos stallum occupat in choro, ac praecedentiam in processionibus tenet super coeterum clerum. Die autem 2 Iulii 1904 sacerdos Simeon Ricupero renuntiavit officio sacristae maioris, quod inde ab a. 1856 sibi concreditum habuit.

Interea Episcopus Hieracensis, hoc sacristae beneficium ad canonicatus dignitatem elevare cupiens, capituli votum exquisivit, quod et favorabile obtinuit in comitiis capitularibus modo ordinario convocatis die 24 Iulii 1904, quibus omnes canonici praeter duos interfuerunt, quorum unus personaliter invitatus non fuit, alter vero, utpote senex, interfuit per procuratorem. Tunc Episcopus die io Augusti beneficium sacristae in canonicatum erexit, et die 20 eiusdem mensis subdiaconum Paschalem Caserta, nepotem renuntiatarii, nominavit sacristam et canonicum supernumerarium cum omnibus

iuribus et honoribus subsequentibus. Quin imo idem Caserta etiam corporalem beneficii institutionem est adeptus.

Contra vero huiusmodi Episcopi agendi rationem ad hanc S. C. recursum habuerunt die 13 Dec. 1905 duo praefati canonici, qui coetui capitulari non interfuerunt.

Disceptatio Synoptica. Factam nominationem irritandam esse haec suadere videntur. Re sane vera quum sacrista maior in cathedrali Hieracensi constituat verum et proprium beneficium ecclesiasticum, uti patet praesertim ex Bullis ipsius collationis; iam sequitur prae primis quod renunciatio sacerdotis Ricupero sustineri non possit. Inter alia enim, quae ad validitatem renunciationis alicuius beneficii requiruntur ex Constit. ***Quanta Ecclesiae*** Pii V et ***Humano vix iudicio*** Gregorii XIII haec habentur: ***d)*** quod resignans beneficium, habeat unde honeste vivere possit; ***b)*** quod resignatio a superiore acceptata, publicetur intra terminos statutos, et modo etiam statuto ad notitiam interesse habentium perveniat.

Iamvero in casu sacerdos Ricupero, in extrema senectute constitutus, illud tantum beneficium possidebat, ex eoque maxima ex parte honestam trahebat substentationem. Item haec renunciatio publicata non fuit saltem modo et forma ex lege consuetudinaria in cathedrali Hieracensi inducta, vel etiam modo a Constit. Gregoriana sub nullitatis poena statuto... Capitulum ipsum nihil de hac occulta resignatione cognovit.

Nec praeterea valida dici potest convocatio capituli eiusque subsecuta decisio. Sequentia enim in iure statuta sunt, videlicet: ***d)*** quod convocatio comitiorum capitularium extraordinariorum fieri debet, personaliter vocando omnes capitulares residentes, et si agatur de gravioribus negotiis, vocari debent etiam absentes, si commode fieri possit: secus facta convocatio nulla est, eo vel magis, si omissio facta fuerit cum dolo et ad finem particularem (Bohemer, ***Decret, lib. ß, tit.*** *2,* ***§ p);*** ***b)*** quod quamvis qui convocat capitulum, non teneatur dicere materiam capituli, attamen in exi-

gendo procurationis mandato requiritur ut non deficiat bona fides, et non adsit dolus, vel etiam tacita deceptio; ***c)*** quod, quando agitur de alienationibus, procuratio non sufficit in forma generica, sed requiritur speciale mandatum.

In casu autem defuit personalis vocatio unius canonici dum commode fieri poterat; defuit bona fides in exigenda procuratione ab altero canonico ; defuit eiusdem speciale mandatum, dum requirebatur, cum ageretur de alienanda tertia parte conciliari per admissionem novi canonici ad participationem distributionum. Nam quum agitur de alienatione bonorum vel iurium personalium, uti in themate, a iure requiritur absoluta totalitas votorum, nec maior pars sufficit iuxta iuris regulam 26 in VI: ***quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,*** et tradit Fagnanus ***{cap.*** Quum in cunctis).

Hinc etiam sequitur quod sustineri non possit nominatio ab Episcopo facta, eo vel magis quod certiores reddere debuisset canonicos sive de renunciatione sacerdotis Ricupero, sive de electione sacerdotis Caserta iuxta id quod statuitur in ***cap.*** *4,* ***tit.*** *7,* ***lib.*** *3* ; hoc proinde praetermisso, Episcopus ad tramitem Constit. Gregorii XIII iure nominandi caruisse videtur. Neque Episcopus poterat nominare nepotem renunciatario Ecclesia enim semper abhorruit ab hoc, ne beneficia ecclesiastica haereditaria apparerent, uti eruitur ex ***cap.*** *7,* ***iii.*** *17,* ***lib. i ;*** et ex ***cap.*** *7* Conc. Tridentini ***sess. 2j de Reform.;*** necnon ex Constit. Pii V ***Quanta Ecclesiae.***

Neque demum videtur quod Sacerdos Caserta aliquod ius nancisci valeat ex possessione beneficii, quum huiusmodi actus et consequens continuatio possessionis non det in casu ius praescriptionis. Etenim non habetur possessio iusta, quae nempe non fit ***vi, clam, precario*** ; quia quamvis ultimus actus fuerit publicus, tota tamen machinatio clam effecta est, et mediis haud legitimis. Etiam malam fidem ex pluribus conficitur adesse. Haec insuper possessio non potest vocari pacifica, quum ipse Caserta numquam interfuit comitiis capi-

tularibus, eo quod iugiter canonici eum arcuerunt; numquam percepit tertiam partem conciliarem, ad quam Bulla nominationis eidem ius concedebat.

— Ex adverso in favorem nominationis sacerdotis Caserta iri canonicum, observari potest quod ad Episcopum spectat exclusive ius conferendi beneficia in propria dioecesi, uti ex tuto principio iuris. Proinde nominatio ab Episcopo facta, etsi obtenta per media apparenter minus laudabilia, uti praetendit pars adversa, semper sustineri debet. Eo vel magis quod citatus textus ***cap.*** *4,* ***tit. j, lib. ß*** de capituli consensu, respicit non cathedrales vel collegiatas proprie dictas sed tantum ecclesias receptitias, quod non verificatur in casu.

Quod si Episcopus non publicavit forma debita renunciationem sacerdotis Ricupero, hoc tribuendum est particularibus circumstantiis illius dioecesis, quae tales erant, ut publicatio in illa forma facta, plures discordias suscitare potuisset. Qua data circumstantia gravissima, sufficiens censeri debet ad legalitatem actus, publicatio facta ad valvas Curiae. Neque electio nepotis et eius nominatio ad beneficium patrui in themate videtur opponi sacris canonibus, cum ibi agatur potius de filiis, quam de consanguineis presbyterorum, et cum saepissime in parvis civitatibus necessarium sit conferre beneficia consanguineis presbyterorum, ob parvum numerum sacerdotum ibi degentium.

Praeterea Episcopo denegandum non videtur ius elevandi officium vel beneficium ad canonicatum. Idque eo vel magis verificatur in casu, quod sacrista maior partem veluti integralem capituli constituebat, quum ipse munere punctatoris fungerei et stallum in choro haberet. Quinimo quum capitulum Hieracense iure constet 24 canonicis, et nonnisi ob leges eversivas ad 12 redactum fuerit, nil prohibet quominus Episcopus alios 12 canonicos titulares nominet.

Quin aliquid obstet, quod factae erectioni non omnes capitulares consenserint, et quod cessio tertiae partis conci-

liaris tantum locum habuerit favore sacristae resignatarii Ricupero. Etenim regula iuris 26 in VI, ***quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet,*** tunc admittitur quando agitur de bonis, quae competunt ***pluribus uti singulis***; ideoque nihil concedi potest ***nisi omnes et singuli consentiant,*** quia agitur de re particulari, non communi. At in casu de tertia parte capitulari, sermo est de bonis quae sunt communia ***pluribus uti universis;*** hinc locum habet norma: ***in capitulo praevalet quod a maiori et saniori parte capituli decernitur.*** Neque demum facessit altera obiectionis pars; quum omnes capitulares intenderint cessionem facere favore sacristae maioris ***pro tempore,*** imo et fere omnes noverint de nova electione peragenda in persona sacerdotis Caserta.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii, re sedulo perpensa, die 30 Iunii 1906 sequens dederunt responsum:

Praevia sanatione ad cautelam ob non servatam regulam decreti Ad dirimendas, ***collationem factam favore sacerdotis Caserta sustineri.***

Colliges. 1°., Formae extraordinariae a sacris canonibus praescriptae necessario requiruntur si agatur de novo canonicatu erigendo, minime vero si res sit de beneficio vel officio ad canonicatum statutarium aut civiliter tantum suppressum elevando.

2°. Tunc enim in Italia vi decreti ***Ad dirimendas*** diei 22 Februarii 1876 (1) sufficit beneplacitum Apostolicum, quod in themate suppletur per sanationem ***ad cautelam,*** quum neque illud ad validitatem actus requiri videatur.

3°. Insuper Ecclesia in beneficiis ecclesiasticis semper vetuit ea, quae haereditariae successionis imaginem praeseferant, imo contra temere hoc attentantes decrevit nullitatem ipsius collationis; at in casu simpliciter constat de libera canonici electione ab Episcopo peracta.

(1) Huius decreti nonnisi altera pars edita fuit, quae prostat in *Actis S. Sedis,* vol. 36, pag. 684 *(N. R.).*

4°. Ad Capitulum extraordinarium vocandi sunt omnes canonici praesentes in loco, et, si commode fieri possit, etiam absentes; quamvis autem convocationis modus non inveniatur a iure statutus, tamen haec ita fieri debet ut ad cuiuslibet notitiam perveniat.

5°. Iamvero in casu convocatio, modo ordinario facta, censenda est sufficiens; nec ad cessionem tertiae partis capitularis faciendam requiritur consensus omnium capitularium, quia. agitur de re canonicos collegialiter attingente.

BERGOMEN.

IURISDICTIONIS PAROECIALIS

De iurisdictione parochi super ecclesiis intra fines suae paroeciae existentibus.

Expositio facti. In dioecesi Bergomensi duae adsunt conterminae paroeciae, quarum uni inest nomen ***Almenno S. Bartolomeo,*** et alteri nomen ***A Imenno SS. Salvatoris*** ; harumque fines signat torrens interfluens. Nonnulla vero praedia, ad dotem paroeciae SSmi Salvatoris pertinentia, in quibus habetur ecclesia S. Thomae, trans torrentem iacent, in territorio nempe S. Bartholomaei. Quae praedia una simul cum dicto Oratorio S. Thomae antiquitus ad quandam monialium communitatem spectabant, qua dein extincta, transierunt ad efformandam dotem paroecialis beneficii SS. Salvatoris. Ipsa insuper ecclesia S; Thomae sive ob veteris basilicae formam sive ob picturas affabre muro pietas, magni momenti dicitur a peritis in arte.

Attamen inter duos parochos SSmi Salvatoris et S. Bartholomaei iam ab antiquis temporibus lites efTerbuere, quibus etiam populus utriusque paroeciae partem sumere consuevit, circa usum et exercitium sacrarum functionum in praefato Oratorio. Haec quaestio ultimis temporibus paulisper con-

quiescere visa est, eo quia parochi S. Bartholomaei, ad consulendum spiritualibus necessitatibus incolentium prope cappellani S. Thomae, usi sunt alia viciniori ecclesia ad privatam familiam spectante; sed, hac indecente ac ruinosa effecta, iterum confugerunt ad Oratorium S. Thomae. Quaestio proinde renovata fuit, et Curia dioecesana per dispositionem provisoriam cavit, ut parochus S. Bartholomaei uteretur Oratorio S. Thomae pro explendis officiis parochialibus aliisque functionibus circumstantis populi, quoadusque controversia a superiori auctoritate esset resoluta.

In praesens igitur quaeritur cuinam ex duobus praedictis parochis sit tribuenda iurisdictio super dicta ecclesia S. Thomae.

Hodiernus autem Episcopus, animi sui sensum pandens, refert partes contendentes in hoc convenire quod Oratorium S. Thomae ad beneficium paroeciale SS. Salvatoris pertineat; certum item esse eodem Oratorio pro circumstantibus incolis indigere parochum S. Bartholomaei, qui consequenter teneretur ad solvendas expensas pro cultu et usu ipsius Oratorii ; conveniens praeterea esse quod, si ex Oratorii usu exoriantur damna, ad ea reparanda concurrat etiam fabriceria ecclesiae S. Bartholomaei, quod tum ipsa fabriceria tum municipium Almenni S. Bartholomaei acceptant. Concludit proinde quaestionem, iuxta ipsum, resolvendam esse favore parochi S. Bartholomaei, salvo iure determinandi modum, quo in toto vel in parte ante civilem auctoritatem oeconomica praesertim responsabilitas parochi SS. Salvatoris minuatur.

Allegationes parochi S. Bartholomaei. Hic primum argumentum deducit ex facto quod Oratorium S. Thomae intra fines suae paroeciae continetur. Iam vero pervulgati iuris est omnes ecclesias intra territorium alicuius paroeciae existentes, praesumi spectare ad istius- paroeciae titularem, eiusque iurisdictioni subiici, quoadusque contrarium non probetur, uti constat ex decreto Gratiani ***(can. i, caus. iß, quaest, i):*** «Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus : paroecias et eoe-

metería eis divisimus et unicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius paroeciae terminos aut ius invadat, sed ut unusquisque sit suis terminis contentus et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat ». Huic doctrinae consonum est ***cap. fin. de Constit, in 6°,*** et id quod tradit haec S. C. in ***Apuana-Iuris dictionis paroecialis,*** die 19 Ian. 1883, § ***Decretoria.*** Quae iuris intentio vel praesumptio onus. probandi in adversam partem transfert, ut auctores tradunt cum Santi ***(Prael. can., tit. De praesumpt.).***

Praeterea subiectionem Oratorii S. Thomae paroeciae S. Bartholomaei desumi ait ex elencho officiali ecclesiarum sub an. 1667-68 peracta a cancellario episcopali Bergomensi, ubi idem Oratorium describitur inter ecclesias subsidiarias paroeciae S. Bartholomaei. Nec minorem lucem in themate suffundunt acta S. Visitationis, ex quorum examine resultat relationem super praefato Oratorio fuisse peractam a parochis S. Bartholomaei, eidemque data fuisse decreta emissa in S. Visitatione , et insuper dictum Oratorium fuisse spectatum uti succursale ecclesiae S. Bartholomaei. Age vero, quod acta S. Visitationis vim habeant probativam super concernentibus statum ecclesiarum, nedum evincitur ex eo, quod Ordinarius praesumitur bene informatus de negotiis suae dioecesis, sed etiam traditur a Card. De Luca ***(Disc, jy, de iurepatr., n. if).***

Aliud factum, quo innititur parochus S. Bartholomaei, est antiqua et immemorabilis possessio qua sui antecessores fruiti sunt relative ad nunc contestatam iurisdictionem super memorato Oratorio. Re sane vera usque ad an. 1709 nulla umquam super hoc exorta erat controversia, tunc primum pa^ rochus SSmi Salvatoris iurisdictionale ius in Oratorium sibi tribuere coepit; at eius assertio reiecta fuit a parocho S. Bartholomaei, invocata in sui praesidium immemoriali possessione. Anno 1855 eadem quaestio iterum orta est, sed parochus S. Bartholomaei parochum SSmi Salvatoris repulit, ratione praecipue innixus immemorabilis possessionis. -Neque

possessio haec fuit arbitraria, quum ipsa originem ducat ex facto quod, inspecta nimia distantia incolarum illius fractionis a propria ecclesia paroeciali, pro his omnino necessarium evadit, ut in praefato Oratorio Missam diebus festis audiant, et inibi accedant ad sacramenta suscipienda. Quae necessitas recognita fuit a Curia Bergomensi, eamdemque admisit ipsa civilis auctoritas.

Nec ex adverso, ait ipse, obiici valet quod parochus SSmi Salvatoris, sicuti ab immemorabili est in possessione bonorum beneficii, ita dici debet in possessione Oratorii S. Thomae super ipsis bonis existentis, indeque ipsi et non aliis super dicto Oratorio iurisdictionem competere. Haec enim proprietas vel possessio non secumfert iurisdictionem, quae longe alia res est ; secus enim etiam laici possidentes Oratoria publica, dici deberent habere in ipsis ecclesiasticam iurisdictionem. Neque item opponi potest quod parocho SSmi Salvatoris saltem recognoscendum foret iuspatronatus, cum onus Oratorium manutenendi eidem incumbat : nam titulus iuridicus ad patronatum vindicandum non est beneficii vel ecclesiae manutentio, sed eius dotatio vel fundatio quos titulos idem parochus numquam proferre valet, cum bona beneficii cum extante Oratorio sibi adiudicata fuerint per extinctionem suppressae communitatis monialium.

Allegationes parochi SS. Salvatoris. Ex adverso ipse adnotat in primis se in pacifica Oratorii possessione reperiri plus quam a 30 annis. Ex quatuor Praepositis, qui per id temporis paroeciam S. Bartholomaei successive obtinuerunt, nullus ausus fuit parare sibi legale impedimentum in exercitio sacrarum functionum in dicto Oratorio, aut controversam super ipso asserere iurisdictionem.

Praeterea parochus SSmi Salvatoris suum ius probari dicit etiam documentis. Sane si ad examen revocentur omnia instrumenta quibus parochi SSmi Salvatoris paroeciae investituram consecuti sunt, comperitur eamdem fuisse adhibitam

formam pro traditione ecclesiae paroecialis et pro traditione Oratorii S. Thomae. Age vero, si investitura in utramque ecclesiam pariformiter fit, eadem iurisdictio, consequens est ut competat.

Sed documentum princeps, iuxta eumdem parochum, in themate est publicum instrumentum diei 14 Maii 1729. Inibi referuntur confinia trium fundorum una cum adnexa et superextanti ecclesia S. Thomae, efformantium dotem parochialis beneficii SS. Salvatoris; hique fundi una cum dicta ecclesia parocho assignati declarantur, accedente consensu syndicorum ecclesiae S. Bartholomaei.

Deinde parochus in sui favorem invocat inscriptionem lapideam, ex qua apparet inter ecclesias filiales paroeciae SS. Salvatoris etiam recenseri controversum Oratorium S. Thomae, et duos alios memorat literatos lapides, referentes ecclesiam S. Thomae vetustate fere collabentem et fulguris ictu deformatam, a duobus Praepositis SSmi Salvatoris an. 1704 et 1752 fuisse instauratam.

Quin ex adverso oggerantur antiqua acta S. Visitationis, quum ipsa ad summum constituerent indicium adminiculativum, sed veram et absolutam probationem efficere nequeunt. Et alia quoque facta adducit ad confirmanda iura sua super praefato Oratorio.

Demum contendit Oratorium a sua dependentia et iurisdictione eximi non posse, utpote nuper declaratum nationale monumentum, cuius officialis custos et vigil parochus SSmi Salvatoris est designatus. Narrat deinde tractatus qui intercesserunt super hanc rem inter Gubernium et suum praedecessorem.

Resolutio. Emi Patres S. Congr. Concilii, omnibus mature perpensis, die 15 Septembris 1906 responderunt:

Ad mentem, iuxta votum Episcopi.

Colliges. 1°. Ecclesiae, quamvis a privatis personis pos-

sideantur, hoc ipso quod cultui divino inserviunt, Deo dicantur atque ecclesiasticae auctoritati subiiciuntur.

2°. Quin imo ecclesiae omnes, intra alicuius paroeciae territorium existentes, eiusdem parochi iurisdictioni subesse censentur, nisi probetur contrarium.

3°. Ius enim canonicum restaurantibus vel dotantibus vel ipsis fundantibus ecclesias, nonnisi iuspatronatum concedere solet, quod praecipue in iure titularem eligendi consistit.

4°. Insuper in materia iurisdictionali consuetudo legitime praescripta ac praesertim animarum bonum maximam habent vim determinandi iura parochialia.

5°. In themate demum Oratorium S. Thomae, nedum intra fines paroeciae S. Bartholomaei invenitur, sed adhibitum etiam fuit uti subsidiarium eiusdem paroeciae ad sacras functiones explendas in favorem circumstantium incolarum, quibus hodie omnino necessarium esse constat.

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Confraternitates SS. Rosarii in urbe Quebecensi conservantur* non obstante domus fundatione FF. Praedicatorum.

Beatissime Paier,

Vicarius Provincialis Fratrum Ordinis Praedicatorum in regione Canadensi degentium, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod sequitur :

Assentiente Rmo Archiepiscopo Quebecensi, Fratres Praedicatores in ipsa urbe Quebecensi recenter advenerunt, ecclesiam et conventum ibidem fundaturi. Variae ergo SS. Rosarii confraternitates, quae iam in tribus ecclesiis eiusdem urbis, nempe B. V. Mariae, SS. Salvatoris et S. Rochi, legitime erectae fuerant, ad ipsam Fr. Praedicatorum ecclesiam, ipso facto redire deberent, ut cautum fuit in earumdem confraternitatum erectione. Cum tamen huiusmodi confraternita-

tum translatio absque notabili fidelium pietatis detrimento fieri non valeat, praedictus superior, ad ipsiusmet Rmi Ordinarii petitionem, humiliter a S. V. necessariam implorat dispensationem, vi cuius, non obstante erectione confraternitatis SSmi Rosarii in ecclesia Fratrum Praedicatorum, tres supradictae eiusdem nominis confraternitates in eadem civitate Quebecensi existentes, in suo robore legitime existere et conservari valeant.

Et Deus, etc.

SSmus D. N. Pius PP. X, in audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. «J*. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

SUMMARIUM

Indulgentiarum, privilegiorum ac indultorum sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. P. Dominici concessorum.

I. — INDULGENTIAE PLENARIAE

A) — Tertiariis ex utroque sexu confessis et S. Communione refectis:

1. Die ingressus in Tertium Ordinem, quo eiusdem habitus recipitur.

2. Die professionis.

3. Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.

4. Semel in mense die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per quartam horae partem, vel per mediam horam orationi mentali vacaverint.

5. Quo die, canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam vel primae Missae alicuius sodalis astiterint confessi ac S. Communione refecti.

B) — Iisdem Tertiariis si confessi et sacra Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint :

1. Nativitatis D. N. I. C.
2. Paschatis Resurrectionis.
3. Pentecostes.
4. SSmi Corporis Christi.
5. Immaculatae Conceptionis.
6. Annuntiationis.
7. Assumptionis.
8. SSmi Rosarii.
9. S. P. Dominici.
10. S. Catharinae Senensis.

C) — Iisdem Tertiariis si confessi ac S. Communione refecti ecclesiam Ordinis aut Sodalitii devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint diebus festis sequentibus :

1. Nativitatis D. N. I. C.
2. Circumcisionis.
3. Epiphaniae.
4. Paschatis.
5. Adscensionis.
6. Pentecostes.
7. SSmi Corporis Christi.
8. SSmi Cordis Iesu.
9. Purificationis B. M. V.
10. Annuntiationis.
11. Visitationis.
12. Assumptionis.
13. Nativitatis.

14. SSmi Rosarii.
15. Patrocinii B. M. V.
16. Praesentationis.
17. Immaculatae Conceptionis.
18. S. Raymundi de Pennafort C.
19. Translationis S. Thomae Aquin.
20. S. Catharinae de Ricciis V.
21. Translationis S. Catharinae Senensis.
22. S. Thomae Aquinatis Doct. C.
23. S. Ioseph Sponsi B. M. V.
24. S. Vincentii Ferreri C.
25. S. Agnetis de Monte Politiano V.
26. S. Petri Mart. O. P.
27. S. Catharinae Senensis V.
28. S. Pii V Papae et C.
29. S. Antonini C.
30. Translationis S. P. Dominici.
31. S. Ioannis O. P. et Sociorum MM. Gorgom.
32. S. Mariae Magd. Protect. O. P.
33. S. P. Dominici.
34. S. Hyacinthi C.
35. S. Rosae Limanae V.
36. Commem. S. P. Dominici in Suriano.
37. S. P. Francisci Assis.
38. S. Ludovici Bertrandi C.
39. Omnium Sanctorum O. P.
40. S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. P.

4.1. Iis qui quatuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis, uno scilicet pro animabus Fratrum, Sororum, ac Tertiariorum ipsius Ord. (die 10 Novembr.), altero pro animabus suorum consanguineorum et affinium (die 4 Febr.), tertio pro familiarum et benefactorum suorum animabus (die **5** Sept.), quarto pro sepultis in eorum ecclesiis et coemeteriis (die 12 Iul.), devote interfuerint ac

confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint.

D) — Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi vel saltem contriti SS. Iesu nomen ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

II. — INDULGENTIAE PARTIALES

A)* — *Septem annorum et totidem quadragenarum:

1. Tertiariis qui saltem corde contrito diebus in praecedenti capite /. ***C.*** enumeratis ecclesiam Ordinis aut Sodalitii visitaverint ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

2. Qualibet vice per mediam horam orationis mentalis exercitio devote vacaverint.

E)* — *Trecentorum dierum :

Quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis, corde saltem contrito, exercuerint.

III. — INDULGENTIAE STATIONALES

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii si ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta vel ea deficiente propriam ecclesiam parochialem visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur quos lucrarentur si ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV. — INDULGENTIAE PRO RECITATIONE NONNULLARUM PRECUM

I. Pro Responsorio : ***O spem miram :***

Tertiarii quoties Responsorium : ***O spem miram*** in honorem S. Dominici recitaverint, indulgentiam quingentorum dierum semel quolibet die lucrantur, et si per totum annum quotidie illud recitaverint, indulgentiam plenariam in festo: ***d)*** S. P. Dominici (4 Aug.); ***U)*** Translationis eiusdem S. P. (25 Maii), et ***c)*** Commemorationis eiusdem in Suriano (15 Sept.).

2. Pro orationibus S. Catharinae Senensis vel ad ipsam:

Tertiariis indulgentiam centum dierum lucrantur semel in die pro recitatione singularum ex his orationibus:

a) Ad S. Catharinam Senensem ***O virgo*** cum versiculo et oratione;

b) Pro Summo Pontifice ab ipsa S. Catharina dictata: ***O Dio supremo ed ineffabile.***

e) Pro Ecclesia pariter ab ipsa composita: ***Ho ricorso a Voi.***

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio detentis.

V. — PRIVILEGIA

1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare Missam celebraverint gaudent indulto personali altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2. Missae omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae.

VI. — INDULTA

1. Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalitii lucrari valent eas omnes indulgentias quas dictam ecclesiam visitando lucrarentur, dummodo respectivam parochialem ecclesiam visitent, caeteris conditionibus adimpletis.

2. Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies ***Pater*** et ***Ave*** et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent, caeteris tamen conditionibus adimpletis.

3. Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus sacellum visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

4. Tertiarii recitantes Officium parvum B. M. V. secun-

dum ritum FF. Praedicatorum easdem indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti extat in Breviario Romano recitarent.

DECRETUM

Quum, per decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902 undequaque abrogatis omnibus indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo Ordine respectivo perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit ut novum indulgentiarum indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent, Magister Generalis Praedicatorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum indicem elaboravit, illumque huic S. Congregationi humillime subiecit, quae, adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit.

SSmus vero Dominus N. Pius PP. X, in audientia diei 13 Iunii 1906, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex indulgentiis in supra proposito elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt benigne confirmavit, alias vero, loco earum quibus vi communicationis gaudebant clementer est elargitus ; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant indulgentiarum eisque potiantur privilegiis et indultis quae in praedicto elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secret, eiusdem S. C., die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «J». S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia conceditur recitantibus precem ad SS. Cor Iesu.

PREGHIERA AL S. CUORE DI GESÙ

O Cuore Santissimo di Gesù, spandete a larga copia le vostre benedizioni sopra la S. Chiesa, sopra il Sommo Pontefice e sopra tutto il clero; date ai giusti la perseveranza, convertite i peccatori, illuminate gl'infedeli, benedite i nostri parenti, amici e benefattori, assistite i moribondi, liberate le anime del Purgatorio e stendete su tutti i cuori il dolce impero del vostro amore. Così sia.

Ex Audientia SSmi diei ij Iunii 1906.

SSmus D. N. Pius PP. X omnibus christifidelibus corde saltem contrito ac devote suprarelatam precem recitantibus trecentorum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, benigne concessit, iis vero, qui per integrum mensem quotidie eandem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim accesserint atque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenariam elargitus est. Quas indulgentias S. S. ad animas quoque in Purgatorio detentas applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Iunii 1906.

L. «f» S. A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia adnectitur iaculatoriae " Cuore divino di Gesù,, etc.

Beatissimo Padre,

Il sacerdote Augusto Silj implora dalla Santità Vostra che voglia annettere l'indulgenza di trecento giorni alla seguente giaculatoria, ***toties quoties*** sarà recitata:

Cuore divino di Gesù, convertite i peccatori, salvate i moribondi, liberate le anime sante del Purgatorio.

Che della grazia ecc.

Iuxta preces in Domino.

Die 13 Iulii 1906.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 6 Nov. 1906.

L. «!• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Declaratio circa Indulgentiam plenariam adnexam invocationi " Cœur de Jésus „ etc.

Très-Saint Père,

Xavier Hertzog, procureur général de St-Sulpice, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner déclarer, que l'indulgence de 300 jours, *toties quoties,* accordée dans l'audience du 5 Juin courant à ceux qui réciteraient dévotement l'oraison jaculatoire: *Cœur de Jésus, fai confiance en Vous,* ne supprimait point l'indulgence pleniore, accordée auparavant par Votre Sainteté, pour ceux qui réciteraient dévotement durant le mois, chaque jour, cette même invocation. Que Dieu etc.

SSmus D. N. Pius PP. X in audientia habita die 27 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne declarare dignatus est, per concessionem die 5 huius mensis factam, abrogatam non fuisse plenariam indulgentiam, quam idem SSmus elargitus fuerat die 27 Maii 1905 (1): ita ut in posterum

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 124.

christifideles, quoties supra propositam invocationem, intimo cordis affectu, recitaverint, indulgentiam trecentorum dierum lucrari valeant, plenariam vero semel in unoquoque mense, die eorum arbitrio eligenda, dummodo quotidianam eiusdem invocationis recitationem peregerint, simulque confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint. Quas indulgentias Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 27 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia pro prece in honorem S. Ritae a Cascia.

ORAZIONE A S. RITA DA- CASCIA

« O gloriosa S. Rita, voi che foste prodigiosamente partecipe della dolorosa passione di N. S. Gesù Cristo, ottenetemi di soffrire con rassegnazione le pene di questa vita, e proteggetemi in tutte le mie necessità ».

Ex audientia SSmi, die ßo Iulii *1906.*

SSmus omnibus christifidelibus qui praefatam precem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 1**1** Aug. 1906.

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia pro exercitio in honorem SS. Sacramenti.

ESERCIZIO IN ONORE* DEL SS. SACRAMENTO
NELLE PRpCESSIONI COL VENERABILE

Si reciti un ***Pater, Ave*** e ***Gloria,*** poi si dica per dieci volte: ***Lodiamo ogni momento il SS. Sacramento,*** e si risponda: ***Ora e sempre sia lodato il nostro Dio sacramentato ;*** quindi si ripeta il ***Pater, Ave & Gloria,*** e così di seguito finché duri la processione.

Ex audientia SSmi, die ßo Iulii *1906.*

SSmus omnibus christifidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus, qui praefatum exercitium devote peregerint, indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 11 Aug. 1906.

L. *$• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Renovatur indulgentia pro deferentibus Rosarium.

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus M. Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod Innocentius VIII in. Bulla ***Splendor aeternae gloriae,*** diei 26 Februarii 1491, ita edixerat:

« Nos cupientes ut ipsi confratres et consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant..., quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus, et auctoritate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus ***centum annos et totidem quadragenas*** indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Dno indulgemus... Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis ».

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in catalogo indulgentiarum, die 29 Augusti 1899 a fel. rec. Leone PP. XIII approbato, quo edicitur « quascumque alias indulgentias confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas », praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii confratrum et consororum nomine humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum indulgentiam, semel in die lucrandam, ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus...

Iuxta preces in Domino.

Die 31 Iulii an. 1906.

PIUS PP. X.

ORDINIS FR MINORUM CAPUCCINORUM

Decretum quo nova indulta conceduntur Tertiariis Regularibus quoad lucrandas indulgentias ecclesiis primi et secundi Ordinis concessas.

Per decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 28 Augusti 1903 (1) concessum est, ut Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia emittentium ecclesiae aut Oratoria publica iisdem indulgentiis gaudeant, quibus perfruuntur ecclesiae aut Oratoria publica primi et secundi Ordinis. Altero dein decreto sub die 22 Martii 1905 (2) hoc indultum in favorem horum Tertiariorum et personarum cum ipsis in communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica.

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto decreto huius S. Congregationis sub die 18 Augusti 1868, dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive, publice sive privatim exercent.

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda:

I. An indultum, per decretum sub die 22 Martii 1905 concessum, extendatur ad ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum, etc.), quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel tem-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 377.
(2) Cfr. » » vol. 37, pag. 721.

poralis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est?

Et quatenus negative :

II. An non expediat concedere, ut dictae ecclesiae vel Oratoria sive publica sive etiam semipublica eodem indulto gaudeant, saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur indulgentiis respectivi primi aut secundi Ordinis ?

III. An non expediat indulgere, ut membra Congregationis Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degenda, in quibus non existunt ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant indulgentias ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea conditione, ut loco ecclesiae aut Oratorii, primi et secundi Ordinis parochialem ecclesiam visitent, quum Tertiarii saeculares Sancti Francisci simile privilegium obtinuerint (Decret. 31 Ian. 1903)? (1)

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarum Ordini FF. Min. Capuccinorum concessarum ab hac Sacra Congregatione approbatum, « altare maius omnium ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur etc. » (2). Iam quaeritur utrum hoc privilegium vi decreti huius S. Congregationis die 22 Martii 1905 etiam extensum fuerit ad altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum ?

Et quatenus negative :

V. Utrum hoc privilegium altaris saltem extendatur ad altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Minorum Capuccinorum aggre-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 35, pag. 63.
(2) Cfr. » » vol. 38, pag. 48, n. 5.

gati ad infirmorum assistentiam sive spiritualem sive temporalem degunt, et quidem vi indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat: « Religiosi, qui debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis conventibus moram haberent»? (i)

Et Emi Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati responderunt die 7 Augusti 1906 :

Ad I. Negative.

Ad IL Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad III. Affirmative, et ad mentem ; mens autem est, quod si in loco ubi degunt Tertiarii adsit ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis, haec erunt omnino/visitanda nisi disteni nimis ab Institutis quibus ipsimet inserviunt, id est non ultra milliarii spatium. His vero deficientibus indultum concedi poterit, quo ecclesia parochialis similiter non distans ultra milliarium visitari valeat, secus alia quaecumque ecclesia, prout libuerit adeunda, facto verbo cum SSmo.

Ad IV et V. Non proposita.

De quibus omnibus facta relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. X in audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 8 Augusti 1906, idem SSmus Emorum Patrum resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, necnon indultum in III dubio propositum benigne concessit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 5o.

ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI

Numisma iubilare S. Benedicti adnexam non habet indulgentiam Portiunculae.

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum exhibuit, riempe :

Utrum Numisma Sancti Benedicti iubilare, a sanctae memoriae Pio PP. IX per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub die 31 Augusti anni 1877 specialibus indulgentiis ditatum, adnexam habeat indulgentiam Portiunculae?

Et Emi Patres ad Vaticanum in generali Congregatione coadunati, die 7 Augusti 1906, proposito dubio respondendum mandarunt:

Negative (i).

(i) Ad hodierni decreti intelligentiam sequentia adnotare iuvat. Nonnullis -abhinc annis in Germania aliisque in regionibus quaedam evulgabantur folia, in -quibus affirmabatur Pium IX per Breve *Cum centenaria sollemnia* diei 31 Augusti 1877 indulgentiam plenariam Portiunculae concessisse gerentibus Numisma iubilare S. Benedicti Abbatis, et quamlibet ecclesiam vel publicum Oratorium visitantibus, quin iidem ecclesiam aut Oratorium publicum praefata indulgentia praeditum adire tenerentur. Porro authenticum exemplar praefati Brevis Apostolici e Tabulario Secretariae Brevium deprompturn nullam de indulgentia Portiunculae mentionem facit, sed haec dumtaxat praesefert: « Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui sacrum illud Numisma ab Abbate Ordinario pro tempore Montis Casini, vel ab alio presbytero, quem ipsi ad hoc •delegare placuerit, traditum gestaverint, ut praeter indulgentias eidem Numisma» *3.* Sancta Sede iam impertitas, omnes et singulas tam plenarias quam partiales indulgentias sacra loca supradicta, idest Basilicam cathedralem ecclesiam et cryptam ac turrim Sancti Benedicti visitantibus ab hac Sancta Sede concessas, dummodo quae ad eas consequendas iniuncta sunt pietatis opera rite in Domino praestiterint, et ubi orandum est, etiam preces pro peccatorum conversione effuderint, visitata qualibet ecclesia aut Oratorio publico, libere ac licite lucrari possint et valeant, tenore praesentium concedimus et elargimur ». Sane ex concessione generali omnium indulgentiarum Montis Casini, facta gestantibus praefatum Numisma S. Benedicti argui non posse concessam fuisse specialissi-

Quam resolutionem Emorum Patrum SSmus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die **8** eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die **8** Aug. 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. 4* S. f D. Pànici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

Tertiarii saeculares, a votis simplicibus dispensati, non indigent nova receptione in eodem Tertio Ordine.

Raphaël Delarbre, Ordinis Minorum Sancti Francisci, Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita humiliter postulavit, nempe:

Utrum Religiosi votorum simplicium, qui apte ingressum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis admissi fuerant, ad saeculum per solutionem a votis rite redeuntes, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint?

mam Portiunculae indulgentiam suadet Regula iuris 21 **iri VI:** ***In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter concessurus.*** **Hinc Sedes Apostolica in dicta generali concessione specialissimam quoque Portiunculae indulgentiam comprehendere non intendisse videtur, eo vel magis quod ipsa eamdem indulgentiam tot tantisque curis et limitationibus communivit. Nam indulgentiam Portiunculae ecclesiis Franciscanis ita exclusive propriam esse voluit, ut si aliis ecclesiis ob peculiaria rerum adiuncta illam extenderet, hoc nonnisi per speciale Breve tribuit, et quidem ad certum tempus atque sub conditione, ne intra unius milliarii spatium alia ecclesia vel publicum Oratorium eandem obtinens indulgentiam reperiatur. Neque eadem S. Sedes dispensare consuevit a conditionibus ad aliquam lucrandam indulgentiam requisitis, nisi iustae adsint causae; quod in casu verificaretur si praefatum Numisma gestantes, absolute et sine ulla restrictione ac necessitate, ab onere adeundi ecclesiam vel publicum Oratorium indulgentia Portiunculae ditatum eximerentur** ***(N. R.)***^

Et Emi Patres in Congregatione generali ad Vaticanas Aedes habita die 7 Augusti 1906 respondendum mandarunt:

Negative.

In audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni Emorum Patrum sententiam, relatam ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, SSmus Dominus Noster Pius PP. X approbavit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C, die 8 Aug. 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

URBIS ET ORBIS

Decretum de quotannis recolendo consecrationis actu in festo SS. Cordis Iesu.

Quo perennis extet memoria illius amplissimi religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii (1) augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SSmo Dno Nostro Pio Papae X, ut, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SSmi Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga sacratissimum Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SSmo Sacramentò publicae adorationi exposito, formula consecra-

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 31, pag. 646 et 651.**

tionis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SSmi Cordis erunt adiiciendae (i).

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piae caeremoniae corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die **22** Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. «I» S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

Indulgentia plenaria extenditur ad festum Septem Gaudiorum.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolvit, haec exponens : Per Apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 1**5** Septembris 1905 editas, in favorem Coronae Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis concessam novimus « indulgentiam plenariam iis, qui, confessione expiati et sacra Communione refecti, eamdem Coronam recitarint in festis cuiuscumque e Septem Gaudiis, atque in festis principalioribus Beatae Mariae Virginis vel per octavam utraque festa subsequentem ». Cum vero per decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die 14 Martii 1906 Festum Septem Gaudiorum Beatae eiusdem Virginis Mariae, sub ritu duplici secundae classis,

(i) Cfr. ***Acta S. Sedis,*** **vol. 3 i, pag.** 191.

Dominica I post octavam Assumptionis celebrandum, approbatum fuerit, humillimus orator enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut indulgentiam plenariam benigne concedere velit fidelibus, qui eamdem Coronam in festo Septem Gaudiorum, confessi ac sacra Communione refecti, recitaverint, prout in Festo uniuscuiusque e Septem Gaudiis concessum fuit.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secret, eiusdem S. C, die 12 Sept. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Induigetur ut fideles ad lucrandas indulgentias non teneantur habere prae manibus Coronam Septem Gaudiorum.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem Coronae Septem Gaudiorum, ut fideles recitationi publicae eiusdem Coronae in ecclesiis Trium Ordinum Sancti Patris Francisci adsistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, indulgentias lucrari valeant, quin Coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quoties duo vel plures eamdem simul Coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti Coronam materialem habere, ceteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impedientibus, moderatori in recitatione sociari, prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis, et signanter pro Corona Septem Dolorum Vir-

ginis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 Iunii 1898 indultum est, ne secus fideles Coronam non habentes tot indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes. Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, caeteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem C, die 12 Sept. 1906.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

MEDIOLANEN.

CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICORUM

Conceditur usus cappae magnae duobus parochis Mediólanensibus.

Cuín RR. Praepositi parochi omnium fere Basilicarum, quae in Metropolitana civitate Mediolanensi stationales vulgo appellari solent, privilegio fruantur utendi in sacris peragendis cappa magna mustelina vel serica rubrj coloris pro temporum diversitate, ceterarum Basilicarum Sancti nempe Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani in eadem civitate, quae pariter stationales nuncupantur, Praepositi parochi RR. DD. Hermenegildus Pogliani et Clemens Alfieri, qui hactenus eo privilegio insigniti non sunt, die v Decembris hoc anno supplices ad Apostolicam Sedem dederunt litteras, quibus SSmum Dnum Nostrum Pium PP. X obsequióse

exorarunt, ut sibi etiam in sacris obeundis ministeriis cappam magnam, qua Praepositi parochi omnium fere Basilicarum stationalium iam cohonestantur, Apostolica auctoritate benigne tribuere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attenta Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani vetustate ac dignitate, attenta etiam Viri Emi Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari Mediolanensis Archiepiscopi commendatione, ad splendorem divini cultus augendum, atque ad stimulos adiiciendos Praepositis parochis Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani, quo ipsi in spirituali animarum salute procuranda alacriores in dies fiant, eorum vota benigne excipere dignata est. De Apostolicae itaque potestatis plenitudine Beatitudo Sua Praepositos parochos oratores a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine, quovis modo vel quavis de causa, latis, si quibus innodati existant, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iidem, eorumque in perpetuum legitimis successoribus, benigne indulsit, ut intra limites Mediolanensis Archidioecesis, ad instar aliorum parochorum qui in Metropolitana Mediolanensi civitate Basilicis stationalibus, uti aiunt, praesunt, cappa magna mustelina vel serica rubri coloris in sacris peragendis uti licite ac valide possint et valeant, salvis ritualibus dispositionibus aliisque de iure servandis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exequenda eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Virum Emum Andream S. R. E. Praesbyterum Cardinalem Ferrari Mediolanensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iussitque

praesens hisce super rebus edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Apostolicae Litterae sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter Acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die xxvin Decembris anno Dfri MCMV.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

Archiepiscopo Coloniensi datur facultas cognoscendi in II instantia causas in I instantia Curiae Hildesiensis.

Ex audientia SSmi, die II Septembris anno ipo6.

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Subsecretario, consulere cupiens faciliori et promptiori agnitioni ecclesiasticarum iudicialium controversiarum dioeceseos Hildesiensis, ad preces eiusdem dioeceseos Antistitis, et habito voto Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Coloniensis, ipsi Emo Cardinali Archiepiscopo facultates ad septennium tribuit necessarias et opportunas, ut, **ex** delegata Sedis Apostolicae auctoritate, cognoscere possit in secunda instantia et iudicare tum matrimoniales tum alias fori ecclesiastici causas, quae in prima instantia ab Episcopo Hildesiensi, vel, sede vacante, a Vicario Capitulari eiusdem dioeceseos iudicatae fuerint, quaeque usque hodie in eadem instantia a Sede Apostolica cognoscebantur et iudicabantur, servata, quoad matrimoniales causas, constitutione Benedicti PP. XIV quae incipit *Dei miseratione)* **ea**que in primis lege, ut in singulis actis expressa fiat mentio huius specialis Sedis Apostolicae delegationis, et quoad omnes

praedictas causas servatis ceteris, quae iure canonico praescripta sunt. Super quibus idem SSmus Dominus hoc edi decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die, mense et anno ut supra.

L. S. Humbertus Benigni, ***Subsecretarius.***

EX VICARIATU URBIS

Praescriptiones observandae a religiosis Institutis mulierum.

Alle RR. MM. Superiore
degli Istituti religiosi femminili di Roma.

Il sottoscritto Cardinale Vicario di Sua Santità, allo scopo di prevenire inconvenienti che potrebbero facilmente verificarsi con grave pregiudizio degl'Istituti religiosi femminili di Roma, inculca l'esatta osservanza delle seguenti disposizioni:

i°. Gl'Istituti religiosi femminili destinati all'insegnamento non apriranno in Roma nuove scuole o nuovi asili, senza averne ottenuto il permesso dalla Commissione Pontificia delle scuole, per mezzo del deputato ecclesiastico del monastero.

2°. Le RR. MM. Superiore non si rivolgeranno **a** maestre secolari per essere aiutate nell'insegnamento, senza il permesso del deputato ecclesiastico, al quale spetta assumere precedentemente le necessarie informazioni.

3°. Non dovranno le Suore, siano esse professe **o** novizie o probande, frequentare le scuole pubbliche. Nei casi speciali ritenuti di assoluta necessità, il sottoscritto Cardinale Vicario si riserva di esaminarli accuratamente, per decidere se si debba dare o negare il permesso richiesto. Tale proibizione si estende anche alle educande che dipendono dalle

Religiose. Si eccettuano i pensionati istituiti esclusivamente per signorine che frequentano le scuole anzidette, per i quali verranno date norme speciali.

4°. Non si riceveranno donne che bramino di vivere ritirate in una casa religiosa, senza il permesso in iscritto del deputato ecclesiastico, il quale esaminerà le singole domande, per giudicare se siano degne di essere prese in considerazione, e non concederà la licenza, senza prima avere assunte da fonti sicure le necessarie informazioni. Trattandosi di monasteri di stretta clausura, si dovrà chiedere la licenza alla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari.

5°. Le RR. MM. Superiore non manderanno le Suore alle pubbliche botteghe a fare le spese giornaliere per la cucina, ma dovranno servirsi per questo ufficio di probe persone secolari.

6°. Si ammoniscono severamente le Superiore di non permettere che le Suore vadano abusivamente sole per le vie di Roma, specialmente nelle ore di notte.

7°. Non è permessa la questua in Roma, senza averne ottenuta la licenza in iscritto per mezzo del deputato ecclesiastico. Le singole domande saranno diligentemente esaminate, e quando sarà il caso di concedere la chiesta licenza, si daranno insieme norme opportune per rimuovere il pericolo di deplorevoli inconvenienti.

Per l'esatta osservanza di queste disposizioni confida il sottoscritto nello zelo delle RR. MM. Superiore, sopra le quali e sulle Comunità da loro dirette invoca di tutto cuore le più elette benedizioni del Signore.

Dal Vicariato, 17 Agosto 1906.

PIETRO Card. Vicario.

L. S. Francesco Can. Faberi, ***Segretario.***

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius X gratulatur cum Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi de singulari studio in dioecesibus moderandis.

VENERABILI FRATRI FLORIANO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI ET POSNANIENSI

PIUS PP. x

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod te ac fideles tibi créditos angustiae Nostrae moveant, id profecto amoris est argumentum, quo Beati Petri, cathedram prosequimini. Quam ob rem si grato animo excepimus petrianam stipem, quam large submisisti, at longe gratiori testimonium charitatis, quod illa exhibebat. Vobis autem, ut gratia pro merito habeamus, Deum in omnibus exoptamus propitium, qui pios in patrem filios nunquam esse sine praemio patitur. Libet autem, Venerabilis Frater, hac uti opportunitate , ut tibi impensissime gratulemur de singulari studio quo dioeceses istas in exemplum moderaris. Fortunet Deus amplissime labores tuos detque tibi fidei constantiam sanctitatemque morum in grege tuo semper magis provehere. Non dubitamus equidem, quod semper accidit, quominus in episcopali munere exercendo difficultatibus premaris. Ad studium tuum nihil inde minuatur, illud prae oculis constanter habens, quod sibi Apostolus proponebat : ***Omnia possum in eo, qui me confortât.*** Soletur te etiam et confirmet Vicarii Christi charitas, cuius pignus, simulque caelestium munerum sit Apostolica benedictio, quam tibi et gregi tuo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xni Augusti anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius **X** laetatur cum Episcopis provinciae Mediolanensis de celebrato Concilio provinciali.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Provinciale Antistitum Mediolanense Concilium nuper fuisse persolutum ex litteris officii plenis, quas tu conlegaeque tui communiter dedistis, libenter accepimus. Cum iam pridem ab exordiis Deum enixe precati simus (i) ut quod coeperatis opus, quam erat utile, tam etiam esset auspicatum, nunc fastigio rebus imposito, iucundissime laetamur vobis quod ex animi vestri sententia atque unanimi adstantium plausu et consensione omnia inita consilia processerint. Mercedem amplissimam, quae apostolicos labores pro divina gloria aeternaque animarum salute óbitos manet ac merito consequitur, Deus iustus iudex vobis large persolvat ac simul quae in communi Concilio deliberastis, ea in dioecesium vestrarum utilitatem secundo faventeque numine Ipse vertat. Interea, effusae benevolentiae Nostrae pignus, tibi dilecte Fili Noster, caeterisque Venerabilibus Fratribus, benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xvii Septembris MCMVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X

(i) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 39, **pag.** 340.

EPISTOLA

Qua Pius X laetatur de felici exitu conventus catholicorum Germaniae nuper Essendiae celebrati.

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO TIT. SS. N ER EI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
COLONIENSIUM ARCHIEPISCOPO

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster; salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod felices exitus sortitus fuerit catholicorum Germaniae conventus Essendiae habitus superiori Sextili mense, id non una tantum ex parte comperimus, ac in primis ex iis quae coram diserteque retulit Ven. Frater Noster Praenestinus Episcopus, zelum et actuosam Germanorum sollertiam testatus. Opinionem, quae firma iamdiu Nostro inerat animo de gravitate filiorum qui Germaniam incolunt, firmiorem adhuc reddidit notitia disceptationum, quae in Essendiensi conventu habitae sunt. Haud tamen minor delectatio fuit quam hausimus ex proposito iterum iterumque prolato, quo actionem religiosam Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam velle catholici e Germania orti declararunt. Haec quidem obedientia, uti diuturna experientia constat, peramplam et integram, licet aliter nonnulli oblatraverint rei veritatis ignari, cuique relinquit libertatem quoad ea quae religionem non attingunt, ideoque eam gignit singulorum animorum concordiam quae, a singulis ad societatem progrediens, sociale firmat bonum duplici coalescens elemento, religioso scilicet ac civili. Hoc valde probari visum est Augustissimo Imperatori ac Regi, qui grati et benevolentis animi sensa professus est erga eos qui, ortu ipsi religione autem Nobis subditi, statim ac Essendiam convenissent quum ipsum tum Nos obsequio prosecuti sunt. Laetitiam igitur, quam ex Essendiensi conventu profitemur

haustam, tibi, dilecte Fili Noster, testatam volumus, ac per te clero populoque Archidioeceseos tuae cunctisque Nostris e Germania filiis qui ad participandus praefati congressus labores multiplici sane modo confluxerunt. Grati insuper animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae testis sit tibi ac illis Apostolica benedictio, quam caelestium munerum auspicem vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxx Octobris MCMVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X praescribit in Urbe Collectam " Pro inimicis „.

AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI

NOSTRO VICARIO GENERALE

Signor Cardinale,

Le condizioni dolorose in cui si trova la Chiesa, combattuta ed oppressa da molti degli stessi suoi figli, che le si son fatti nemici, ci persuadono esser venuto il momento di usare in modo particolare di quel mezzo lasciatoci pel governo dal suo divin Fondatore ; la preghiera. Nutriamo infatti la dolce speranza, che, com'Egli ***nei giorni della sua carne, avendo offerto preghiere e suppliche con forti grida e con lagrime a colui che salvarlo potea dalla morte, fu esaudito per la sua riverenza*** (agli Ebr. V, **7.),** così **1'** Onnipotente alle preghiere del corpo mistico di Gesù Cristo verserà sopra di noi le sue divine misericordie.

Per questo raccomandiamo a Lei, Signor Cardinale, di ordinare a tutti i sacerdoti di Roma e del suo Distretto, che fino al termine dell' anno, in tutti i giorni non impediti dal rito, recitino nella Santa Messa la colletta n. 31 ***Pro inimicis;***

e di eccitare nel tempo stesso i fedeli ad unire le loro preghiere con quelle dei sacerdoti, specialmente nelle due Novene della Immacolata e del Santo Natale, ben sapendo quanto sia potente la preghiera di molti buoni per ottenere i divini favori.

E in questa fiducia impartiamo a Lei, Signor Cardinale, con particolare affetto l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li io Novembre 1906.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X laudat bina volumina circa vitam Ven. Mariae Magdalenae Postel.

DILECTO FILIO ARSENIO LEGOUX
PROTONOTARIO APOSTOLICO

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

De vita et moribus Ven. Dei Famulae Mariae Magdalenae Postel bina quae tu edidisti volumina, non equidem miramur, quod pii prudentesque homines vulgo laudent vehementerque probent. Nam primum ipsa opportunitas argumenti placet. Obversatur hic enim ante oculos mentis imago lectissimae foeminae, cuius religio atque actuosa caritas diuturno spatio aetatis illuxit Galliae per turbulentissima praesertim tempora, haud multum his dissimilia temporibus, quibus vivimus: mirificeque capiunt animos magnarum virtutum eius exempla, nominatim quum, maximis circumfusis difficultatibus et periculis, occultae vel administrationi sacrorum vel tuitioni sacerdotum generosa prospiceret. Quae quidem exempla idcirco videtur Deus revocari hodie velle, quum tam trepidis rebus utitur Ecclesia atque ipse est divinus cultus in discri-

mine, ut eadem catholicae in primis mulieres ex Gallia intelligant sibi esse proposita ad imitandum. Tu vero sic ista omnia exponis, ut legentes teneas tua non solum eruditione et doctrina, sed etiam • pietate. Inflammatus quippe, ut palam est, huius praeclarae Vitae studio, scribendi genus adhibes, quod facile incendit alios in admirationemque Mariae Magdalenae traducit. Quare gratiam tibi habemus et de oblatis muneri voluminibus et de ipso in hoc opus insumpto labore; quem cupimus et confidimus multis fructuosum futurum. Auspicem caelestium bonorum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte fili, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxn Novembris anno MCMVI, Pontificatus nostri quarto.

PIUS PP. X

ALLOCUTIO

Quam Pius PP. X habuit in Consistorio diei 6 Decembris 1906, de mira Episcoporum concordia cum S. Sede deque eadem exoptanda fidelium cum Episcopis concordia.

Venerabiles Fratres,

Nobis cum animo reputantibus quid hodie potius cum amplissimo coetu vestro communicaremus, nihil occurrit, quod sollicitos magis habeat, nisi ea acerbior in dies rerum atque hominum calamitosa procella, qua catholicum nomen miserrime affligitur. Equidem hoc maxime tempore Ecclesia sancta naviculae illi est verissime comparanda, quae in medio mari operiebatur fluctibus. Attamen minime nutat fides Nostra; quin imo firmissime persuasum est, nunc quoque nobis adesse Christum, qui maturo opitulandi momento, surgens imperet ventis et mari, atque optata fiat tranquillitas magna. Interea, Venerabiles Fratres, tametsi magnis premimur ae-

rumnis, solatium non deest Nobis, grande illud quidem planeque mirandum, quodque vel ipsi stupent catholicarum partium osores. Concordiam inquimus singularem, qua universus coalescit Episcoporum ordo, atque Nobiscum est coniunctissimus. Una enim omnium est conspiratio, unus consensus cum Pastore summo, Christi in terris Vicario ; ut nemo sit illorum, qui insigne illud Augustini verbum iterare non gaudeat: ***Roma loquuta est, caussa finita est.*** Sicubi vero turbulentis inimicorum ausibus sacrorum Antistites acrius vexantur; eo ceterorum Episcoporum videmus oculos animosque converti addereque fratres fratribus solatia afflictis, ut scilicet malis ne cedant, sed stent fortiores tortoribus. — Pater sancte, qui illos posuisti regere Ecclesiam tuam, custodi in aeternum hanc volutatem cordis eorum!

Utinam porro ad praeclarissimum hoc Episcoporum suorum exemplum catholicus etiam populus componatur ubique 1 Id utique toto Nos pectore exoptamus, id toto nisu hortamur, ut fideles suis omnino consentiant pastoribus, nihilque antiquius habeant, quam illorum nutu duci suasuque moveri. Postulat hoc quidem christiani nominis officium; sed postulat modo impensius religionis bonum; ut videlicet, ubi christianae rei oppugnatio iam premit, constanti fortitudine superetur; ubi vero parantur religioni infesta, catholici, partium studiis animorumque dissensionibus generose depositis, quidquid leges sinunt nec christiana conscientia prohibet, id totum audeant ut ea feliciter avertantur.

Haec ad commune solatium atque ad animos excitandos visum est significare: nunc vero officium exigit, Venerabiles Fratres, ut nonnullarum viduitati ecclesiarum, imprimisque inditae Sedi Patriarchali Hierosolymitanae latinae, quae per obitum Ven. Fratris Ludovici Piavi vacat, provideamus. Ad quam, re mature perpensa, Ven. Fratrem Philippum Camassei Archiepiscopum Naxiensem destinare placuit. — Quae huius Antistitis in Apostolicam Sedem sit voluntas, quae sint multa-

rum ornamenta virtutum fusius prosequi non opus est. Curiae Vicarii Pontificis Maximi in Urbe primum navavit operam, matrimoniis fidelium rite ordinandis praefectus. Tum vero, per annos quindecim, Collegio Urbaniano Rector cum laude praefuit, inter Pontificiae Domus Antistites merito cooptatus. Illum demum, ante annos duos, Archiepiscopatu Naxiensi, Nos ipsi auximus. In quo administrando quoniam egregie se probavit; de eo ad latinum Hierosolymitanum Patriarchatum evehendo cogitavimus. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, electionem facimus de persona praedicti Philippi Camassei, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae Naxiensi, ac transferimus ad Patriarchalem ecclesiam latinam Hierosolymitanam, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali ecclesiae latinorum, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur; contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen.

EX SECRETARIA BREVIUM

Insignia conceduntur Canonicis Cathedralis Maioricensis.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

De more Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum ecclesiasticos viros qui in templis maxime conspicuis divinis laudibus concinendis operam navant, ad divini cultus decorem et sacrarum caeremoniarum maiestatem augendam peculiaribus insignibus decorare satagimus. Hoc consilio cum Venerabilis Frater Petrus Ioannes Campins et Barcelò Episcopus Maioricensis et Husensis Nos enixis precibus flagitaverit

ut Cathedralis ecclesiae suae Capituli Canonicis insignia largiri de Nostra benignitate dignaremur, Nos animo repetentes praenobilis illius templi vetustatem, amplitudinem et mirifica quibus enitet artis opera, votis hisce annuendum propensa quidem voluntate existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae litterae Nostrae favent a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuum in modum concedimus, ut omnes et singuli nunc et in posterum existentes Cathedralis ecclesiae Maioricensis Capituli Canonici veste talari nigra cum fimbriis, ocellis et globulis sericis violacei coloris induti incedere, nec non focale, zonam et caligas violaceas et sericum pilei flocculum pariter violacei coloris gestare queant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, illisque ad quos spectat et spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die **XXX** Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

L. + S.

ALOIS. Card. MACCHI

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

MASSILIEN.

EXEMPTIONIS

De plena exemptione Ordinis S. Ioannis de Deo a iurisdictione Ordinarii dioecesani.

Factispecies. In urbe Massiliensi extat nosocomium S. Bartholomaei ad religiosum Ordinem S. Ioannis de Deo vulgo ***Fatebenefratelli*** spectans, ubi pluribus abhinc annis uti cappellanus munia sacri ministerii exercebat quidam saecularis sacerdos. Cuius tamen opera haud contenti Religiosi, ut ipse removeretur cum pluries, licet inutiliter, apud Episcopum institissent, tandem proprio marte eidem sacerdotem sui Ordinis suftecerunt.

At cappellanus ille ab hospitali nullimode recedere voluit, contendens ab uno Ordinario dioecesano accepisse facultatem audiendi infirmorum aliorumque ibi receptorum confessiones. Etiam Episcopus Massiliensis sibi dumtaxat competere censuit iurisdictionem super praefatis personis, contra Religiosos hoc negantes atque suam plenam ab Ordinario exemptionem asserentes. Quaestio proinde proposita fuit huic S. C. EE. et RR. diluenda iuris ordine servato.

Rationes contra exemptionem. Episcopus notat exemptiones et privilegia Ordinis S. Ioannis de Deo pluribus mutationibus tractu temporis obnoxia fuisse, atque ad rem memorat decisionem S. C. Concilii in ***Avellinen. 12*** Ian. 1630, ubi statutum est exemptionem in hospitiis Ordini S. Ioannis de Deo concreditis nonnisi regularem observantiam respicere. Praeterea, arguit idem Praesul, si revera constaret de

perfecta fiorimi Regularium exemptione, sacerdos regularis cappellano saeculari substitutus, antequam munus suum susciperet, Episcopum non adiisset ; neque, praesenti instaurata actione, Regulares apud eumdem Episcopum institissent, sive ut ipse confirmaret receptionem cuiusdam sacerdotis e dioecesi Sagiensi in hospitium, sive ut facultatem ad confessiones excipiendas concederet duobus presbyteris in hospitium receptis, cum unus cappellanus regularis haud par esset suo ministerio explendo.

Episcopi Massiliensis intentioni favet adlectus Consultor, qui in suo voto contendit ex Bullis ac privilegiis adductis certam desumi non posse demonstrationem exemptionis, quam sibi tribuunt Regulares vulgo ***Fatebenefrateili*** vocati. Siquidem Pius V Bulla ***Cum licet*** i Ian. 1572 concessit quidem dictis Religiosis in Hispania degentibus ut in quolibet hospitali habere possent unum sacerdotem proprii Ordinis, sed insimul sanxit ut hic Ordinario dioecesano subiceretur. Ita etiam Paulus V Constitutione ***Romanus Pontifex*** 16 Martii 1619, erigens congregationem Fratrum S. Ioannis de Deo in regularem Ordinem, statuit: «omnia hospitalia et loca dictorum regnorum illorum, personas et superiores, etiam quod personae religiosae essent, ac etiam dictum confratrem maiorem et quemcumque alium pro tempore existentem iurisdictioni, superioritati et correctioni Ordinariorum locorum perpetuo subesse ». Neque, iuxta Consultorem, constat Urbanum VIII Bulla ***Sacrosanctum*** *20* Iunii 1624 huiusmodi exemptionis privilegium concessisse, quia Urbanus VIII nedum non derogavit Bullae ***Romanus Pontifex*** Pauli V, sed nec concedere intendit quod adversatur Coric. Tridentino ***(Sess.*** *2j,* ***cap. ij de Reform.),*** quod sacerdotibus regularibus vetuit excipere extraneorum confessiones absque Episcopi approbatione. Cum demum ex sacris canonibus iurisdictio tribui nequeat laicis, ex, quibus coalescit Ordo S. Ioannis de Deo, haec ut admittatur concessa, certo certius probari debet.

Rationes pro exemptione. E contra patronus Religiosorum S. Ioannis de Deo exemptionem Ordinis ab Ordinarii iurisdictione depromit in primis ex Bulla ***Romanus Pontifex*** 16 Martii 1619, qua Paulus V exemptos declaravit ipsos Religiosos eorumque conventus. Deinde Urbanus VIII Bulla ***Sacrosanctum*** diei 20 Iunii 1624 nedum eidem Ordini communicavit omnia et singula privilegia Ordinum Mendicantium, sed exemptionem etiam ad Ordinis hospitalia extendit, seu « ad dictam congregationem Ioannis de Deo et singula illius monasteria, domus, hospitalia et alia loca regularía, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate et tenore praesentium, etiam perpetuo extendimus, eis communicamus et de novo concedimus ac suffragari volumus ». Quinimo idem Pontifex, attenta citata decisione S. C. C. in ***Avellinen.*** 12 Ian. 1630, qua declaratum fuit exemptionem respicere dumtaxat disciplinam regularem in hospitalibus, Brevi ***Cum sicut*** 9 Iulii 1638 exemptionis privilegium extendit ad ipsos infirmos in nosocomiis degentes, decernens « ut quoad dictae congregationis conventus et hospitalia, in quibus erunt duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingerant; et quoad illos conventus seu hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possint... ad revisionem computorum administrationis eorumdem hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant ».

Advocatus praeterea, postquam meminerit quod Pius V concessit Ordini S. Ioannis de Deo ut in quolibet hospitali adesset unus sacerdos religiosus, et Paulus V ut duo quoque sacerdotes regulares haberi possent, « qui confessiones tam infirmorum quam aliorum confratrum et ministrorum inibi audire libere ac licite valerent », sustinet Benedictum XIV omnia privilegia Ordini antea concessa mirifice confirmasse. Sane in Brevi ***Creditae nobis*** an. 1745 haec statuit : « Praeterea eisdem modernis et pro tempore existentibus Fratribus

dicti Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis in hospitalibus et domibus commorantibus, infirmorum necnon Fratrum aliarumque personarum illorum servitio addictarum, quocumque ' nomine nuncupatarum, sacramentales confessiones excipere libere et licite possint ac valeant, plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem harum serie perpetuo tribuimus et impertimur». Et idem Pontifex in Brevi ***Inter varia*** addit : « Praefatis locorum Ordinariis aliisque omnibus quibuscumque respective praecipimus, iniungimus et mandamus, ut nullum impedimentum iisdem Fratribus, in eo quod attinet ad sacramentum poenitentiae iuxta facultates ipsis, ut praefertur, concessas, aliorumqne ecclesiasticorum sacramentorum infirmis quibuscumque in eorum hospitalibus pro tempore existentibus administrationem eis denegando.... quomodolibet audeant seu praesumant ».

Quibus accedit, prosequitur orator, quod in contraria hypothesi Religiosi ***Fatebenefratelli*** nuncupati ab Ordinariis locorum inutiliter reciperent approbationem idoneitatis ad confessiones audiendas, antequam ad sacros ordines promoveantur, prout praescribit Urbanus VIII per Breve ***Circumspecta*** de anno 1628 hisce verbis: «illi duo ***(sacerdotes)*** pro qualibet regulari domo ex Fratribus dictae congregationis, qui pro sacramentorum ecclesiasticorum administratione ad sacros etiam praesbyteratus ordines promovendi sunt; ad eosdem ordines de coetero promoveri nullatenus valeant, nisi prius decem annos professionis in eadem congregatione peregerint et ab examinatoribus synodalibus non solum ad ordines praedictos, verum etiam ad sacras confessiones audiendas examinati et idonei reperti fuerint et necessarias super hac patentes litteras ab iisdem examinatoribus obtinuerint ».

Ultimo loco patrocinator subdit totalem exemptionem'dictis Religiosis concessam vel ab ipsis Sacris Congregationibus recognitam fuisse. Ita S. C. de Propaganda Fide decreto an. 1723 praecepit « Missionariis Apostolicis, ne in vim prae-

fatorum privilegiorum antedictis Patribus confessiones infirmorum in eorum hospitalibus existentium audire quoquo modo impediant ». Eadem decrevit S. C. Concilii in ***Bononien. 12*** Apr. 1698, ***Mediolanen.*** Iunii 1881, ***Matriten,*** i Apr. 1892; nec non S. C. EE. et RR. in ***Neritonen.*** 4 Aug. 1713 et nuper in ***Mediolanen.*** 3 Martii 1905(1).

Neque iuxta advocatum ex adverso oggeri potest dispositio Conc. Trid. ***(Sess.** 2/, **cap. ij de Reform.)*** quo praecipitur: « nullum Religiosorum posse confessiones saecularium audire sine Episcopi aprobatione », nam hoc intelligendum est de saecularibus in genere, qui nullo titulo Regularibus subiiciuntur, non autem de illis, qui per Apostolicas concessiones Concilio Tridentino subsequentes declarati fuerunt exempti ratione loci et personae. Secus enim allata Tridentini dispositio contradiceret alteri eiusdem Concilii ***(Sess.** 2J, **cap. II de Regul.),*** ubi decernitur etiam personas saeculares de Religiosorum familia exemptas esse ab Ordinariorum iurisdictione in iis , quae sacramentorum administrationem respiciunt.

Dubium. ***An Religiosus Ordinis S. Ioannis de Deo a suo superiore deputatus uti cappellanus in domo hospitali Massiliensi S. Bartholomaei eidem Ordini credito, possit absque Ordinarii facultate excipere confessiones personarum ibi receptarum in casu.***

Resolutio. Emi Patres S. Congr. EE. et RR., praehabita matura deliberatione, die 3 Augusti 1906 responderunt:

Affirmative et ad mentem (2).

Colliges. i°. Per privilegium plenae exemptionis Ordines Regulares subtrahuntur iurisdictioni Episcoporum, atque immediate Summo Pontifici subiiciuntur.

2°. Iamvero ex Apostolicis concessionibus constat Ordi-

ni) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 144.**

(2) **Mens vero decernit specialem dispositionem quoad actualem cappellanum saecularem *(N. R.).***

nem S. Ioannis de Deo totaliter exemptum esse ab Ordinariorum potestate, nedum quoad conventus et personas regulares sed etiam quoad hospitalia et infirmos ibi receptos.

3°. Hinc dicti Religiosi presbyteri, quamvis recipere ab Episcopo teneantur approbationem idoneitatis ad confessiones audiendas, tamen sola proprii superioris deputatione valent animarum curam exercere confessionesque excipere eorum omnium etiam infirmorum, qui utpote exempti de regulari familia censentur.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ACHERUNTINA ET ORD. MINORUM S. FRANCISCI

PAROECIALIS

Decernitur paroeciam in casu uti regularem habendam esse.

Factispecies. In oppido ***Banzi,*** Acheruntinae dioecesis, extat paroecialis ecclesia a B. M. Virgine nuncupata, quae antiquitus erat Abbatia ***Nullius*** et dari consueverat in commendam Emo Cardinali, qui suam iurisdictionem per Vicarium ipsius, nedum super adnexo coenobio, sed etiam super incolis parvi oppidi exercebat. Hoc in coenobium primi convenerunt Benedictini et dein Augustiniani, quibus a Benedicto XI suppressis an. 1667 successere Franciscani. Acciti Religiosi curam spiritualem explicabant super oppidanis Bantinis, iurisdictionem recipientes ab Eiîii Commendatarii Vicario. Sed cessata per obitum ultimi Card. Commendatarii an. 1730 Abbatiae exemptione, haec recidit in nativam Ordinarii iurisdictionem quoadusque an. 1790 subiecta fuit regio patronatui eiusque reditus regiae cappellae Palatinae adiudicati fuerunt.

Deinde an. 1809, prohibita ulteriori Religiosorum vestitione, regio decreto communitas Bantina aggregata fuit oppido ***Genzano,*** sed cum illico nonnullae exortae fuerint diffi-

cultates circa dependentiam Bantinorum in spiritualibus archipresbytero oppidi Genzano, curia Acheruntina a Gubernio obtinuit ut inibi statueretur paroecia saecularis cum congrua dote et adnexo clero. Congrua proinde paroeciae statuta, indictus fuit concursus sive pro cleri adscriptione, ad quam unus tantum clericus sese obtulit, sive pro paroeciae provisione, cui tamen nemo ex praesbyteris saecularibus nomen dedit: hinc cura paroecialis iterum rediit ad Franciscanos ut erat ab initio, qui eam gerebant per religiosum oeconomum curatum, a Provinciali praesentatum et ab Ordinario dioecesano approbatum, et per coadiutores.

Securis suppressionis italicae legibus, regularium parochorum series interrupta mansit, et ultimus regularis parochus e vivis excessit an. .1893, sicuti ultimus parochus saecularis paroeciam rexit ab an. 1900 usque ad an. 1903. Ex huius autem parochi decessu originem ducit praesens controversia. Oppidani enim, timentes ne uti novus parochus renunciaretur quidam sacerdos oppidi indigena, qui iam plura ediderat scandala, instarunt primo apud Archiepiscopum, et deinde apud hanc S. C. C, ut Religiosi in administrationem paroecialem et eorum coenobium restituerentur. Atque ita ipsorum animi efferbuerunt, ut cum praefatus sacerdos uti oeconomus curatus ad vacantem paroeciam se contulerit, violenter repulsus fuit. Quare in irritum cesso quolibet compositionis tractatu, cum Archiepiscopus putet nullum ius spectare Religiosis super enunciata paroecia, et aliunde hi petant ut in ipsam redintegrentur, quaestio huic S. C. proposita fuit diluenda.

Deductiones Archiepiscopi. Patronus contendit dictam ecclesiam uti beneficium curatum regulare haberi non posse. Sane haec ecclesia uti talis considerari non poterat ante an. 1816, quia nulla ei erat designata dotatio, neque in paroeciam erat adhuc erecta. Vera paroeciae institutio facta dumtaxat fuit an. 1816 cum a rege Neapolitano, ei congrua dote ex aere regiae cappellae assignata, subiecta fuit regio

patronatui, et insuper statutum ut per concursum conferretur. Atqui paroecia regularis esse nequit subiecta iuripatronatui, et conferri per concursum.

Deinde advocatus evertere conatur fundamentum, quo Religiosorum defensio innititur nempe praescriptionem, deductum ex cap. ***Cum de beneficio, De praeb, in*** *6°*, in quo statuitur regula: tunc dici beneficium regulare cum eo spatio, quod praescriptionem gignere valet, a Regularibus sit possessum; et viceversa, quando sermo est de beneficio a clericis saecularibus possesso. Quod ut ipse obtineat, ostendit in casu locum non esse invocatae a Religiosis praescriptioni. Contendit in primis ante decretum institutionis paroeciae in oppido ßantino, nullum extitisse paroeciale beneficium, quum Religiosi, utpote qui Abbatis nomine sacramenta Bantinis administrarent, spectari debebant uti mercenarii: sed citata regula non loquitur de munere conductitio titulo obtento, sed de beneficio consueto clericis saecularibus vel regularibus assignato.

Item iuxta patronum nec admitti potest praescriptio post evulgatum decretum erectionis paroeciae; Religiosi enim nedum ullam oppositionem fecerunt erectioni paroeciae saecularis ac indictioni concursus sed et in ipsius paroeciae gestionem immissi sunt praecario titulo, seu uti oeconomi in officio duraturi quoadusque sacerdos e clero saeculari inveniretur, qui vacantem paroeciam regeret. Hoc posito, sua sponte fluere ait, ipsos in iure usucapere non potuisse ; nam in praescriptione, ut ea currat, requiritur ut quis rem possideat nomine proprio, non autem alieno iuxta Reiffenstuel ***(Ius. can., De praescript. § f, n.*** *26).*

Deductiones Religiosorum. In primis sedulo distinguenda venit iurisdictio paroecialis, quam Religiosi in Bantinos exercebant, a iurisdictione Vicariali, quam Vicarii in spiritualibus tempore exemptionis Abbatiae recipiebant ab Emo Abbate Commendatario, et post cessatam exemptionem ab Archiepiscopo Acheruntino. Franciscani vero ante süp-

pressionem Napoleonicam nominabantur tamquam veri parochi per Bullam episcopalem. Secuta dicta occupatione (i808-1815) non tam erectio novae paroeciae, quam potius immutatio iam existentis facta est; et quia attentis novis suppressionis legibus destructio religiosorum Ordinum timebatur, nil mirum si ad consulendum animarum saluti transformado paroeciae iniri coepta est, quae utpote Religiosis praeiudicialis nullum valorem habere poterat in facie Ecclesiae, cum : ***quae contra ius fiunt, debeant pro infectis haberi.***

Sed quum an. 1815 in regnum restitutus fuerit Ferdinandus I, saltem de facto Religiosi in paroeciae possessionem immissi sunt, et in ea perstiterunt usque ad an. 1861, quo pro Neapolitanis provinciis a Gubernio italico vulgatae sunt leges abolitivae Regularium. Ex tunc in oppido Banzi tres tantum parochi regulares adfuerunt ; sed hoc reputandum est a nequitia temporum. Neque ex adverso fieri posset recursus ad praescriptionem favore Ordinarii Acheruntini, quia Religiosi impediti erant ab exercitio suorum iurium, et : ***contra non valentem agere, non currit praescriptio.*** E converso in comperto est quod Religiosi saltem ab an. 1817 usque ad an. 1861 pacifice iura paroecialia super Bantinis exercuerunt. Atqui iurisdictionem paroecialem usucapì posse exercitio 40 annorum testes sunt Ferraris ***(Bibl. can., verb.*** Usucapió, § ***j, n. iy),*** Bouix ***(De iure Regul., tom.*** *2,* ***cap.*** *3,* ***§ i),*** Barbosa ***(Collect, doctor., in cap.*** Cum de benef., ***tom.*** *3).* Neque item aliquid ponderis habet difficultas ex eo desumpta quod Religiosi erant amovibiles ad superioris regularis vel Archiepiscopi beneplacitum, quia non est de essentia ad constitutionem paroeciae ut eius rector sit inamovibilis, uti probant Bonal ***(Inst. can., tom.*** *2,* ***pag. ifj),*** De Luca ***(De benef., disc, pj)*** et alii auctores relati in ***Lucana*** diei 17 Dec. 1904 (i).

Dubium. ***An paroecia S. Mariae loci*** Banzi ***censenda sit***

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** *oj,* **pag. 696.**

regularis, ita ut Religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem in casu.

Responsum. Emi Patres S. Congr. Concilii, omnibus rite perpensis, rescribere censuerunt: ***Ad mentem.***

Mens autem fuit ut Archiepiscopus revocaret Regulares eisque tribueret paroeciam loci Banzi.

Altera causae propositio. At cum eiusdem Archiepiscopi procurator beneficium novae audientiae obtinuisset, quaestio denuo proposita fuit.

Hinc patronus Archiepiscopi ostendere nititur numquam Franciscanos parochos fuisse. Non sub Abbatum quidem imperio, quum ipsi animarum curam, nondum erecta paroecia, haud egerint, sed pecuniam ab Abbatibus habuerint liberalitatis tantum causa, scilicet propter substentationem. Quin oggeratur, addit, Abbates cum in commendarti, ut aiunt, Abbatiam, quae initio regularis erat, retinerent, huius boha Pontificis nomine tanquam custodes possedisse. Id siquidem verum esse ait de antiquis seu temporalibus commendis, quae beneficiis non adnumerabantur, non autem de commendis perpetuis cum istae beneficiis aequiparentur, iuxta ea quae habet Reiffenstuel ***(De praeb, et dignit., n.*** *74-79).* Caeterum in themate liquet anirnarum curam non Pontifices sed Abbates precaria delegatione Franciscanis commisisse.

Sed nec media aetate Franciscanos fuisse parochos dicendum est. Necesse enim erat ut delegata potestas prò animarum cura exercenda renovaretur ab Archiepiscopis; ideoque nonnisi iniuria, utpote nulla accepta potestate, eosdem Franciscanos parochialia munia exercuisse patronus contendit. Accedit quod cum Archiepiscopus regimen Bantiae suscepit, nullum extitit parochiale beneficium, eo vel magis quod, clero saeculari deficiente, idem Archiepiscopus Franciscanis curam animarum precario modo commiserit.

Quinimo nec postrema aetate eiusdem parochiae natura mutata censeri debet, quum regio aere fuit dotata, adiecto

statuto ut per concursum conferretur. Quae saecularis paroeciae natura non amplius mutata fuit in regularem, eo quod Religiosi nonnisi precario modo eam retinuerint.

E contra adversae partis advocatus nihil aliud exhibuit.

Dubium. ***An sit standum vel recedendum a decisis in casu.***

Decisio. Et eadem S. Congregatio, re iterum ad trutinam revocata, die 20 Ianuarii 1906 hoc dedit responsum: *Ex noviter deductis non satis constare de natura regulari paroeciae.*

Tertia causae propositio. At procurator Franciscalium revisionem causae petiit, et ex novis documentis adducendis obtinuit.

Hinc Archiepiscopi defensor expendere aggreditur rationes, quas adversa pars de novo adducit. Caeteris omissis, iuxta ipsum, nihil probat libellus a quodam Franciscano coenobia fisci administratoribus missus, ut se parochum nominarent, sive quia nemo in propria causa testificari valet, sive quia hoc modo admitteretur etiam quod an. 1816 paroeciale beneficium fundatum fuisset cum reservatione regii patronatus. Adsunt quidem duo alii libelli cuiusdam Franciscani, qui an. 1814 sive apud Gubernium sive apud regis administrum conquestus est de nulla sibi mercede soluta, insimul petens ut assignarentur reditus trium suppressorum canonicatuum; sed cum nihil obtinere potuerit, exinde arguitur ipsum non fuisse parochum sed oeconomum. Item ex epistola Vicarii generalis tunc temporis, in qua ipse refert quod, post pluries indictum concursum, nullus e clero saeculari nomen dedit pro paroeciae consecutione, ac proinde facta necessitas ut cura animarum pergeretur geri a Franciscanis; hoc tantum deduci posse contendit advocatus, paroeciam saecularem datam fuisse Religiosis usque dum quis e clero saeculari comparuisset. Demum in nullo pretio habendas esse contendit iuratas attestationes a tribus Religiosis emissas, qui deponunt quod ipsi ad regendam Bantinorum paroeciam deligebantur a Provinciali

et dein ab Archiepiscopo approbationem recipiebant; non solum quia a Religiosis afferuntur in causa propria, sed quia in contradictione sunt cum aliis documentis exhibitis.

— Ex adverso patronus Regularium contendit praefatam paroeciam continuo habitam fuisse uti regularem. Et hoc **ve**rum esse ait sub Abbatum imperio (1666-1790), quum cura animarum, absque ullo praeexistente beneficio parochiali, incorporata mansit originaliter ipsi mensae monasterii : et de hac duplici forma unionis curae animarum, scilicet per beneficii paroecialis incorporationem, vel directe et originane absque beneficii incorporatione factae monasteriis sermo est in Conc. Trid. ***(sess.*** 7, ***cap.*** 7 ***de. Reform., et sess.*** *25,* ***cap. ii de REGULA).***

Hinc ex defectu dotis statutae taxative pro paroecia Bantina, argui nequit iuxta patronum ad inexistentiam paroeciae, nam id non applicatur quando cura animarum originaliter alicui monasterio vel collegio fuit commissa; hoc confirmat exemplo plurium cathedralium vel collegiatarum vel receptitiarum, a quibus cura animarum geritur, quin beneficium parochiale sit distinctum a canonicatu vel a massa communi.

Paroeciam vero fuisse non penes Abbates sed potius penes Religiosos constare ait ipse ex eo quod Commendatarii in territorio Bantino nunquam resederunt, nec per se animarum c.uram gesserunt, iuxta ea quae tradit Fagnanus ***(lib. ß Decret., pag.*** *J08)* qui, ad determinandum cuinam cura animarum resideat, dicit esse inspiciendam Abbatum residentiam. Idque eo vel magis tenendum esse ait si attendatur inscriptio in eadem ecclesia extans, **ex** qua apparet ipsam an. 1089 ab Urbano II fuisse consecratam ; atqui tunc ecclesia a Benedictinis obtinebatur, et Abbates Commendatarii nonnisi saeculo 17 inibi institui coeperunt, quando nempe ecclesia iam erat regularis. Neque dici potest ex facto commendationis monasterii et ecclesiae datae alicui praelato saeculari, eamdem ecclesiam factam fuisse saecularem, uti habet Gagliardi

(De benef., tom.** 2, **pag. iij), quia ipsa regularis natura non mutatur, sed in eodem statu perinde permanet, ac si Commendatarius esset Abbas vel Prior vota regularía professus.

Durante vero Gallica perturbatione (1790-1816), post obitum ultimi Commendatarii, Minores quoad curam animarum incoeperunt pendere ab Archiepiscopo, sicuti prius subiiciebantur Abbati. Neque ex eo quod Regulares hoc aevo appellabantur Vicarii, inferri potest quod ipsi precarie tantum curam exercebant, quum omnes illi qui praeficiuntur curae alicui collegio adnexae, licet veri sint parochi, tamen veniunt sub Vicariorum nomine uti patet ex Conci Trid. ***(sess.** 7, **cap. i de Reform.).*** Neque aliquid obstat quod hi dicantur ad nutum Archiepiscopi revocabiles; haec enim revocabilitas proprie afficit parochos regulares, ut tradit Wernz ***(Ius Decret., vol.** 2, **pag.** ioj6).*

Verum rebus in pristinum revocatis, et inita anno 1818 conventione inter S. Sedem et Neapolitanum regem, Bantinus conventus restitutus est, et hinc etiam paroecia regularis rediit, cum desierit ratio unica ob quam paroecia saecularis fuit instituta, nempe Religiosorum extinctio. Paroecia enim Bantina non est quid distinctum a conventu, sed potius eius pars integralis, et cum sit fundata in regulari ecclesia, semper praesumitur regularis quoad usque contrarium non demonstretur. Sed quidquid sit in iure, ex documento nuper in archivio Status reperto constare ait, quod rex Neapolitanus nedum voluit conventum restituere, sed etiam quod Religiosis restitutis iterum crederetur cura animarum Bantinorum an. 1816 distracta.

Ex eo tempore Franciscani pacifice, seu prout res cum eversivis legibus componi poterat, paroeciae possessionem obtinuerunt usque ad an. 1861, quo contigit Status Neapolitani occupatio ex parte italici Gubernii: ideoque Franciscani ad proprium ius vindicandum allegare etiam possent hanc plusquam quadragenariam praescriptionem. Certum prae-

terea esse ait advocatus quod Vicarii a suis superioribus in paroecia Bantina fuerint Archiepiscopo praesentati pro approbatione, secundum quod iure praescribitur pro paroeciis regularibus, et prout deponunt tres Religiosi sub iuramento excussi. Neque contra hos testes moveri posset exceptio, quod hi sunt suspecti, utpote testes de familia; nam in themate non agitur de re singulorum, sed de causa monasterii, iuxta ea quae tradit Formosinus *(cap. ß, loc. ß, De probat.).*

Dubium. *An sit standum primo vel secundo loco decisis in casu.*

Resolutio. Et eadem S. Concilii Congregatio, ex noviter deductis, die 16 Septembris 1906 respondit:

Paroeciam habendam esse uti regularem, facto verbo cum SSmo (i).

Colliges. i°. Beneficium regulare a clericis saecularibus per 40 annos pacifice possessum vi legitimae praescriptionis evadit saeculare, et viceversa dicendum est de beneficio saeculari a Regularibus eodem modo et tempore possesso.

(i) Et in rescripto ab eadem S. C. ad Fratres Minores concesso ea quae sequuntur addita fuerunt : *Facta autem de praemissis per infrascriptum Secretarium praefatae Sacrae Congregationis relatione SSmo Dno Nostro in audientia diei 16 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbare et confirmare dignata est; et instantiam Advocati pro nova causae discussione reiecit.*

j- VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. S. C. De Lai, *Secretarius.*

Exinde magis etiam elucet in casu clausulam *facto verbo cum SSmo,* quae sententiae Emorum Patrum adnexa invenitur, non ita intelligendam esse ac si paroecia Bantina, licet per se saecularis, declarata fuerit regularis ex gratia, sed dumtaxat quod Summus Pontifex suprema sua auctoritate prolato S. C iudicio maiorem vim addidit. Et revera Sanctitas Sua, attenta etiam inopinato obitu Archiepiscopi actoris in causa, nedum sententiam Emorum Patrum ratam habuit, sed etiam instantiam a procuratore adversae partis exhibitam pro quarta eiusdem causae disceptatione reiecit, ad hoc ut tandem aliquando finem imponeret liti, quae in magnam animarum dictae paroeciae perniciem iam a tribus annis vergebat *(N. R.).*

2°. Attamen regularis natura monasterii et ecclesiae haud mutatur per eorumdem commendationem alicui Praelato saeculari concessam.

3°. Item transformado paroeciae regularis in saecularem ab Ordinario loci peracta, durante civili Religiosorum suppressione, utpote eisdem praeiudicialis sustineri nequit; neque in casu utiliter invocari potest praescriptio, quae contra non valentem agere, non currit.

4°. Praeterea de essentia beneficii paroecialis non est perpetuitas et inamovibilitas parochi, quin imo regulares parochi, ob votum obedientiae, sunt amovibiles ad nutum proprii superioris vel Episcopi.

5°. Specialis demum beneficii paroecialis constitutio vel taxativa dotis curatae assignatio per se non requiritur quum animarum cura monasterio vel collegio est originaliter adnexa.

6°. In themate proinde paroeciam loci ***Banzi*** uti regularem habendam esse ex eo constat quod, etiam antequam ipsa in commendam Emo Abbati traderetur, a Regularibus nomine proprio administrata fuit, atque uti talis, saltem de iure, usque in hodiernum diem, tempore quoque suppressionis Regularium, permansit.

DECRETUM

De excardinatione et sacra Ordinatione.

Decreto diei 20 mensis Iulii 1898, quod incipit ***A primis*** (i), Emi S. C. Concilii Patres, probante v. iri. S. P. Leone XIII, circa ***excardinationem*** et ***incardinationem*** clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt :

« I. ***Excardinationem*** fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi ***incardinatione*** in alia dioecesi -executioni demandata.

(i) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol.** 31, **pag.** 49.

<c IL ***Incardinationem*** faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio ***"Speculatores*** ,, pro domicilio acquirendo praescribit.

« III, Ad hanc ***incardinationem*** deveniri non posse¿ nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

« IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori- experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut " nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis,, ***ut in cap.*** *16,* ***sess.*** *2/* ***de reform.*** Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

« V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

« VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. " ***Speculatores,,*** quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent ».

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi ***excardinatoriae,*** seu ***excorporationis*** aut ***exeat*** nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis " ***Speculatores*** ,, praescripta.

Porro evulgato decreto ***A primis,*** de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSmi quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi Patres censuerunt, permitti possessi Sanctitas sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem .tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen,

i°, dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2°. Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis ***incardinandis*** statutae sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto " ***Vetuit,,*** diei **22** Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos (i).

3°. Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis " ***Speculatores*** ,, requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non

(i) Cfr *Acta S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 407.

propria, eique iri perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse äb Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.'

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. **N.** Pio Papae **X** ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 24 mensis Novembris 1906.

f VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus, ***Praefectus.***

C. De Lai, ***Secretarius.***

DECRETUM

De **S. Communione infirmis non ieiunis.**

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905, concessasque a SSmo. D.; R. Pio PP. JX die 30 mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum ***Urbis et Orbis,*** die 14 mensis Februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum (i). Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupien-

(1) **Cfr.** *Acta* **S.** ***Sedis,*** **yol.** 37, **pag.** 794; **vol. 38, p.** 400, **et vol. 3,, p.** 62.

tibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii (i), benigrie concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

f VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus.*

C. De Lai, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

TARBIEN.

Circa Lectiones I Nocturni, et circa Missam exequialem in Feria IV Cinerum.

Rmus dnus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

I. Decreto n. 5923 diei 30 Iunii 1896 *Plurium dioecesium,* praecipiente Lectionem de Scriptura occurrente in duplicibus infra II classem, excipiuntur tamen Lectiones, quae « iam approbatae fuerunt, vel in Breviario habentur pro du-

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 499 in causa *Romana et aliarum.*

plicibus seu maioribus, seu etiam minoribus». Quaeritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum **eae peculiares** Lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio' tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in festo S. Dominici die **4** Augusti indicantur pro I Nocturno Lectiones ***Beatus vir*** etc. **de** Communi Conf. non Pontif. 2°. loco; sicut etiam v. g. in festo S. Fausti (in Proprio Provinciae Auxitanae **ad** 28 Septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad Lectiones ***Fidelis sermo ?***

II. Utrum feria IV Cinerum in ecclesiis parochialibus ubi unicus est sacerdos, celebrari possit Missa exequialis ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I et II. ***Affirmative.***

Atque ita rescripsit, die **5** Iulii 190**1** (i).

L. «J» S. D. Card. FERRATA, ***Praefectus.***

f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

SECOVIEN.

An Episcopo petenda^ sit licentia celebrandi Missam in oratoriis secundariis Religiosorum.

Rmus dnus Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum:

In dioecesi Secoviensi, vasta sunt quinque monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonicorum Regularium Lateranensium; insuper

(i) HOC **decretum nunc primum in lucem prodit *(N. R.).***

permulta coenobia, aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Dominici, S. Ioannis de Deo etc. Interdum in illis monasteriis casus accidit, ut novum oratorium e. g. pro recitando Officio tempore hiemali in aedibus monasterii erigatur simul cum altari sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Praeterea talia oratoria cum altari interdum etiam in domibus extraneis, quae a monasterio sive longe, sive parum distant et peculium monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa versantur. Hinc quaeritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas communitatis religiosae? ^ Et si affirmative ad secundam,

II. Valet hoc etiam de oratoriis, quae extra monasterium ipsum sita sunt, sed ad eius peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est :

Ad I. Si agatur de Regularibus proprie dictis, ***negative*** ad primam partem ; ***affirmative*** ad secundam, de licentia superioris generalis aut provincialis iuxta decretum n. 4007 ***Super oratoriis semipublicis*** 23 Ianuarii 1899(1); si vero •sermo sit de aliis communitatibus, servetur decretum n. 3484 ***Nivernen.*** 8 Martii 1879 ad 11(2).

Ad II. ***Negative,*** nisi adsit indultum.

Atque ita rescripsit. Die io Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

(1) **Cfr.** ***Acta S. Sedis,*** **vol. 3**1, **pag.** 412.
(2) **Cfr.** » » **vol.** 21, **pag** 507.

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE GERMANIAE INFERIORIS

De Missis defunctorum in oratoriis, de orationibus in Missa votiva, de symbolo in Missa conventuali et in festis secundariis Sanctorum, deque festo Titularis.

R. P. Vitalis Keenen, Minister Provincialis Provinciae Germaniae Inferioris, Ordinis Fratrum Minorum, sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit; nimirum:

I. Ad controversias tollendas circa interpretationem decretorum n. 3903 ***Aucto*** 8 Iunii 1896, n. 3944 ***Romana,*** 12 Ianuarii 1897, ***Vicen.*** 3 Aprilis 1900, et ***Labacen.*** 23 Aprilis 1902, quaeritur :

1°. An in oratoriis privatis et semipublicis dici possint Missae de Requie omnibus et singulis diebus, exceptis festis de praecepto et duplicibus primae classis et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, ab obitu usque ad sepulturam, quamdiu nempe corpus praesens est in domo?

2°. Et quatenus ***affirmative:*** An idem privilegium valeat etiam pro oratoriis publicis et ecclesiis Seminariorum, collegiorum et religiosarum communitatum, ita ut liceat omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus ut supra indicatis, inibi Missas de Requiem celebrare, quamdiu corpus praesens est in domo, ecclesiis vel oratoriis publicis praedictis adnexa?

II. Quum Missa votiva de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysterii atque singulis sabbatis per annum concessa, iuxta Sacrae Rituum Congregationis decreta dici nequeat, si eodem die agatur commemoratio Officii trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti ; sed celebrari debeat, pro votiva, Missa Officii de Beata Maria Virgine ad instar sim-

plicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis iam pro votiva concessis, quaeritur:

i°. An in Missa votiva respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excludatur secunda et tertia oratio de Tempore, et solum admittantur commemorationes occurrentes et collectae, si iuxta Rubricas et decreta admittendae sint?

2°. An diebus infra Octavas Beatae Mariae Virginis Officio duplici vel semiduplici impeditis, si Missa Octavae pro votiva Immaculatae Conceptionis solemniter vel in cantu vel conventualis instar celebretur, ad Missam duplicis vel semiduplicis Sanctorum conventualem, quum omnis commemoratio Octavae per se excludatur ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, extra Dominicam debeat omitti Symbolum, quod solum ratione Octavae ad conventualem Officii iuxta Rubricas et decreta suspensae alioquin requiritur?

III. An omnia eiusdem religiosae Familiae oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta enumerata in decreto n. 4007 diei 23 Ianuarii 1899, ius habeant, ut illorum Titularis festum celebretur sub ritu duplici primae classis cum Octava, ita ut de eo agatur inter Suffragia Sanctorum, et ut nominetur in oratione ***A cunctisi***

IV. Quum non una sit sententia circa Symbolum addendum in festis secundariis Sanctorum vel infra eorumdem Octavas, quae ***Credo*** in festo principali vel ipsa solemnitatis die exigunt, quaeritur:

i°. An in festis Patronorum dioecesis et Fundatorum Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici gaudeant, dicendum sit ad Missam Symbolum, prouti dicitur in eodem festo principali ; ita ut apud Fratres Minores trium Ordinum dici debeat ***Credo*** in festis secundariis Sancti Patris Nostri Francisci et apud Moniales II Ordinis in festis Sanctae Clarae Assisiensis earumdem Fundatricis?

2°. An in festis secundariis Patroni principalis vel Titu-

laris ecclesiae dici debeat in Missa Symbolum, si sub ritu saltem duplici celebrentur, sicuti dicitur in eodem festo principali; ac dici consequenter debeat in festo Decollationis Sancti Ioannis Baptistae, si idem Praecursor Domini sub quavis Mysterii nuncupatione sit Patronus praecipuus vel Titularis principalis ecclesiae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis respondendum censuit:

Ad I. Quoad i[um] ***Affirmative*** in oratoriis privatis dummodo cadaver sit adhuc physice praesens in domo; ***negative*** in oratoriis semipublicis quae locum tenent ecclesiae.

Quoad 2[um] ***Negative*** sed semel tantum in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus.

Ad II. Quoad i[um] ***Affirmative,*** quia est Missa festivi Officii duplicis, licet, per accidens, simplicis.

Quoad 2[um] ***Affirmative*** iuxta decretum ***Ordi?iis Fratrum-Minorum*** 19 Iunii 1903 ad 2, quia de Octava in casu nulla ratio habenda est iuxta decretum ***Einsielden. - Reliqua dubia*** 5 Maii 1736 ad 26.

Ad III. ***Negative,*** sed tantum in oratorio principali, deficiente ecclesia.

Ad IV. Quoad i[um] ***Affirmative*** iuxta decretum n. 2484 ***Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum*** 27 Augusti i 768, et n. 3249 ***Ratisbonen.*** 22 Aprilis 1871 ad I.

Quoad 2[ura] ***Affirmative.***

Atque ita rescripsit. Die io Novembris 1906.

L. «!• S. S. Card. CRETONI, ***Praefectus.***

f D. Panici, Archiep. Laodicen,, ***Secretarius.***

RATISBONEN.

SEU CONGR. SS. REDEMPTORIS PROVINCIAE BAVARICAE

De mensa **et de** titulo altaris fixi.

R. P. Mathias Prechtl, Rector Provinciae Bavaricae Congregationis SSmi Redemptoris, de consensu sui Rmi Procuratoris generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit ; nimirum:

I. In ecclesia S. Sepulchri, Congregationis SSmi Redemptoris in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis dioecesis, extant tria altaria scil. S. Ioannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V., et Quindecim ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro lapide , sed ex duobus lapidibus inaequalibus, qui tamen coemento in unum coniuncti sunt. Quaeritur: Utrum haec tria altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tanquam exsecrata?

II. In ecclesia parochiali eiusdem civitatis mensa altaris maioris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media maior pars ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides coemento in unum sunt coniuncti. Itaque quaeritur : Estne hoc altare fixum valide consecratum ; et si ***negative,*** media maior pars ex marmore poteritne adhiberi tanquam altare portatile?

III. Num absque indulto Apostolico et auctoritate tantum ordinaria, titulus altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. gr. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si ***negative,*** num saltem super altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu loco imaginis S. Sebastiani tituli altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea picta retro post altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

Ad I. Iuxta Pontificale Romanum et decreta S. R. C. n. 2862 ***Fanen.*** 17 Iunii 1843 ad i, n. 3725 ***Meliten.*** 26 Aprilis 1890, et n. 3750 ***Salamantina*** 14 Novembris 1891, mensa altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem ***negative,*** ad secundam ***affirmative ;*** et si commode altarium consecratio cum mensa ex unico et'integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis.

Ad II. ***Negative*** ad utrumque.

Ad III. ***Negative*** ad utrumque iuxta decretum n. 2752 ***Congregationis Missionis*** 27 Augusti 1836 ad 5 et 7.

Ad IV. ***Negative.***

Atque ita rescripsit. Die io Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, ***Praefectus.***

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

EREMITARUM CAMALDULENSIUM

CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE

De genuflectionibus et osculis in Missa, ac de Communione infirmis ministranda.

Expetenti Kalendaristae Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, de consensu sui Rmi Superioris generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ita respondere rata est:

I. Minister inserviens Missae in altari, ubi SSmum Eucharistiae sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum celebrantis.

III. Oscula in Missa pro defunctis et Feriae vi in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur calicem et patenam, iuxta Rubricam Missalis ***part. II, tit. Iß, n.*** *2,* et Caeremoniale Episcoporum ***lib. I, cap.*** *18, § 16,* ***et lib. II, cap.*** *II,* ***§ j .***

IV. i°. Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet ***Misereatur tui*** etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale.

2°. Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est ***Misereatur vestri*** etc.

3°. Minister infra Missam in casu ***Confiteor*** et Celebrans ***Misereatur*** dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, ***Praefectus.***

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

DUBIA

Circa nonnullas coeremonias in sacris functionibus, orationes in Missa et Benedictione, conformitatem Kalendarii, etc.

Insequentium dubiorum declarationes a Sacra Rituum Congregatione expostulatae sunt ; nimirum :

I. An clerici prima tantum tonsura initiati, ad mentem decreti 14 Martii 1906 (i), tangere possint vasa sacra et

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3o, pag. 119. **Ad rem Benedictus XIV *(Inst. eccl.*** *34,* ***n.*** *18)* **docet: « Diuturna consuetudine factum est, ut Ordinarii omnes et qui sola tonsura praediti sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa, dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant ». Quod laicis non licet, nisi adsit vera necessitas et nonnisi mediante velo. Idque eo vel magis quod Rubrica Missalis *(Ritus servandus in celebr. Missae, tit I, n. i)* praescribit quod « sacerdos celebraturus.... praeparat calicem,... super eius os ponit purificatorium mundum, et super illud patenam cum hostia integra...., et eam tegit parva palla linea, tum velo serico; super velo ponit bursam » *(N. R.).***

lintea sacra ac calicem praeparare in sacristia absque speciali indulto?

II. An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant iuxta Rubricas Missalis ***(Ritus servandus in celebratione Missae, tit. II, i)*** superpelliceum induere dum Missae inserviunt?

III. An Diaconus ratione ministerii sui possit, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, Sanctissimum Sacramentum de uno altari ad alterum deferre?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum ***(Lib. II, cap.*** *3,* ***n. f)*** Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum, exceptis pluvialistis ; an omnes de choro sedere debeant in eodem momento, et in sensu affirmativo consuetudo contraria pro clero de choro potestne servari?

V. Utrum in Missa solemni coram SSmo Sacramento exposito Celebrans, postquam dixit in initio ***Oramus te*** et ad Offertorium ***Veni Sanctificator,*** debeat cum ministris rursus genuflectere antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii in thuris impositione?

VI. In eadem Missa, Subdiaconus, accepta patena post oblationem calicis genuflectit in suppedaneo ad dexteram diaconi, debetne iterum genuflectere, cum venerit ante intimum gradum ?

VII. Sacra Rituum Congregatio decrevit quod Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Temporum sit de Feria; quaeritur utrum in hac Missa facienda sit commemoratio simplicis aut simplificato occurrentis?

VIII. In quodam Seminario studiorum causa sunt duae categoriae sacerdotum sub aliquo respectu distinctae sive quoad exercitia spiritualia, sive quoad alia exercitia. Alii eorum certae vivendi disciplinae minus strictae subiecti sunt et extra Seminarium in ecclesiis diversis Missam celebrant, alii vero in Seminario Missam celebrant. Iuxta indultum

alumni omnes huius Seminarii se conformare tenentur Kalendario Congregationis religiosae ad quam pertinent Moderatores et Directores praedicti Seminarii. Quaeritur an utraque categoria sacerdotum huius Seminarii se conformare teneantur Kalendario eiusdem Familiae religiosae?

IX. Utrum a sacerdote Missam celebrante in ecclesia dedicata alicui mysterio Divinarum Personarum vel in oratorio quod Titulare non habet, in oratione *A cunctis* nominari debeat Patronus loci, si in loco ubi celebrat consuetudo adsit faciendi in Suffragiis commemorationem de loci Patrono?

X. Quando transfertur festum v. g. Annuntiatio B. M. V. in quo exequiae cum Missa exequiali prohibentur, haec prohibitio subsistitne die impedita vel die in qua Officium transfertur?

XI. An in functione Benedictionis SSmi Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae religiosae obstent specialia statuta approbata.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consuetudinem servari posse.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative, iuxta Rubricas Missalis *(Ritus servandus in celebratione Missae, tit. X, n. 8)*, et iuxta decretum n. 4027 *Plurium dioecesium* 9 Iunii 1899 ad 11 (i).

Ad VII. Affirmative in Sabbato Pentecostes; Negative in aliis, nisi Officium fuerit de Feria, quo in casu commemoratio non est omittenda.

(1) Attenta SSmi Sacramenti expositione, in casu eadem currit ratio, quae habetur quando Subdiaconus post orationem dominicam, reddita patena ac deposito velo, genuflectit tantum in suppedaneo, quin genuflectionem iterum peragat quum descendit retro post celebrantem *(N. R.)*.

Ad VIII. Affirmative, nisi agatur de praesbyteris beneficialis, qui, ut alias resolutum est, tenentur sequi Kalendarium ecclesiae sui beneficii.

Ad IX. Affirmative, si vigeat consuetudo faciendi de Patrono commemorationem.

Ad X. In die sola impedita, nisi Annuntiatio transferatur cum feriatione.

Ad XI. Affirmative, priusquam cantetur ***Tantum ergo,*** quando aliae dicendae sint preces. Negative in casu opposito, nec non in festo et infra Octavam SSmi Corporis Christi.

Atque ita rescripsit. Die 23 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, ***Praefectus.***

L. 88 S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

—————= > £ € > 3 K o 3 < = -—————

EX VICARIATU URBIS

Decretum quo approbantur leges Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae.

Quam provido studio SSmus D. N. Pius PP. X curaverit, ut, in tanta rerum divinarum ignoratione christianae doctrinae praeceptio vigeat, aut sicubi fuerit neglecta restituatur, plane declarant Encyclicae Litterae ad sacros universi terrarum orbis Antistites datae die xv mensis Aprilis an. MDCCCCV, quibus initium ***Acerbo nimis*** (i). In iis inter alia praescriptum est, ut « in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice constituatur, cui vulgo ***nomen Congregatio Doctrinae Christianae*** ». Huiusmodi autem sodalitatum principem a sa. me. Paulo V in Urbe institutam temperare novisque rerum adiunctis aptare volens idem SSmus D. N. Pius Constitutiones edidit eiusdem Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christia-

(1) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3y,* pag. 6r 3.**

nae a se reformatas et approbatas Apostolicis Litteris in forma Brevis diei v mensis Decembris an. MDCCCCV (I). In iis Constitutionibus, tit. III, n. xxin haec leguntur: « Ad efficacius exequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archisodalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis Antistiti fuerit probata ». Nos itaque supremae Pontificis voluntati morem gerentes, uti decet, nihilque magis pensi habentes, quam ut per ordinatum regimen Venerabilis Archisodalitatis romanae, ceterae id genus minores consociationes incrementa et robur accipiant, exarandas leges virorum coetui commisimus, qui ipsi Archisodalitati praeest. Quas leges iudicio Nostro subiectas ac diligenter expensas quum proposito fini congruere censuerimus, propositam eam totam Regulam vi titulis ac LXXIX capitibus distinctam et comprehensam, auctoritate Nostra ordinaria approbamus, edicentes ut singula eius legis praescripta ab omnibus, ad quos pertinuerint, integre sancteque serventur.

Datum Romae ex aedibus Vicariatus, die VII Novembris MDCCCCVI (2).

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

L. *f S. Franciscus Faberi, ***Secretarius.***

(1) **Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 35.**

(2) **Praefatae leges quaeri possunt apud *Camerlingum* in ecclesia** vulgO' ***S. Maria del Pianto*** **nuncupata, Romae *(N. R.).***

APPENDIX

De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium (1).

QUAESTIO IX

De matrimoniis per litteras, telegraphum et telephonium.

171. Vidimus hucusque de coniugiis ***per procuratores, nuncios et interpretes,*** manet ut videamus de iisdem ***per litteras, telegraphum et telephonium.***

172. In primis notamus consulto nos abstinere a tradendo et evolvendo conceptu tum litterarum tum telegraphi tum telephonii, quum agatur de re omnibus notissima. Illud unum notamus omnes hos, aliosve analogos modos, in ultima rerum summa reduci ut species ad genus ***ad medium communicationis ad distantiam.*** Quod bene notandum, nam quod vigeant hi vel illi modi ***in concreto*** pendet ex usu diversarum gentium et ex moribus variarum aetatum, dum ***in abstracto*** principium semper unum idemque' est.

173. Ad rei autem meritum (ut inquiunt) mox devenientes, advertimus ***per se,*** seu praecisione facta a lege positiva ecclesiastica haec coniugia prohibente vel fortasse etiam irritante, nihil obstare quominus coniugia per aliquem ex indicatis aliisve fortasse ***modis communicationis*** (ut dictum est) ***ad distantiam*** contrahatur.

174. Quum enim matrimonium sit per se contractus, ac talis insuper sit et concipiatur antequam sortiatur naturam et vim sacramenti, adamussim sequitur indolem ac fata contractuum, et propterea eodem modo ac iuxta receptos communiter mores sive per epistolam sive per telegraphum sive

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3y, pag. 410, 6o3 et 736; vol. 38, pag. 58, 188 et 299, necnon vol. 3,, pag. 123 et 379.

per telephonium possumus rite äc legitime v. g. vendere-emere, locare-conducere etc., sic etiam valemus rite ac legitime matrimonium celebrare.

175. Difficultates autem quae fortasse erui possent ex eo quod talia coniugia interdum viderentur incertitudine laborare, vel in periculum adducere reverentiam sacramento debitam, profecto non sunt talia, quae longam aut laboriosam exigant solutionem. Hinc eas conglobatim ac veluti per transennam indicasse sufficiat.

176. Diximus autem consulto talia matrimonia per se licere ac valere praecisione facta ***a lege positiva ecclesiastica ea vetante vel forsan irritante.*** In propatulo enim est multas res per se honestas ac firmas posse lege positiva vetari ac forsan quoque invalidari.

177. Inquirendum autem nunc est, num huiusmodi lex positiva ecclesiastica talia coniugia prohibens, vel fortasse quoque irrita faciens, reapse existat vel non. Quia vero capitalis distinctio, quando de forma matrimonii agitur, est in disciplinam ante-tridentinam ac post-tridentinam, nos eamdem adamussim sequemur, semel pro semper notando ipsissima quae de disciplina ante-tridentina dicemus, esse repetenda de disciplina, quae post Conc. Tridentinum viget in locis, in quibus C. ***Tametsi*** non fuit promulgatum. Hisce enim in locis adhuc obtinere ante-tridentinam disciplinam tralatitium est.

178. A disciplina autem ante-tridentina, ut par est, exordientes dicimus equidem tali iure fuisse tum vetitum ne clandestina coniugia inirentur, tum mandatum ut matrimonium, sacris interiectis, coram Ecclesia celebraretur, at nullo modo fuisse prohibitum, ne in matrimoniis contrahendis media communicationis ad distantiam (v. g. litterae) adhiberentur. Hinc eodem modo quo tali iure licebat, servatis servandis, matrimonia inire per procuratores, licebat quoque ea celebrare interiecto v. g. usu epistolarum.

179. Nostra autem aetate, invectis iam miris mediis communicationis ad distantiam, seu telegraphi et telephonio, idem de eis repetendum, ***servatis tamen servandis,*** ac dictum est de litteris. Idque eo magis quod talia communicationis media maximam iam perfectionem attigerint, adeo ut v. g. in republica' civili plurima ac gravissima negocia ita expediantur. Nam tali modo v. g. celebrantur emptiones-venditiones potissimum a mercatoribus rerum mobilium... Insuper tali modo v. g. officiales publici admonentur, transferuntur etc. etc. etc.

180. ***Servatis tamen servandis*** diximus. Hinc v. g. urgente gravissima necessitate, (ut en in articulo mortis) quae interventum Ecclesiae et ministrorum eius non pateretur, non solum valide, ut clarum est, sed et licite posset matrimonium contrahi v. g. per telephonium a duobus carcere detentis etc. Viceversa praescindendo a casu necessitatis, qui legem effugit, nunquam liceret sine gravi causa matrimonium hoc modo celebrare, saltem quia possent exinde incommoda non levia sequi etc.

18r. Nec obiiciatur forsan ratione paritatis casuum aut saltem ratione analogiae esse applicanda ***celebrationi matrimonii ad distantiam*** v. g. per telephonium principia quae a doctoribus traduntur, quando est sermo ***de absolutione peccatorum*** ad distantiam, et hinc non minus iuxta mentem Ecclesiae esse reprobandam illam ac de facto reprobatur haec... Nam talia fortasse obiicienti facile est respondere : ***d)*** non haberi casuum paritatem sed ad summum quamdam latissimam analogiam inter celebrationem matrimonii et absolutionem peccatorum ad distantiam: ***b)*** reapse absolutionem exigere praesentiam absolventis et absolvendi, dum e contra matrimonium, quippe quod resolvitur in verum contractum, potest iniri inter absentes etc. : ***c)*** cessare hinc v. g. difficultatem depromptam ex eo quod vox, ut ita dicamus, telephonica non sit vera vox humana, sed quaedam vocis humanae artificialis reproductio, nam semper sufficiens est ad

exprimendum consensum, ut est sufficiens signum vel epistola etc.

182. Vidimus ergo iuxta disciplinam ante-tridentinam non solum valide, sed et licite, servatis servandis, posse matrimonia iniri adhibito medio aliquo communicationis ad distantiam... Reliquum est, ut videamus, num idem sit repetendum de disciplina post-tridentina. Et veritati cohaeret, ut idem dicamus.

183. Quo autem facilius intelligi valeant, quae mox dicturi erimus , ac solvi possint quae contra ea fortasse obiicerentur, praestat in mentem revocare haec certissima principia: ***d)*** equidem Conc. Trid. per C. ***Tametsi*** induxit novam ormam celebrandi coniugii sub poena nullitatis, constituendo me aliter celebraretur ac coram parocho ac duobus vel tribus testibus; ***b)*** verum Concilium nihil quoad reliqua disposuit; ***c)*** sic v. g. inter coetera non prohibuit quominus in posterum coniugia inirentur aut sub conditione aut sub modo; ***d)*** hinc ex hoc principio, per aliud principium roborata, secundum quod decreta correctoria, ut dicunt pragmatici, iuris existentis sunt accipienda stricte, sequitur v. g. quod hodie etiam post Trid. et valide et licite, servatis servandis, matrimonium potest iniri (ut superius firmavimus) et per procuratores, et per nuncios, et per interpretes etc.

184. Hisce suppositis haud est difficile solvere quaestionem, num hodie post Conc. Trid., at in locis ubi viget C. ***Tametsi,*** liceat (servatis, ut par est, servandis) uti aliquo medio communicationis ad distantiam et potissimum opera litterarum vel telegrammatum vel phonogrammatum. Nam, si post Concilium id unum est magis necessario servandum, quod non erat olim, seu praesentia parochi et testium, coetera vero manent sub dispositione iuris antiqui, in propatulo est debere propositam quaestionem solvi sensu affirmativo.

185. Et ita quidem censuit S. C. Concilii, saltem relate ad matrimonium per epistolam, ut refert Gasparri Tract. ***De***

Matrim, (ed. i, vol. 11, pag. 833): « S. C. C. prima vice quaestionem de validitate matrimonii per epistolam post inductam a Conc. Trid. substantialem matrimonii formam ad examen revocavit ***die*** *30* ***sept.*** *16y3.* Nam, uti narrat Card. de Luca ***De matr. disc. XVI, B.*** ex antiqua, illustri familia immeritos habens natales, arcto diuturnoque carcere ex causa uxoricidii inclusus, cum populari muliercula absente per huius epistolam in ipso carcere coram parocho et testibus matrimonium contraxit. Epistola directa erat ad parochum, et in ea mulier declarabat se nubere ***B.*** Re delata ad S. C. C, duae fuerunt quaestiones ad trutinam deductae: i°. An ista contrahendi per litteras forma in genere sive in abstracto hodie post Conc. Trid. decreta valeat? ***2°.*** Quatenus valeat, an in casu bene servata esset? Card. de Luca, qui in hac causa scripsit, negativam responsionem sustinuit ad utramque quaestionem. E contrario S. C. affirmativam tenuit, et matrimonium declaravit validum» **(i).**

186. Quod si ita S. C. C. censuit quoad matrimonium per epistolam, remur quod non aliud prodiret responsum, si casus proponeretur de matrimonio opera telegrammatis aut telephonogrammatis celebrato. Idque ob casuum paritatem et principii identitatem (2). Quamvis non diffiteamur quod hisce

(1) **Vide etiam folium eiusdem S C. in** ***Ianuen. - Matrimonii IO Iulii ij****28* **sed solutio huius causae deest.**

(2) Quum quoad hanc theoriam quoad matrimonia per telephonium vel per telegraphum non habeamus (saltem quoad sciamus) authenticam decisionem vel certam doctrinam S. Sedis, imo de ea sileant saltem generatim doctores, auctor, exonerata cuiusque alterius conscientia, totam in se suscipit obligationem aut eam reprobandi, quatenus contigeret Ecclesiam eam reprobare, aut eam tuendi, quatenus eveniret aliquem doctorem eam impugnare. Coeterum S. O. in nota resp. sub die 14 **Aug.** 1892 **admittendo legitimitatem et validitatem dispens, matrim., quarum notitia transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis, potiusquam vulnerare roborare visum est nostram theoriam, quum admittat servatis servandis legitimam et validam fore dispensationem super imped. matrimonialibus, et hinc admittat posse nos opera telegraphi habere moralem certitudinem de sublato impedimento, quod matrimonio ineundo obstaret.**

posterioribus casibus difficilius ac laboriosius profecto esset quam in primo habere plenam (saltem moraliter) certitudinem, quae in coniugiis desideratur ad praecavenda gravissima illa incommoda, quae ex incertis nuptiis possunt oriri.

187. Finem autem huic humillimae et exiguissimae tractationi imponentes, haec pauca ulterius notamus: ***a)*** matrimonia, interiecto medio communicationis ad distantiam, nonnisi ex gravi causa et de licentia Ordinarii, praescindendo a casu necessitatis, esse permittenda : ***ò)*** penes auctores v. g. Sánchez etc. et Gasparri (/. ***c.)*** haberi indicatos modos practicos celebrandi matrimonium per epistolam: ***c)*** hos modos tamquam normam aliquam remotam inservire posse casu quo contingeret v. g. matrimonium celebrari per telephonium.

(Finis)

Carolus Lombardi
Prof. in Pont. Seminario Romano

Pag.	*lin.*	**ERRATA**	**CORRIGE**
60		nequeant	queant
128	30	Salotti	Perosi

Insuper pag. 63 supprimantur quatuor postremae lineae, quae exhibitionem rescripti praeseferunt, quia cum agatur in casu de decreto generali a S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum edito, nulla opus est exhibitione.

INDEX ANALYTICUS

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EX SECRETARIA BREVIUM

EX SECRETARIA STATUS

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. .RELIQUIARUM

EX S. CONGR. VISITATIONIS APOSTOLICAE

EX S. C. A NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

EX S. CONGREGATIONE STUDIORUM

EX COMMISSIONE BIBLICA

EX VICARIATU URBIS

APPENDICES

INDEX ALPHABETICUS

A

D

E

F

H

I

K

M

N

O

P

S

T

U

V

X

IMPRIMATUR

FR. ALBERTUS LEPIDI, **Ord. Praed.,** ***S, P. A. Magister.***

IMPRIMATUR

f IOSEPHUS CEPPETELLI, **Patriarcha Const.,** ***Vicesgerens***